BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
G
45
NAPOLI

45

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

T R I P L E X
BIBLICO-CRITICA
D E M O N S T R A T I O

In qua Biblia Sacra Vulgatæ Editionis Sixti V. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitioſa demonſtratur, adeout ſit probatu difficile, vel unicum mendum in ea reperiri correctione dignum

A D V E R S U S

NEOTERICOS CRITICOS HETERODOXOS

Dignitatem ejus fruſtra inſectantes elucubrata

AB ADM. REV. P.

F. BONAVENTURA A MAGDALONO

Lectore Emerito PP. Reformatorum S. Francisci Provinciæ Neapolis, ac Scriptore Seraphici Ordinis.

TOMUS SECUNDUS.

N E A P O L I MDCCLXII.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS TOMI II.

CAPUT IV.

De integritate Biblicorum Contextuum.

QUare ſub uno capitulo agitur de cæteris Bibliacis Contextibus, numero 249.

§. I. *De integritate Verſionis Italæ*. Ab Eccleſiæ Chriſti primordiis editio Latina uſurpata, 250. Quam Millius ad ſeriorem ætatem refert, 251. Milliana momenta Petrus Sabatier periclitatus eſt occupare, 252. Nonniſi Canones Apoſtolorum nobis primo occurrunt, qui haud Apoſtolis ſuppoſiti, 253. Apoſtolorum temporibus Latinum Romanis erat vernaculum, 254. Falſitatem Millianæ opinionis commonſtrant Epiſtolæ primorum RR. Pontificum, 255. Vetus Latina quoad Vetus Teſtamentum ex Septuaginta expreſſa, 256. Quo ſenſu nunc nova nunc vetus appellatur Hieronymiana verſio, 257. Recentiorum opiniones circa præferentiam Italæ, 258. Multa divina Oracula in Itala verſione deficiebant, 259. Cauſſæ quæ Hieronymum impulerunt ad novam verſionem concinnandam, 260. & *ſeqq*. Conceptis verbis teſtatur turbidum fluxum Italæ, 263. Auguſtinus quoque, 264. Patrum chorus qui Hieronymiana uſi ſunt, 265. Hujuſmodi probatus uſus indicat vitia quibus Itala ſcatebat, *ibid*. Idipſum claret ex abſurdis, 266. Recentiorum ſpiculis fit ſatis, 267. Hodiernis Italis verſionibus haud Critici ſunt contenti, 268.

§. II. *De integritate hodierni Textus Samaritani*. Origo hujuſmodi Textus innuitur, 269. Cur Samaritani ſolum Pentateuchum admittant, 270. Exponuntur Uſſerii & Waltoni præjudicia, 271. Samaritanus hodiernus non eſt ille Doſithei, 272. Qui fuit a ſolis Doſitheanis adoptatus, 273.

Sen-

Digitized by Google

Sententia Waltoni exſcribitur, 274. Odium inter Judæos & Samaritanos ex Religione inductum, 275. Multo pluribus vitiis ſcatet Samaritanus quam Hebræus, 276. *& ſeqq.* Haud Waltonus ſibi conſtat, 277. & 278. Non omnia antiquorum codicum vitia tribuenda Deſcriptoribus, 278. Waltonus cum propria contendit umbra, 279. Hebræus & Samaritanus hodierni Vulgatæ correctæ poſtponendi, 280. & 281. Origenes cur Samaritanum non deſcripſit, 282. Quo ſcopo veteres ſcrutabantur Samariticum, 283. Quantum a religioſa veterum obſervantia diſtent Critici, 284. Waltonus nimis confidit Samaritico, 285.

§. III. *De integritate Paraphraſis Chaldaicæ*. Quam ob cauſſam Paraphraſes inductæ, 286. Eſdra Textum Hebræum legebat, Levitæ autem Chaldaice interpretabantur, 287. Secundum proprium ingenium; ubi quoque de Rabbinorum fabellis, 288. & 289. De Thargum, Targumim, libris Legalibus, Hagiographis, & Prophetalibus, 290. Judæis impenſe Targumim Jonathanis & Onkeloſi commendantibus nonnulli Hæretici adblandiuntur, 291. 292. Waltonus duobus nixus præjudiciis pro antiquiſſimis ſinceriſque eas venditat, 293.

Targumim Jonathanis & Onkeloſi poſteriores ſunt Hieronymiana ætate.

Suppeditantur ſpecimina novitatis Thargum Jonathanis in Legem, 294. Thargum ejuſdem in Prophetas, 295. Nec *Miſchna*, nec *Talmud* Hieroſolymitanum ſubodorantur Jonathanem, 296. Evincitur novitas Onkeli, & ſuæ Paraphraſis in Legem, 297. Haudquaquam Targumim latuiſſent Origenem, Epiphanium, & Hieronymum ſi vere tum temporis extitiſſent, 298. Præfatum momentum Waltonus tentavit extenuare, 299. Sed ſibi potius aliiſque Criticis ruinam paravit. Scitu digna, 300. Origenes Epiphanius & Hieronymus de Hebræorum lingua & libris inſtructi, 301. 302.

302. Expenditur Hieronymiana ſententia qua videtur Targumim indicaſſe, nobis quoque Auguſtino ſuffragante, 303. Judæorum conſenſus circa antiquitatem Targumim ſuſpectus & mendax, 304. Decipula de Targumim Hieronymiano tempore nondum in unum corpus redactis, diſpellitur, 305. Quæ a Judæis fuerunt litteris olim donata, nullimode ſapiunt Targumim, 306. Rerum ſuarum antiquarum verpi ignari, *ibid.*

Quam ſubleſtæ nulliuſque auctoritatis, immo apud Chriſtianos detrimenti ſint Paraphraſes Chaldaicæ, exponitur.

Plerique viri docti id ipſum jamdudum adſertum ivere, 307. Funditus cadit potiſſima ratio in contrarium, 308. Ab infenſiſſimis noſtris Paraphraſes confectæ, 309. Tutores Paraphraſium agunt Judæorum cauſſam, 310. Paraphraſes potius corruptionem, quam integritatem hodierni Hebræi confirmant, 311. In eundem Waltonum ipſius argumentum verbatim rejicitur, 312. Paraphraſium verba nuſpiam laudata a Chriſto, ab Apoſtolis, vel aliis Eccleſiæ Proceribus, 313. Paraphraſes a primo fœculenter fluxerunt, 314. Neque alicujus ſunt utilitatis ſi duas exceperis, 315. Exceptis iis, quæ Judæi ex noſtratibus mutuati ſunt, omne aliud in eorum libris commentitium, 316. A ſola Romana Eccleſia repetere poſſunt Scripturarum intelligentiam, 317. Detrimentum quod Paraphraſes, & dicteria Criticorum, Eccleſiæ Chriſti afferunt, 318. Mos Chriſtianorum ex judaicis ſcriptis Judæos convincentium non ſuffragatur Criticis, 319. Brugenſis pro Targumim propugnavit partium ſtudio abreptus, 320. 321. Deſcriptio Paraphraſium haud adprobata, immo interdicta, 322. Magis enudatur præjudicium Brugenſis, 323. Recentiorum credulitas atque vanitas, 324.

§. IV. *De integritate Syriacæ Verſionis*. Quas regiones Syria ſibi vindicet, quibuſque linguis Syriaca enata, 325.

Sen-

Sententiæ circa linguam quæ Chriſto fuit vernacula, 326. Errandi periculo ſe exponunt, qui eam preſſius definire contendunt, 327. Quam infirmis principiis Critici definiant dialectos veterum linguarum Orientalium, & quomodo Chriſtus inter loquendum ſe ſe præbuerit, 328. 329. Circa antiquitatem Syriacæ Verſionis Sionita & Waltonus erraverunt, 330. Chriſtianis & Judæis Syriace loquentibus neque utilitati, neque neceſſitati erat verſio Syriaca, 331. Primis Eccleſiæ ſeculis Græcum idioma per totum Orientem ſonabat, 332. Quoad uſum Scripturarum in Oriente Waltonus ſibi mirabiliter contradicit, 333. Veteres tradentes uſum verſionis Viralis per Orientem detegunt commenta Recentiorum, 334. Uſum Viralis per Syriacam Regionem teſtatur Hieronymus, 335. Veroſimilius Syriaca verſio primum ex Septuaginta expreſſa 336. Cur Hieronymus ex Hebræo ſuam verſionem adornavit, 337. Momenta quibus Waltonus probat antiquitatem Syriacæ, 338. Quis fuerit Gregorius Scholiaſtes, 339. Apud Syros nulli fuerunt Maſorethæ, 340. Veteres nullam mentionem Novi Teſtamenti Syriaci faciunt 341. Sanctus Ephrem Scripturas Græcas non vertit, ſed ſolummodo Syriace explicavit, 342. Waltonus inter indigeſtas ſcrutationes hallucinatur, 343. Diverſa Criticorum judicia circa tempus & Auctorem Syriacæ, 344. Ex teſtimonio Auguſtini minime infertur, Syriacam longe Auguſtino antiquiorem, 345.

Propius ad Syriacæ integritatem.

Falſiſſimum Waltoni judicium ſuper integritate Syriacæ, 346. 347. Hodierna Syriaca non concordat cum ea quæ antiquitus uſurpabatur, 348. Convenientia Syriacæ cum Hebræo minime probat utriuſque integritatem, 349. Syriaca neque integritatem, neque corruptionem Hebræi confirmat, 350. Exponitur ſyſtema Deiſtarum, quibus Waltonus aliique vires addunt, 351. Ipſamet codicum varietas, ad quam con-

Digitized by Google

confugit, probat nihil certi ex collatione Contextuum poſſe nos eruere, 352. Notabiliſſimæ Scripturæ partes a Syriaca abfuerunt & abſunt, & ea quæ erroribus favent complectitur, 353. Quid de ea Syriaca dicendum qua hodie nonnullæ Eccleſiæ utunrur, 354.

UTILITATEM Syriacæ Waltonus præter meritum commendat 455. Abutitur teſtimoniis veterum haud lectioni receptæ detrahentium, 356. Definitur Syriacæ utilitas, *ibid.* Ea tamen non adprobatur, quæ a pleriſque Catholicis traditur, 357.

§. V. *De integritate verſionis Arabicæ*. Arabia ubi? quotuplex? & de origine Turcarum, Arabicæque verſionis, 358. De tempore editionis ejuſdem, 359. *& ſeqq.* Minime arceſſenda ab ætate Hieronymi, *ibid.* Tempus quo primum edita fuit, definitu difficile, 360. Aliter loquendum de Arabica verſione Judæorum, aliter Chriſtianorum, 361. Cæteris editionibus Recentiores Saadianam præferunt, 362. Cui ipſimet pleraque vitia tribuunt, 363. Waltoniani floſculi abjiciuntur, 364. Omnia exemplaria vitiis obnoxia, eorumque cauſſa, 365. S.Congregatio ſupprimit Arabicam elaboratam ad normam hodiernorum fontium, 366. Circa utilitatem verſionis Arabicæ fruſtra Valtonus ſe ſe volvit, 367.

§.VI. *De integritate verſionis Æthiopicæ*. In Scaligerum de Æthiopica verſione rectius ſentientem Walronus invehitur, 368. Æthiopes Apoſtolorum temporibus fidem Chriſti ſuſceperunt, 369. Contorte ex hoc colligitur par antiquitas verſionis Æthiopicæ 370. Æthiopica verſio Polyglottarum Londinenſium vitioſiſſima, 371.

§. VII. *De integritate Verſionis Perſicæ*. Ante Conſtantis & Conſtantini tempora Chriſtianiſmus illuxit Perſis, 372. Quare antiquitas fidei apud Romanos ſecum ducat antiquitatem Latinæ, *ibid.* Ex collatione Perſicæ cum aliis verſionibus nulla utilitas, 373. Id Waltonus Catholicis vitio vertit quod in ſeipſo damnandum, 374. Londinenſia Polyglotta erroribus referta 375.

§.VIII.

Digitized by Google

§. VIII. *De antiquitate Verſionis Copticæ, ſive Ægyptiacæ, & Armenicæ.* Minime ad Nicæni tempora Coptica verſio eſt referenda, 376. Objectis fit ſatis, 377. Armenica verſio nec a Chryſoſtomo edita, nec ab ejuſdem ætate arceſſenda, 378. Sentientibus oppoſitum Sozomenus nullimode ſuffragatur, 379. Theodoretus non de Bibliorum verſionibus loquitur, ſed de dogmatibus, *ibid.* Sanctilogium Armenicum cujus auctoritatis ſit, penitus latet, 380. Galanus & Georgius Patriarcha ſuſpectæ fidei Auctores, *ibid.* Notatu digna, 381.

APPENDIX.

De Textuum & Contextuum Bibliorum editionibus; ubi quoque de Manuſcriptis.

Innuitur Criticorum intemperantia in tot publicandis variis Bibliorum editionibus, num. 382.

§. I. *De monumentis quibus improbatur multitudo Biblicorum codicum inter ſe variantium.* Apprime occurrunt Hieronymus, Damaſus, Auguſtinus, Concilium Tridentinum, 383. Eandem codicum varietatem inſectatur Sixtus V. 384. Præcipui Sixti V. ſenſus atque verba illuſtrantur, ſimulque roborantur ex Præfatione Bibliorum Clementis, 385. Lutherus etiam in eandem deſcendit ſententiam, 386.

§. II. *De numero linguarum in quas Scriptura verſa eſt, nec non Biblicorum codicum tam calamo quam Typis editorum juxta Longbianos elenchos.* Jacobus Le Long antecellit cæteros, qui de codicibus Biblicis antea ediſſeruere, 387. Syſtema & numerus linguarum in quas Scriptura verſa eſt, 388. In Hiſpania non ſemel Vernaculæ Bibliorum verſiones vetitæ, 389. Hæretici pro varietate temporum diverſis utuntur Vernaculis verſionibus, 390. Index codicum Bibliorum tam calamo, quam Typis editorum cum deſignatione loci, & temporis, 391. Summa omnium, 392.

§. III. *De præcipuis Polyglottis Typis editis.* Quid veniat

EMINENTISSIMO
S. R. ECCLESIÆ PRINCIPI
TIT. SS. DUODECIM APOSTOLORUM
CARDINALI AMPLISSIMO
LAURENTIO GANGANELLI
ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM.

F. BONAVENTURA A MAGDALONO ORD. MIN. REFORM.
FELICITATEM.

QUod tibi, EMINENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *ſecundum Operis mei tomum inſcribam, tuoque ſub Auguſtiſſimo nomine in publicum dari aveam, non eſt cur animo perturberis. Haud enim me fugit, quanto tu opere nedum fucata encomia, verum etiam tuis meritis, improbiſque laboribus partas laudes averſaris: verum*

Digitized by Google

ego non quæro gloriam tuam , ut hiſce in rebus poſitum eſt in more, ſed in Te, & per Te , utpote a Seraphico Patriarcha amantiſſimoque P. N. S. Franciſco ſelectum , ad ſuſtinendum hodie præ aliis Minoritici gregis onus illud eidem Patriarchæ ejuſque Ordini divinitus creditum, fulcire nimirum pro temporum opportunitate Dei Domum ne caderet (a); ejuſdem profecto Domus Dei , hac noſtra ætate adulterinis doctrinis foris introrſum exagitatæ , in Te , inquam, & per Te opportunum ſuſtentaculum ardentiſſimo officio petam. Minime Te eruditionis omnigenæ virum plane ſubactum, vel pro tantillo latet primum potiſſimumque præjudicium, quod primores Proteſtantium Mundo perperam ingeſſerunt: Sola Scriptura uti jacet non in lacunoſis verſionum rivulis , ſed apud eoſdem fontes quos ho-

(a) *Quum an.* 1210. *Innocentius* III. *hæſitaret deſuper adprobatione Regulæ cælitus a D. Franciſco concinnatæ, ut quæ ad altiſſimam paupertatam ſervandam profeſſores obligat , in ſomnis vidit hominem pauperculum , modicum , & deſpectum humeris ſuppoſitis Lateranenſem Baſilicam jam ruinæ proximam ſuſtentantem , ne caderet: quare a ſomno excitatus ,* vere , *inquit ,* hic (*Franciſcus*) eſt ille , qui opere , & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam . *Quæ cæleſtis viſio experimento claruit de fulcro materiali , & ſpirituali , quod Eccleſiæ in deteriora labanti Franciſcana Religio ſuppetias ferret ; quandoquidem de reparatione materiali Lateranenſium ædium liquet , tres Minoritas Romanos Pontifices , Nicolaum* IV. *anteriorem poſterioremque illius Baſilicæ partes ruinoſas magnifice reſtauraſſe , Sixtum* IV. *pari devotione & ſummis curis eandem Baſilicam refeciſſe , Sixtum* V. *pleriſque beneficiis locupletaſſe , & obſequiis Franciſcanorum Pœnitentiariorum . Quod vero ſpectat fulcrum Spirituale , audiatur Hieronymus Platus Theologus Societatis Jeſu Lib.* II. *de bono ſtatus Religioſi cap. XXX.* Non modo , *habet* ætas illa , qua primum hic Ordo (*Franciſcanorum*) prodiit , mirabiliter ejus opera adjuta, & illuminata eſt , ſed totis quadringentis annis quibus deinceps ſtetit , hoc ſemper egit , ut Eccleſiam Dei quaſi fulciret . *Legeſis Waddingum ad an. cit.*

Digitized by Google

hodie habemus Hebræi veteris Teſtamenti Græcive novi, eſt pleniſſima credendorum regula, nullimode pendens a veterum traditione, aut pontificia poteſtate; adeo ut unicuique ſpiritui maximeque linguarum perito rite competat dijudicare de germana eorundem fontium lectione, ac litterali interpretatione, etiam ubi diſcedere oporteat a recepta Latina lectione veterum, utpote qui linguarum, & regularum critices parum, vel nihil gnari, & explicandis allegoriis ſummmopere intenti. *Quas equidem exitioſas merces ubique gentium ab Auctoribus Reformatæ Religionis circumductas, & fucoſo faſtu venditatas, tametſi nemo Doctorum Catholicorum auſus fuerit excipere quoad exauctorandam traditionem aut Eccleſiæ poteſtatem, quibus tanquam teſſera, & ſymbolo bodie Orthodoxi ab Acatbolicis dignoſcuntur, tamen prætermiſſo, ut par erat, exacto ſcrutinio deſuper aliis conſectariis, & ad ſtateram Sanctuarii minime adpenſis, eo tandem deventum eſt, ut bene multi noſtri Theologi pro legitimis ea deſponſarint, tranſcripſerint etiam in eorum opera, foverint, propalarint, potanda noſtræ juventuti obtulerint, implicite detrabendo, licet nibil tale cogitantes, tam traditioni veterum Patrum, quam ſupremæ poteſtati Apoſtolicæ S. Sedis* (*a*): *ſicque tuum* EMI-

(a) *Lubet unum ex ſexcentis obiter ſuppeditare palmare ſpecimen. Tam ex perpetua traditione veterum Patrum ad hac uſque tempora religioſiſſime ſervata, quam ex auctoritate Apoſtolicæ S. Sedis perſpicue eruitur, vocem* ipſa *apud Vulgatam Latinam Geneſis III. v. 15. jure meritoque legi, atque ita ex ſe ſe, & quoad nos eſſe divinam, canonicam, & authenticam; quum vero plerique Catholici quoad integritatem, auctoritatem, & præſe-*
ren-

NENTISSIME CARDINALIS *eſto judicium*, *utrum Dei Domus hiſce eventilata haud aſpernabilibus aquilonibus opus habeat valido excelſoque fulcimento*, *quod Te nemo melius hodie adferre queat*, *mirumque in modum porrigere*, & *ſuppeditare*. *Perſpectum habes quot ferme innumerabiles Heroas Seraphicus Patriarcha ex ſacro lateris vulnere mirifice pepererit*, & *quam bene morum candore*, & *veritate doctrinæ ſe ſe præſtiterint Domui Dei fulciendæ*, *uſque adeo eadem Dei Domus*, *quæ ſpiritu Chriſti dirigitur & gubernatur*, *illorum capta mirabilibus meritis*, *hactenus centum triginta ſuper altare elevarit*, *quinque ad ſummi Pontificatus apicem*, *quinquaginta quinque ad Cardinalitiam purpuram*, *prætermiſſis longe pluribus Patriarchis*, *Archiepiſcopis*, *Epiſcopis divinas ædes ubique gentium fundantibus*, *vel fundatas conſtabilientibus*. *At quid quæſo virtutis eorundem a te deficit quominus eoſdem imiteris*, *tuaque probata pietate*, *ac ſapientia a Domo Dei eliminentur præfata zizania*, *ſegregetur frumentum a palea*, & *ii quibus curæ eſt private aut publice noſtram edocere juventutem*, *erubeſcant tandem oſcitanter blandiri hodiernis Hæreticis*, & *re non exacte penſata fucum facere imperitis?* *Nonne ab ineunte ætate Tu quoque de ſpiritu Franci-*

rentiam hodierni Hebræi adſtipulati Hæreticis, *ipſi quoque autument*: *Vulgatam eo loci ſapere vitium Interpretis*, & *loco* ipſa *ſubſtituendum* ipſe, *vel* ipſum, *ſicut in hodierno Hebræo communiter legitur*; *nemo ſane non eruet præfatos quoque Catholicos tendere*, *licet nihil tale cogitent*, *ad elevandam translationem Veterum*, & *auctoritatem Apoſtolicæ S. Sedis circa Scripturas indefectibiliter ſeligendas*, & *interpretandas*. *Effugia in contrarium reponi ſolita*, *in Opere præcluſa inveniuntur*.

ciſci in agrum Eccleſiæ prodiiſti, & tanto aliorum ſpiritali profectu ſelectiſſimum ejus germen te exhibes; ut quum magnifica palatia te petant, eandem, ac ante humilem Franciſcanam Domum religioſiſſime colas, eoſdem fratres, quibuſcum dulces dudum capiebas cibos oblectamento habeas, glorieris quoque Minorum Regulam profiteri, & quantum EMINENTISSIMA TUA *dignitas patitur ad litteram ſervare ſtudeas? Nonne a floreſcentibus annis adeo in te excelluit religioſa obſervantia, nitidiſſimus morum candor, purgatiſſimum ingenii acumen, mirifica agendorum dexteritas, ut tanquam juvenem optimæ ſpei, & unice ad magnalia natum amantiſſimi fratres futurum te noverint? Nonne ſuccreſcentibus annis, atque magis in dies aucto bono odore egregiæ tuæ indolis quoad fæcunditatem ingenii, & eloquii, quoad exercitia ſtudiorum, & pietatis, quoad ſolicitudinem, vigilantiam, zelum, innatam ad omnia quantumvis ardua exercenda ſolertiam, jure meritoque prætores optimi ad primas Ordinis cathedras moderandas, Bononienſem nimirum, Mediolanenſem, & tandem Romanam, vulgo Collegium D. Bonaventuræ Te aſſumpſerint? Sileo, ne Te magis virgineo ſuffundam rubore, eximia omnigenæ eruditionis ſimul, & prudentiæ ſpecimina, quæ quum Conſultorem S. Officii ageres, perenniter præbuiſti, profecto nunquam interituræ memoriæ; & id unice innuam, quod non ſine injuria prætermitti videretur, admirabilem inquam atque exundantem lætitiam, quæ animum bonorum pervaſit, quum Te ſacro Cardinalium Collegio cooptatum deprehenderunt; idque egomet, quum tunc temporis*

Ro-

Digitized by Google

Romæ commorarer, non ſine mediocri animi voluptate animadverti. Nemo quippe inter fauſtas, feſtaſque geſtientis animi ſignificationes adparebat, qui Tuarum virtutum, meritorumque cumuli diſertus præco non foret; & eo propemodum pacto, quo tunc domus tota illuminatur, quum ſuper candelabrum lux erecta ab unoquoque delectabiliter conſpicitur, ita Urbs, cui & Orbis rite concinere valet, conclamabat: Haud in viro iſto SS. D. noſter Clemens XIII. maximum noſtri ſeculi decus carnem reſpexit aut ſanguinem, minime bonus paſtor excitatus illuſtriſſima nobilitate avorum, patruorum, avunculorum, fratrum, in bello, in pace, in Eccleſiaſticis, in politicis præclariſſimorum; ſed quemadmodum geſtorum immortalium gloria eſt Papa Maximus, nec non virorum de Apoſtolica S. Sede bene meritorum remunerator Magnificus, ita ſolam præ oculis habuit, recte penſavit, & reſarſit LAURENTII GANGANELLI virtutem plane mirabilem in celſitudine ſcientiæ Eccleſiaſticæ longo ſtudiorum curſu comparata, in exacta in omnibus moderatione qua omnium bonorum amorem ſibi conciliavit, in integerrimis judiciis, quavis ex cauſa ad Congregationem S. Officii ſpectantem ab eodem prolatis, in iis tandem naturæ, & gratiæ opibus, quæ non modo dignum purpura effecerunt, ſed ipſam quoque videntur exigere ſupremam Tiaram; itaut hæc ſibi potius, quam ipſe eidem deeſſe credatur. Jam vero iſthæc, ut ut ſint, EMINENTISSIME DOMINE, *dicta bene conſpicis haud ſtudio captandæ Tibi gloriolæ, a qua longiſſime abes; ſed ut cuique perſpectum fiat ſelectiſſimos Minorum Heroas, qui e-*

la-

lapſis quinque ſeculis Domum Dei quam diligentiſſime ſuſtentarunt, adeo in te refulgere, ut ſemoto pythagorico errore de tranſmigratione animarum, fatendum opinor, quod aut par omnibus collectim Tu unus vivas, aut omnes collectim in Te uno revivant; quod ita ad vivum omnes exprimas, ut eorum nemo obiiſſe cenſeatur; illorum virtus ſpiritus unde nata, in Te uno ſplendeſcens redivivos enunciet; quamquam omnes tributum mortis exolverint, nulluſque in te migraverit, verum in Te renovatos arbitrer omnes. Nihil itaque repaguli ſupereſt, quominus a Te ſuſtentaculum Domus Dei a ventoſis Criticorum ſtrophis circumactæ humiliter petam, ardenterque exoptem. Si ex latere D. Franciſci feliciter prodiiſti, proprium Tibi eſt Domum Dei tueri, ſi vita, virtutibus, eminentia, & auctoritate primores Franciſcanorum ut in micanti ſpeculo repræſentas, nulli dubium, Te talem futurum quales domui Dei illi fulcimento fuere. Tandem conatus ſum ea in hoc Tomo digerere quæ expectationi EMINENTIÆ TUÆ, *& Apoſtolicæ S. Sedis facerent ſatis, ſicque Tuo ampliſſimo patrocinio non omnino indigna viderentur. Quod ſi vero aberrarim a ſcopo, me quoque felicem exiſtimabo, quippe cui contigiſſet Te doctiſſimum habere Cenſorem, Judicem, & Mecænatem. Cæterum, ut ut res erit, præclare mecum actum, votorumque meorum compotem factum putabo, ſi quæ Tibi demiſſiſſime nuncupo, qualia eacunque ſunt animi mei monumenta, haud injucunda Tibi accidiſſe cognovero. Quid enim? profecto, ſi ita res ſe habuerit, nedum uberrimos meorum laborum, navatæque operæ fructus*

per-

Digitized by Google

percepiſſe vel hinc non obſcure intelligam ; verum etiam, quo majora aggrediar, tui præſentiſſimi Patrocinii ſtimulis non mediocriter incitabor . Vale S. Eccleſiæ, noſtrique ſeculi LUMEN ac ORNAMENTUM, Teque non Tibi, ſed bono publico natum quam diutiſſime incolumem ſervato .

Neapoli ex Regali Conventu S.Crucis de Palatio pridie Kalendas Septembris 1762.

Digitized by Google

niat nomine Diglottæ, Triglottæ, Tetraglottæ &c. 393. Polyglotta Complutenſia ubi? a quo? quando? quotve Biblia exhibeant, earundemque editores, 394. Ximeniani laboris laus, *ibid.* Ab occentibus Simonii vindicatur Ximenius, 395. Polyglotta Antuerpienſia quid complectantur, quidve pro eiſdem Arias Montanus præſtiterit, 396. Exemplaria & Auctores ex quibus Antuerpienſia prodierunt, 397. Excepta Paraphraſium expoſitione quadruplici utilitati eadem fuerunt & ſunt, 398. Polyglotta Pariſienſia omnia fere complectuntur quæ in Regiis extant, immo alia adjiciunt, 399. Percenſentur harum Polyglottarum fautores, 400. Iſtarum Præfatio mirum in modum commendat auctoritatem Vulgatæ, 401. Sententiis ejuſdem Præfationis lux affertur, 402. Obliquis ſenſis Simonii adverſus Jayum fit medela, 403. Editio Textuum & Contextuum minime transfundit in Editorem hypotheſim Criticorum, 404. Unde ortum eſt ut Reſpublica Catholicorum provideretur Textibus Contextibuſque, *ibid.* Editor Pariſienſium inſimulatus ob prætermiſſionem Græcæ viralis, & Vulgatæ Latinæ juxta Romanas correctiones, 405. Satius ſi abſtinuiſſet a deſcriptione Paraphraſium, & quarundam elucubrationum Pochockii & Ludovici de Dieu, 406. Hocce Heptaglotton quando inceptum & abſolutum cum numero codicum, & licito ejuſdem uſu, *ibid.* Polyglotta Londinenſia ubi? quare? & a quibus edita, 407. Quomodo exhibeant Biblia novem linguis expreſſa, 408. Mentiuntur qui dicunt, in Pariſienſibus contenta, a Waltono fuiſſe recuſa, 409. *Quid Keri, & Ketib*, *ibid.* Quæ in Anglicanis, & nullimode in Pariſienſibus ſuppeditantur 410. Merito proſcripta, & quo ſcopo ab Anglo-ſeductoribus edita, 411. Quare nimia feſtinatione elaborata, 412. Hæreticorum Librorum lectio improbatur, 413.

§. IV. *De Bibliacis Manuſcriptis*. Quid de tot manuſcriptis quæ hodie a Recentioribus citantur, 414. Permulta pro antiquiſſimis venditantur, quæ revera ſunt recentiſ-

ſima 415. Quæ vere vetuſta ſunt, non ea tamen reapſe fruuntur perantiqua ætate ad quam referuntur, 416. Haud antiquitas ſolitarie inſpecta manuſcriptis auctoritatem conciliat, ſed aliæ conditiones examinandæ, 417. Oſtenditur Anglorum ſcriptorum credulitas circa antiquitatem Manuſcripti Alexandrini, 418. Diligentia adhibita a Patribus ſextæ Synodi probat conditiones in materia manuſcriptorum diſquirendas, 419. & 420. Idipſum aliis rationibus ſuadetur, 421. Longe facilius in exemplaribus reconditis, quam in publicis, menda quæ irrepſerant, perſeverarunt, 422. Hoc in rerum themate alia cautio & regula ſervanda, 423.

CAPUT V.

De uſu Regularum Sacræ Critices.

Tam de Regulis, quam de earundem uſu hic inſtituitur ſermo, 424.

§. I. *Ea quæ tribuunt facem ſuſcepto argumento præmittuntur*. Sacra Scriptura plures præſefert intelligentiæ ſenſus, 425. Quo ſenſu de præfato Regularum uſu excitetur quæſtio, 426. Inſpectio & collatio Biblicorum codicum quoad vulgatam melius intelligendam, longe diſtat quoad eandem examinandam & emendandam, 427. & 428.

§. II. *Præcipuæ Sacræ Critices Regulæ percenſentur cum earundem origine*. Dicteria quæ Eraſmus Roterodamus evulgavit, 429. Fundamenta Regularum critices, *neceſſitas linguarum*, *diligens conquiſitio Biblicorum codicum*, *& exacta eorundem collatio*, 430. Hujus ſyſtematis popularitas ſicut & aliæ regulæ a novatoribus evulgatæ proferuntur, 431. Percenſentur regulæ critices Catholicorum, 432. Oſtenditur quam longe a ſyſtemate Hæreticorum Brugenſis abfuerit, 433. Demonſtratur, Regulas Brugenſis ortum ducere ex ipſo Tridentinorum PP. decreto, 434.

AS-

Digitized by Google

ASSERTIO.

Uſus Regularum critices quoad effectum ſtabiliendi germanam lectionem in hodiernis fontibus ineptus, & vanus.

§. III. *Vanitas præfati uſus oſtenditur ex defectu linguæ Hebraicæ*. Temporis decurſu linguæ varia mutationum fata ſubire ſolent, quod maxime de Hebraica verificatum eſt, 435. Exemplum Latinæ linguæ minime ſuadet identitatem Hebraicæ hodiernæ cum vetere, 436. Exſcribuntur obſervationes Martianæi, & Druſii circa variationem pronuntiationis Hebraicæ, 437. Graviter inſtant adverſarii paritate linguæ Latinæ, 438. Peritia pronuntiationis multum confert ad intelligentiam linguæ, 439. Improbus Hieronymi labor pro Hebraica acquirenda, *ibid.* Hebraica hodierna haud ex Chriſtianis ad nos pervenit, 440. Opera Hieronymi elementis Maſorethicis conſpurcata, *ibid.* Uſus ſcribendi Libros Orientalibus elementis adſperſos a quo? & hujuſmodi inductus abuſus deploratur, 441. Maſorethæ lingua Arabes, & non ante undecimum ſeculum floruerunt, 442. Nemo Morino melius de rebus Judaicis inſtructus, 443. Conjectatur, nomen & Maſoretharum Hiſtoriam eſſe purum Judæorum figmentum, *ibid.* Vetus Hebraica ante decimum ſeculum evanuit, 444. Quod intelligitur de omnibus Judæis, ſive doctis ſive de vulgo, & ubique terrarum diſperſis, 445. Joannes Gurtlerus ſtudium Hebraicæ plus æquo commendans de blaſphemia convincitur, *ibid.* Deſcribitur ſucceſſio Doctorum, quam Judæi a Moſe uſque hodie duraſſe confingunt, 446. Nonnulla hujus confictæ ſucceſſionis ſpecimina ſuppeditantur, 447. Toto tempore Gheonatus ſtudium Hebræi Textus & Hebraicæ linguæ apud Judæos oblitum & ſepultum, 448. Licet Maſorethæ Hebræo Textui ſubſtituerint puncta, & digeſſerint Grammaticam Hebraicam, nequit tamen aſſignari medium idoneum quo rite id perfecerint, 449. 450. Sed præpoſtere & inepte, cujus occaſione expli-

Digitized by Google

catur modus ſcribendi ſine vocalibus intermediis, 451. Maſorethæ omnia prope ſua ab Arabum Grammaticis mutuati ſunt, 452. Hypotheſis effingitur ut clarius oſtendatur tum methodus a Maſorethis excogitata, tum diſtantia inter Hebraicam Maſorethicam & Hebraicam veterem, 453. & 454. Quod a nobis confictum eſt ſuper linguis Italica & Latina, Maſorethæ facto præſtiterunt reſpectu Arabicæ & Hebraicæ, 455. Proferuntur nonnulla ſpecimina vitiorum in quæ Maſorethæ offenderunt, *ibid.* Improbatur exceſſus qui hodie viget circa ſtudium Hebraicæ, 456. Recentiores Hebraiſtæ eadem cum Maſorethis ſunt in navi, 457. Suppeditantur ſpecimina probantia veterem Hebraicam abeſſe a Recentioribus, 458. Mirabilis Recentiorum diſſentio circa eundem Hebræi locum, & quoad ejuſdem Grammatices regulas, 459. Ipſimet Critici fatentur inſtabilitatem hodiernæ Hebraicæ, 460. Præfata aliis linguis orientalibus adaptari poſſunt, 461.

§. IV. *Vanitas ejuſdem uſus petitur ex defectu Biblicorum codicum.* Quid hac ſuper re Critici ſtatuant, quidve præſtiterint Maſorethæ, Robertus Stephanus, Brugenſis, & PP. Maurini, 462. Quod ſtatuunt eſt obſervatu difficillimum, 463. Critici poſteriores haud contenti codicibus editis a prioribus, eccur, 464. Qua lege commendant inſpectionem codicum, eadem probant ſuam moroſitatem & vanitatem, 465. Critici dicunt & non faciunt, ubi de illo Vulgatæ *Fiat firmamentum*, 466. Eo exemplar aliquod æſtimatur melioris notæ quo majori antiquitate fruitur, 467. Difficile invenitur codex talis quo Critici contenti ſint, 468. Criticorum præjudicia quibus ſuadent collationem fontium & verſionum, 469. Omnia exemplaria Hebræa quæ nunc habemus, Maſorethica; & aliarum verſionum lacunoſa, ſicque irriti Criticorum niſus, 470. Cur hodierni Textus & Contextus non ita diſcordent ad invicem atque deberent, 471. Circulus quem Critici committunt, *ibid.*

§. V. *Ejuſdem Sacræ critices vanitas cruitur ex defectibus*

Digitized by Google

bus eorundem Criticorum. Duo graviſſima Criticorum præjudicia, 472. Lectio divina una eſt, quam nullus privatus ſpiritus valet tuto ſeligere, aut interpretari, 473. Non licet hodie revocare in dubium vel minimam lectionem Vulgatæ correctæ, 474. Nemo idoneus Scripturarum interpres niſi divinis rebus addictus, 475. Neque qui vivit ſecundum ſenſus carnales; ubi de diſcrimine veterum PP. a Novatoribus, 476. Requiritur peculiare Spiritus S. lumen, 477. Vindicatur teſtimonium Hieronymi a cavillis Sarpii, aliorumque, 478. Criticorum principes præfato cæleſti dono deſtituti, *ibid.*

§. VI. *Maximum expenditur graviſſimumque Hæreticorum momentum.* Opponitur neceſſitas & utilitas regularum ſacræ critices ſimulque citantur Amama, Sarpius & Courayer criminantes diſpoſitionem Concilii Trident., 479. Omnes regulæ ad ſtabiliendam germanam lectionem hodie ſpernendæ & devitandæ, 480. Ad ſtabiliendam germanam lectionem perfectius medium S. Synodus ſelegit, 481. Potiſſima momenta quæ excitarunt S. Synodum ad Vulgatam veterem probandam, ſimulque perpoliendam, 482. Commentum Sixtini Amamæ percenſetur & refellitur, 483. Quantum Hæreticorum ſyſtema detrahat Romanæ Eccleſiæ, *ibid.* Deſcribitur Pauli Sarpii in fabulando calliditas, 484. Quomodo cantarit pro Hæreticis, 485. Quomodo ſtuduerit detrahere PP. Tridentinis, & Vulgatæ, 486. Ejuſdem artificia enudantur, 487. 488. Notatu digna, 489.

§. VII. *Aliis Criticorum ſpiculis fit ſatis*. Definiuntur fructus boni & mali quos Critici pepererunt, 490. Cuinam hac in parte nota temeritatis apprime quadret, 491. Longe exactius valuerunt exercere criticen Origenes & Hieronymus, quam omnes Recentiores, 492. Diſcrimen inter Romanos Correctores & alios Criticos, 493. Licet uſus critices ſit irritus quoad ſtabiliendam lectionem, minime tamen quoad Vulgatam intelligendam, 494. Expenditur textus Auguſtini commendantis inſpectionem fontium, & e-

juſ-

Digitized by Google

juſdem exemplo carpitur Criticorum moroſitas, 495.

§. VIII. *Poſtremum objectum hodiernorum Hæreticorum.* Jactatur Vulgatæ mendoſitas, ubi a codicibus Biblicis hodiernis diſcordet, 496. Ad exactam criſin revocatur hæc Vulgatæ lectio : *Ipſa conteret caput tuum*, 497. Ab Helvico Bellarminus, & a P. Natale Fraſſenus acriter reprehenduntur, *ibid.* Adverſus præfatam Vulgatæ lectionem proferuntur monumenta Patrum, 498. Sententiæ Recentiorum, & rationes Theologicæ, 499. Iterum ab Helvico Bellarminus, a P. Natale Fraſſenus, omneſque Catholici ab Hæreticis propter eandem lectionem inſimulantur, *ibid.*

Reſpondetur ad propoſitum Argumentum.

Detegitur falſum ſuppoſitum quo adverſarii laborant, 500. Textus Hebræus ab initio aduſque Hieronymum legit *ipſa*, 501. & *ſeqq.* Quam vocem pariter conſecravit primitiva Eccleſia Græca & Latina, 502. 503. Hieronymus in ejus nova verſione religioſiſſime retinuit, 504. Omnia celebriora Latina Biblia a Catholicis uſque hodie edita conſecrant, *ibid.* Nil refert quod Hebræus hodiernus habeat *ipſe*, 505. 506. Emoventur lapilli Helvici, & Natalis ab Alexandro, *ibid.* Recentiorum ſtudio Contextus Biblici legunt *ipſe* vel *ipſum*, 507. Veteres PP. in ejus Autographis *ipſa* conſignarunt, 508. Quare recentiores editores veterum PP. apud aliquos, & non omnes ſubſtituerunt *ipſo*, 509. Nonnulli Theologi hac in parte non adhibuerunt exactam Criſim, & Hæretici oſtendunt eſſe imperitos ſenſuum Scripturarum, 510. *Ipſa* ad Deiparam rite refertur, 511. 512. Alii floſculi eradicantur, 513. *Ipſa* Deipara opitulante protegit authentiam Vulgatæ, 514.

CATALOGUS

Auctorum quorum nulla tomo præcedenti ſpecialis memoria occurrit.

S. Athanaſius editionis Pariſienſis an.1608.ad cœlum migravit 2. Maji anno Chriſti 373.

S. Baſilius edit. Pariſienſ. 1603. ad ſuperos evolavit Kalendis Januarii 378.

V. Beda edit. Coloniæ Agrippinæ 1688.mortuus an.735.

S. Bernardus edit. Pariſienſ. 1645. obdormivit an. 1153.

Bernardus Lamy in Apparatum Biblicum edit.Venet. 1738. obiit 29. Januarii 1751.

Bibliotheca Patrum edit. Lugdunenſ. 1677.

Brugenſis (Lucas) in Comment. Evang. edit.Antuerp. 1606. obiit 1619.

Bullarium edit. Romanæ 1739.

S. Cyprianus edit. Pariſinæ 1603. martyrio coronatus 14. Septemb. 258.

S. Cyrillus Alexandrinus edit. Pariſienſ.1604. cælica regna vidit an. Chr. 444.

S. Ephrem edit. Romanæ 1732. cælum penetravit circa ann. 379.

Jacobus Le Long in Bibliothec. Sac. edit. Pariſ. 1723. ſupremum diem vidit 13. Auguſti 1721.

S. Joan. Chryſoſtomus edit. Pariſ. 1581. terreno exilio abſolutus 14. Sept. 407.

Paulus Sarpius in Hiſtor. Concil. Tridentini edit. Genevenſis an. 1660. Cum notis Franciſci Le Courajer edit. Abaslenſis 1738. e vita diſceſſit 14. Januar. 1623.

S. Petrus Chryſologus edit. Lugdunenſis 1633. poſtremum diem clauſit circa an. 458.

Photius in Biblioth. edit. Colon. 1611. Sedem Conſtantinopolitanam fœdavit aduſque ann. 885.

Ru-

Digitized by Google

Rupertus Abbas edition. Colon. 1602. efflavit animam ann. 1135.

Theodoretus edit. Pariſienſ. 1608. obiit circa an. 452.

Thomas Milante ſuper Sixtum Senenſem edit. Neapolitanæ 1742. lumina clauſit 1749.

MONITUM.

Honeſta retractatio turpi inconſtantia potior : ea de re proprium errorem reprehendere non erubeſco in eo quod Tomo præcedenti Cap. II. num. 169. pag. 212. lin. ultima ſcripſi: Hieronymus in emendando novum Teſtamentum haud uſus eſt præſidio ſolius Græci Textus, ſed cæterarum verſionum Latinæ, Syriacæ, Arabicæ &c. *Verum enim vero re nondum exacto ſcrutinio inſpecta & librata, credidi non tam Waltono quam etiam pleriſque Recentioribus etiam Catholicis, qui initia Syriacæ & Arabicæ a primis Eccleſiæ ſeculis arceſſunt; quum vero ex dicendis cuique ſuaſum iri exiſtimem, Syriacam verſionem, uti hodie profertur a Criticis nimirum ab Hebræo Textu diſtincta, longe probabilius Hieronymo non innotuiſſe, & multo minus Arabicam, idcirco allegata mea verba pro expunctis in præſentia habeo, quibuſque ſubſtitues iſta:* Hieronymus in emendando novum Teſtamentum haud uſus eſt præſidio ſolius Græci Textus, aut unius exemplaris; ſed plurimorum vetuſtiorum Græcorum, Latinorum, atque etiam Commentariorum Superiorum Patrum, aliorumque Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui pro data occaſione loca novi Teſtamenti in ſuis operibus conſignarant, tunc ſolummodo ad Græca exemplaria recurrens, quum animadvertit Latinos codices ad invicem variare. *Item num. 215. pag. 269. lin. 18. ita leges :* In quatuor columnis Tetraplæ e regione deſcripſit primo loco editionem Aquilæ, ſecundo loco editionem Symmachi, tertio loco editionem Septuaginta, quarto tandem Theodo-

tio-

tionis. *Item in conſpectu operis pag. XVIII. l. penult. dele:* non ita tamen Synagoga. *Sicut etiam in Indice pag.* 312. *col.* 1. *l.*19. *hac alia*: & tandem rejecta. *Alia minoris momenti, ſi Deus adjuverit, recenſioni ſubjiciemus.*

Quantum vero ad præſentem tomum adtinet, ut ei, cujus mandatis parere religioſiſſimum eſt, morem geram, omnes monitos eſſe velim: germanum ſenſum hujus ſententiæ, quæ ſiſtit Capite V. §. VIII. initio numeri 506. Exeant modo e ſuis caſtris Lutherani, & Calviniſtæ &c. *non eſſe, quod ſit hæreſis Lutheranorum & Calviniſtarum aſſerere aut tenere, Geneſ. III. v.* 15. *legendum* ipſe *ſive* ipſum, *ex eo quia* Hebræus præfert genus maſculinum in pronomine, in verbo, & in affixo; *quandoquidem, ut omnes bene norunt, hujuſmodi ſententia ab Eccleſia nuſpiam virgula cenſoria taxata eſt, neque hæreſim ex ſe ſe ſapit, & inſuper nonnulli quoque viri docti de Romana communione interdum eam protulerunt, ut videre eſt apud P. Natalem ab Alexandro ſec. IV. Hiſtor. Eccleſ. Diſſert. XL. art. IV. Tom. IX. pag.* 260. *Hoc itaque pacto & non aliter ea accipienda eſt, quo intelligatur, a Novatoribus primo, potiſſimum, & non ſine pravo conſilio fuiſſe obtruſam, acerrimeque defenſatam, ut nimirum hujuſmodi velamento ſibi viam ſtraviſſent ad traducendam Vulgatam veterem, ſicque ingerere mundo*: Controverſias, quæ inter Catholicos & Proteſtantes ſuboriuntur in rebus fidei & morum, haud ad normam Vulgatæ veteris, qua Romana Eccleſia utitur, dirimendas fore; bene vero hodiernorum fontium Hebræi veteris Teſt. Græcive novi, *quod quam longe ſit a veritate alienum, quotve ingentibus ſcopulis Eccleſiam Chriſti exponat, inter alios erudite graphiceque commonſtrarunt Sixtus Senenſis Lib. VIII. Bibliothec. S. Hæreſi XIII. ſub init. Tomo II. pag.* 1099., *& Melchior Canus Lib. II. de Loc. Theol. Cap. XIII. pag.* 53. *& ſeqq. Quodve ni error me capiat, in cauſſa fuit, ut Bellarminus, Gretſerus, Gordonus, Marinus Merſennus, Do-*

minicus Gravina, *Joannes de la Haje*, *Ioſeph Turre*, *Claudius Fraſſenus*, *Benedictus Fernandus*, *Vincentius Gotti*, *Antonius Boucat*, *& prætermiſſis multo pluribus clariſſimis Theologis*, *nuperrimus Adnotator in Annales ſacros Tornielli Auguſtinus-Maria Negri* , *tam ſententiam de legenda voce* ipſe *vel* ipſum, *quam argumenta quibus nititur* , *abſolute*, *amicoque conſenſu ad Proteſtantes amandent*, *quibus bonum mihi viſum fuit conſilium adſtipulari* , *ſcribens*: Exeant modo e ſuis caſtris Lutherani & Calviniſtæ &c. *Pari penitus lege velim intelligas hæc alia poſita num.* 514. *pag.* 344. *l.* 16. aliiſque Recentioribus adhibita ſunt.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIONES ORDINIS.

NUtibus obſequens Reverendiſs. Patris Clementis a Panormo Miniſtri Generalis totius Ordinis S.P.N.Franciſci Secundum Tomum prænotatum : *Triplex Biblico-Critica Demonſtratio* , *in qua Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognita* , *& Clementis VIII. auctoritate edita non vitioſa demonſtratur &c. ab A. R. P. F. Bonaventura Setaro a Magdalono Reform.Provinciæ Neapolis Lectore Emerito ac Scriptore Seraphici Ordinis* , ea qua par eſt animi attentione verſavi ,& vere deprehendi hypotheſim Criticorum contendentium : *In Vulgata Clementis ſupereſſe menda ad fidem hodiernorum Fontium corrigenda* , nihil habere ſubſiſtentiæ , nihilque roboris; quinimmo omnes ferme decipulas, & cavillationes , quas tam Primates , quam recentiſſimi Neotericorum in detrimentum Romanæ Sedis excogitarunt , perſpicuitate ſimul, & ubertate ſermonis Auctor referat , refellat, exſufflet ; aequilanci penitiuſque libret cujus ſint penſi tot variantes Scripturarum lectiones gracilento præſidio Biblicorum Contextuum recenter extumulatæ , ab ovo deſcribat propagationem Hebraicorum Voluminum , & Hebraicæ linguæ , quibus hodierni Critici plus æquo confidunt ; eoſdem ſibi gratulantes propter adjumentum ſuarum Regularum vulgo *Sacræ Criticæ* abunde , ſolideque compeſcat ; quod tandem præ cæteris ſingulare , legat, & videat, ſive Judæus, ſive Hæreticus , ſive Catholicus , utrum principiis ſibi , & Eccleſiaſticæ Traditioni conſtantibus allegata hypotheſis innitatur? Reor propterea eidem Operi plane erudito , & maxime hac noſtra ætate neceſſario & perutili, nonniſi prælum optari, ſi ii ad quos jure idem ferant judicium.

Datum Neapoli in Regali Conventu Sanctæ Crucis de Palatio Kalendis Auguſti ann. 1761.

F.Seraphinus a Cerifano Lector Emeritus , ac Diffin.Generalis.

MAndatis obtemperans Reverendiſſimi Patris Clementis a Panormo Miniſtri Generalis totius Ordinis S. P. N. Franciſci alterum Tomum Operis inſcripti : *Triplex Biblico - Critica Demonſtratio in qua Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognita* , *& Clementis VIII. auctoritate edita non vitioſa demonſtratur* , *ab A. R. P. F.Bonaventura Setaro a Magdalono Min. Reformat. Provinciæ Neapolis Lectore Emerito ac Scriptore Seraphici Ordinis* , non minori animi voluptate quam attentione perlegi : quumque ingenioſus Auctor eadem ſingulari eruditione, rationum pondere, ac ſoliditate ſuſceptum utiliſſimum argumentum evolvere ac illu-

Digitized by Google

luſtrare pergat, quemadmodum in primo Tomo feliciter eſt exequutus: nihilque in toto opere contineatur vel Fidei Dogmatibus vel piis ſanctiſque moribus contrarium; idcirco dignum cenſeo, ut ad communem utilitatem Typis evulgari publice poſſit, & valeat. Si ita quoque &c.

Romæ ex Conventu S. Franciſci ad Ripas Tyberis 7. Julii 1761.

F. Carolus-Bonaventura a Roboreto Sac. Theol. Lector Generalis & Secretarius Curiæ Generalis PP. Reformatorum.

F. Cle-

Digitized by Google

Fr. Clemenens a Panormo Lector Jubilatus , Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matritenſi pro Immaculata Conceptione Theologus , totius Seraphici Ordinis S. P. N. Fanciſci , Miniſter Generalis , Commiſſarius Viſitator , Reformator Apoſtolicus .

CUm a duobus Patribus Theologis de Ordine noſtro revisſus , & approbatus fuerit ſecundus Tomus Operis , cui titulus eſt : *Triplex Biblico - Critica Demonſtratio &c.* a R. P. Bonaventura Setaro a Magdalono noſtræ Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito ac Scriptore noſtri Seraphici Ordinis compoſitus , præſentium tenore facultatem ipſi tribuimus , quatenus , ſervatis ſervandis eundem typis mandare poſſit , & valeat.

Datum Romæ ex Aracæli die 7. Auguſti 1761.

Fr. Clemens de Panormo Miniſter Generalis.

Loco † Sigilli.

De Mandato Reverendiſs. in Chriſto Patris
Fr. Hieronymus a Francavilla Secretarius Generalis.

Adm.

Digitized by Google

Adm. Rev. P. D. Proſper de Aquila S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 26. Septembris 1761.

PH. EPISC. ALLIFANUS VIC. GEN.
JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISS. REVERENDISS. DOMINE.

TRiplex Biblica Demonſtratio Adm.Rev.P.Bonaventuræ a Magdalono, cujus judicium a me fieri juſſit E.T., eo tendit, ut Vulgatæ Editionis αὐθεντίαν pro aris, & focis, quemadmodum Catholicum Theologum decet, defendat. Eamque præterea adverſus noſtri Ævi eruditos non præfert tantum cæteris Latinis verſionibus, ſed ipſiſmet Textibus originariis, quos fœdatos, corruptoſque tuetur. In qua opinione promovenda, quibus curis, ſtudiiſque Auctor uſus fuerit, ex eo patet, quod in faſciculum coegerit, quæ hinc inde in vetuſtis, recentioribuſque Scriptoribus ſparſa leguntur. Illud demum Auctoris laudi vertendum maxime eſt, quod ne pugnantia quædam primum inter & ſecundum Tomum videretur edidiſſe, monituſque de nonnullis uberiori luce indigentibus, correctiones ex ſeſe, explicationeſque, ingenuorum Scriptorum veſtigia ſequutus, ad operis calcem ſubnectere minime renuit. Opus idcirco prælo dignum, ſi E. T. adceſſerit auctoritas, cenſeo.

Ex Monaſterio Montis-Virginis XIII. Kal. Septemb. 1762.

Humillimus Cliens
D. Proſper de Aquila.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum Neap. die 19. Auguſti 1762.

PH. EPISC. ALLIFANUS VIC. GEN.
JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.
Adm.

Digitized by Google

Admodum Rev. P. D. Proſper de Aquila Congregationis Montis Virginis in hac Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 13.*Auguſti* 1761.

NICOLAUS DE ROSA EP. PUTEOL. CAP. MAJ.

S. R. M.

TUis, Rex Sereniſſime, pariturus mandatis, cum Volumen II. Operis inſcripti: *Triplex Biblica Demonſtratio &c.* oculis, & mente ſedulo perluſtraſſem; non modo Regiis juribus doctum Auctorem obſequentiſſimum, ſed Religionis quoque vindicem acerrimum, ut decet, deprehendi. Nam in primo Volumine, Venetiis edito, omni argumentorum genere hodiernorum Codicum Hebraicorum, Græcorumque corruptelam oſtendit adverſus Proteſtantes, qui Vulgatam noſtram Editionem ſpernentes, Hebraicos dumtaxat, Græcoſque fontes audiendos, ſectandoſque contendunt: quoſque demum controverſiarum fidei, morumque finiendarum Regulam, judicemque ſolos agnoſcunt. Præterea Vindicias, doctrinarum copia, & eruditione refertas, laudati primi Voluminis in cenſuram Proteſtantium Tubingentium, ægre Auctoris ſyſtema ferentium, elucubravit. In hoc II. Volumine (cujus judicium meæ præſertim provinciæ eſt) omnia reſpondent in primo Volumine promiſſis; & quoad poteſt, adſcitis ab antiquitate præſidiis, ubertim demonſtrat, cujus auctoritatis eſſe poſſint Orientales omnes verſiones hactenus evulgatæ, & quanti habenda ſit antiqua Itala; ubi quoque Proteſtantium hypotheſim convellit iiſdem, quibus nititur, fulcimentis. Hinc tantam eſſe Operis utilitatem, tantamque ſupellectilem eruditionis, & doctrinæ, ex antiquitate erutam, atque rationum pondus, cenſeo, ut nihil ſit, quod ejus editionem remorari valeat. Ex Monaſterio Montis Virginis Neap. III. Kal. Decemb. 1761.

Numini, Majeſtatique tuæ devotiſſimus

D. Proſper de Aquila Reg. Prof.

Die

Digitized by Google

Die 9. menſis Decembris 1761. Neapoli.

Viſo reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 5. currentis menſis, & anni, ac relatione Rev. D. Proſperi de Aquila, de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica, hoc ſuum.

FRAGGIANNI. GAETA. SCASSA.

Spectabilis Præſes S. R. C. Romanus tempore ſubſcriptionis impeditus.

Reg. f. 104.
Carulli.

Athanaſius.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De integritate Biblicorum Contextuum, nimirum verſionis Italæ, Textus Samaritani, Targumim, verſionum Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, Perſicæ, Copticæ, & Armenicæ.

249. Ut enim noſtris Criticis arridet majorem fidem præſtare hodiernis fontibus Hebræi veteris Græcive novi Teſtamenti, necnon verſioni Septuaginta, quam Vulgatæ Clementis VIII. qua hodie Romana Eccleſia utitur, ita conſilio fuit in ſuperiori Tomo affatim & fuſo calamo, ſcilicet tribus diſtinctis capitulis turbidum fluxum eorundem ponere in apricum: ut vero iidem minus confidunt cæteris Bibliorum Contextibus, puta verſioni Italæ, textui Samaritano, Targumim ſive paraphraſibus Chaldaicis, verſionibus Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, Perſicæ, Copticæ, & Armenicæ communi fere voto ſtatuentes, minime authoritati primigeniorum Textuum eos coæquandos fore, ſed dumtaxat nobis adjumento & præſidio eſſe, ut valeamus, ubi codices Textuum diſcrepant, invenire ac ſtabilire germanam le-

Digitized by Google

ctionem, & inſuper ubi cum fontibus hodiernis ipſi congruunt & a Vulgata Clementis diſcrepant, ibi lectioni fontium magno ſuffragio eſſe, ſicque adverſus Vulgatam diſcrepantem præfatam lectionem firmare, ita de hiſce Bibliacis Contextibus preſſiori ſtylo, ſub uno ſcilicet capitulo, nobis ſermo erit.

§. I.

De integritate verſionis Italæ.

Priuſquam ad turbidum fluxum Vulgatæ veteris deveniamus, operæ pretium duco nonnulla ad ejuſdem originem attinentia, præmittere.

250. *Nota I.* Satis recepta opinio eſt, quod ab ipſis Eccleſiæ Chriſti primordiis editio Latina Bibliorum, apud primitivos Chriſtianos per occidentalem plagam diſperſos, in publicis ac privatis lectionibus in more fuerit. Quomodo enim ſine Scriptura Latino ſermone verſa potuiſſet tunc Latina Eccleſia conſiſtere? quis ſibi ſuadebit, Linum ex Latinorum genere ſanctitate & doctrina præditum, & e vivis ſublato Apoſtolorum Principe ſuffectum in Romanam Cathedram, pati voluiſſe, ut ſui gentiles Bibliaco codice, nativo politiorique ſermone conſcripto, carerent? Hinc Serarius affirmat (*a*): Latina Bibliorum editio *ab aliquo vel aliquibus ſi non Chriſti, ejus certe Apoſtolorum diſcipulo vel diſcipulis conſtructa fuit, Eccleſiamque Romanam* omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram *naſcentem aluit, adoleſcentemque firmavit, & roboravit.* Laurea dicit (*b*): *Eccleſiam Latinam non potuiſse tempore S. Petri eſse ſine Scriptura Latina.* Fraſſenus (*c*): *Quis ambigere poterit Eccleſiam Romanam, quæ prin-*

(a) *Proleg. Bibl. cap. XIX. quæſtiun. VIII. pag.* 111. *col.* 2.
(b) *Tract. de Fide diſput. III. art. V.* §. *IV. n.* 195.
(c) *Diſquiſ. Biblicis cap. VI.* §. *I. pag.* 295.

Digitized by Google

principem inter Eccleſias locum ſemper tenuit, & antiquarum traditionum tenaciſſima fuit, divinas Scripturas, quibus maxime firmari debebat, & formari, ab Apoſtolorum Principe ſuo fundatore & inſtitutore non habuiſſe in vernacula ſibi lingua transfuſas; aut ſaltem ab aliquo ejuſdem Apoſtolorum verticis diſcipulo, qui vetus ac novum Teſtamentum Latine redditum Eccleſiæ Romanæ omnium Eccleſiarum capiti, & matrici conſignaverit ad poſteros continua ſucceſſione propagandum? Emin. Gotti (*a*): *Procul dubio factum eſt, ut Chriſtiani, quibus Latina lingua per Orbem dominans erat vernacula, habuerint ſacram Scripturam idiomate ſibi connaturali translatam in ipſis Eccleſiæ exordiis.* Et iterum (*b*): *Probabile eſt antiquiſſimam fuiſſe, & in Eccleſia Romana ab ipſis Apoſtolorum temporibus frequentatam.* Auguſtinus Calmetius necnon alii Catholici idem ſentiunt, & ex Hæreticis Waltonus ejuſdem eſt labii: *Probabile*, inquit (*c*), *tamen eſt ipſam* (verſionem Latinam) *ab ipſis Eccleſiæ primordiis in uſu fuiſse, cum Eccleſia Latina ſine verſione Latina eſſe non potuerit, eamque Eccleſia Romana, quæ principem inter Eccleſias locum ſemper tenuit, & antiquarum traditionum tenaciſſima fuit, in communi uſu reciperet* (*d*).

251. Penitus ignoro quo novitatis ſpiritu motus fuerit Joannes Millius ad abripiendam e medio præfatam receptam opinionem, quæ initia Latinæ verſionis ad tempora Apoſtolorum refert. *Per annos*, inquit (*e*), *a fundatione Eccleſiæ Latinæ uſque ad conſtitutionem Canonis novi Teſtamenti fere quinquaginta, nequidem cogitatum fuiſſe de ſcriptis Evangeliſtarum & Apoſtolorum in unum colligendis, multo minus de transferendis ipſis in alias linguas; tum vero naſcenti huic Eccleſiæ neutiquam opus fuiſſe Latina verſione.*

A 2 Fi-

(a) *De verit. Relig. Tom. II. cap. VI. §. I. num.* 1. *pag.* 124.
(b) *Loc. cit. cap. VII. §. I. n.* 7. *pag.* 141.
(c) *Proleg.* 10. §. 1. *pag.* 351. *col.* 2.
(d) *Vide n.* 372.
(e) *Proleg. in Nov. Teſt. §. verſio Italica pag.* 41.

Digitized by Google

Fidelibus nimirum, qui jam Romæ agebant Advenis Judæis, Ægyptiis, aliis quibus lingua Græca familiaris nota erat, ac plane vernacula. Quod idem & de Provincialibus, aliarumque quarundam Orbis partium Chriſtianis dicendum. Notum illud Poetæ : Nunc totus Grajas habet Orbis Athenas (*a*) . Et paulo infra : *Vix certe eſt ut editam cenſeamus* (verſionem Latinam) *ante tempora Pii Papæ. Erat quidem is tum Italus gente, tum & Latinorum primus (ipſi enim Pontifices hucuſque Græci fuerant) qui diutius paulo per annos dico quindecim Eccleſiæ res adminiſtrarat. Neque abſimile veri eſt ab ipſo demum procuratam fuiſſe hanc verſionem, aut ſaltem aliquam ejus partem.*

252. Quæ Milliana momenta D. Petrus Sabatier paucis ab hinc annis occupare conatus fuit, ſed utrum feliciter ex ſequentibus quiſque eruere ex ſe ſe poteſt. *Concedam libenter*, inquit (*b*), *fortaſſis nonniſi poſt plurimorum annorum intervallum de admittenda in uſum publicum aliqua præ cæteris Bibliorum translatione habitam fuiſſe deliberationem: at ante eam deliberationem, & ante Pii Pontificis tempora, fuiſſe Scripturarum interpretationem, qua Romani præ cæteris uterentur, quæcunque illa fuerit, & quocunque inſignita nomine, nemo certe negaverit. Itaque ſi qua Pio Pontifice habita eſt deliberatio de translationibus Bibliorum, haud certe habita eſt de conficiendis translationibus, quæ jampridem confectæ, & in uſu publico erant. Melius igitur & rectius ſcripſiſſet Millius deliberatum fuiſſe (ſi tandem deliberatum eſt) de una aliqua ex multis deligenda Scripturæ interpretatione, quæ poſthabitis aliis in uſum publicum admitteretur; hancque interpretationem, non recens confectam, ſed tunc primum, quamvis antea in uſu eſſet, ſolemni Romanorum Summique Pontificis judicio comprobatam prodiiſſe; atque hinc illi deinceps Italæ nomen fuiſſe, quod ab Italis hæc interpretatio appro-*

(a) *Juvenal. ſat.* 15.
(b) *Præfat. ad veterem Italicam* §. *III. num. XXIV. pag.* 11.

Digitized by Google

probata, & *in uſum publicum*, *poſthabitis aliis omnibus*, *eſſet admiſſa*. *Exemplo eſſe poteſt Vulgata noſtra*, *quæ profecto extabat*, *priuſquam ſolemni Eccleſiæ judicio in Synodo Tridentina*, & *approbatione ſola*, *quam ſequi deberent*, *omnibus proponeretur*. Hactenus Sabatier.

253. Ego autem principio velim oſtendatur mihi, & quidem legitimo ratoque teſtimonio quonam anno, loco, & a quibus facta fuerit ea conſtitutio canonis Novi Teſt. de qua loquitur Millius, ut inde ex actis hujus conſtitutionis, ſi quæ fuerit (quum revera me penitus lateat) poſſimus, quæ Millius recenſet, noſtris probare oculis, eique adaptare rationabilem reſponſionem. Namque in primordiis Eccleſiæ Chriſti Canones ab Apoſtolis confecti nobis primo occurrunt; quod ſi poſtea de his Millius loquitur, inſcitiſſime mentitur dicens: *Ne quidem cogitatum fuiſſe de ſcriptis Evangeliſtarum* & *Apoſtolorum* &c. quoniam Canone LXXXIV. hæc habentur (*a*): *Noſtra autem*, *ideſt Novi Teſtamenti*, *Evangelia quatuor*, *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, *Joannis*, *Pauli Epiſtolæ quatuordecim*, *Petri Epiſtolæ duæ*, *Joannis tres*, *Jacobi una*, *Judæ una* &c. (*b*).

254.

(a) *Apud Harduinum in Hiſt. Concil. Tom. I. pag.30. col.2. E.*

(b) *Non latet Canones Apoſtolorum Recentioribus eruditis multis nominibus eſſe ſuppoſititios*, & *potiſſimum laudatum Canonem LXXXIV.*, *in quo e contra receptiſſimam Eccleſiæ ſententiam*, *inter Libros Canonicos numerantur etiam Liber tertius Machabæorum*, & *duæ Epiſtolæ Clementis*; *verum hujuſmodi manifeſtiſſimum mendum*, & *conſimilia*, *quæ aut ſcribarum oſcitantia*, *aut audacia ſciolorum*, & *Hæreticorum malitia in præfatos Canones olim irrepſerant minime ſunt in cauſſa*, *ut pro pſeudepigraphis*, & *ſuppoſitis eos abſolute habeamus*: *ſicuti nullus vir cordatus hactenus viſus eſt*, *qui ad Apocrypha dimiſerit codices fontium Hebræi Veteris Teſtam. Græcive Novi propter vitia*, & *quidem permulta*, *quæ in eiſdem inveniantur*: *Credunt quoque Recentiores*, *quod nullus veterum PP. priſcorum ſeculorum Eccleſiæ præfatos Canones ſubodoratus fuerit*, *quum e contra perſpectum ſit priſcos Romanos Pontifices Anacletum*, *Alexandrum*, *Julium*, *Eleutherum*, *Marcellum*, *Fabianum* &c. *in ſuis Decretalibus Epiſtolis non ſemel meminiſſe*: & *S. Athanaſius* (*prætermiſſis aliis*) *in ſuis Opuſculis*, *potiſſimum Epiſt. ad Orthodoxos pag. 169.* & *170. talia proferat*, *ut cuique innoteſcat ibi diſerte eum loqui de Canone XXIX. LXXIII.* & *LXXIV.*

Apo-

254. *Tum vero*, pergit, *naſcenti huic Eccleſiæ neutiquam opus fuiſſe latina verſione Fidelibus*, *nimirum &c.* Aut enim præfatis verbis nititur ſuadere, quod Fideles qui tunc Romæ agebant erant tantum ex Judæis, ex Ægyptiis, aliiſque advenis, quibus lingua Græca erat familiaris & vernacula; aut quod lingua Græca familiaris erat, & vernacula omnibus Fidelibus tunc Romæ habitantibus ſive nationalibus, ſive advenis: non aliud profecto, ni me propria fallit opinio, Milliana verba præſeferre queunt. Si voluit indicare primum, quis feret ipſius ſententiam non ludibrio, & ſtomacho excipere, quum pene intolerabile ſit auſcultari, Romanam Eccleſiam Apoſtolorum temporibus conſtitui ex iis tantum fidelibus, qui aut ex Judæa, aut ex Ægypto, aut aliis Orientalibus regionibus venerant Romam, ibique agebant, quaſi quod nullus Romanus genere & finitimarum provinciarum, ſacro baptiſmatis lavacro luſtratus fuerit? ſi ſecundum ei opponam totam Latinorum Scriptorum ſeriem, qui floruerunt ab anno Urbis conditæ 514. puta 229. annis ante Chriſtum, aduſque 117. a Chriſto nato, quorum Jacobus Facciolati ſeptua-

Apoſtolorum. Eiſdem Criticis arriſit appingere recentioribus editionibus Decreti Gelaſii Papæ hanc ſententiam, Canones Apoſtolorum Apocryphi; *quod quam perperam, ſatis arbitror evincere ex eo quod Bullarium Romanum noviſſime editum Romæ an. 1739. typis S. Michaelis, proferens Tomo II. pag. 942. Decretum Gelaſii in Synodo Romana de Libris ab Eccleſia recipiendis rejiciendiſque quam fideliſſime exſcriptum ex antiquiſſimo Codice Palatino Venerab. Bibliotheca Vaticanæ num. 493. fol. 101., nullimode evulgatæ neniæ recordatur: & inſuper ſi Gelaſius vere ad Apocrypha amandaſſet Canones Apoſtolorum, haudquaquam Juſtinianus Auguſtus, S. Iſidorus Hiſpalenſis, Trullana Synodus, S. Joannes Damaſcenus, ſeptima Oecumenica Synodus, aliique probatiſſimi veteres, qui non longe poſt Gelaſii tempora floruere, cuſtodiam præfatorum Canonum impenſe conceptiſque verbis commendaſſent. Noſtra itaque ſententia eſt octoginta quinque Canones Apoſtolorum collectos a S. Clemente, ſecluſis iis quæ aperte falſam doctrinam præſeferunt nuſpiam ab Eccleſia Catholica receptam, minime eſſe pſeudepigraphos, ſive Apoſtolis ſuppoſitos; nobis haud paucis viris de Eccleſia Romana præeuntibus, inter quos Annotator Gratiani apud Decret. Diſt. XVI.*

ptuaginta nominatim recenſet (*a*): porro in confeſſo eſt apud omnes, hoſce ſeptuaginta Latinos Scriptores pro iis potiſſimum ſuas operas elucubraſſe, quibus præfato tempore lingua Latina familiaris erat, & vernacula. *Præterea* licet tempore Ciceronis communior erat in Orbe Græca lingua, ſatis tamen ex eodem colligitur, apud Romanos, & finitimas regiones viguiſſe idioma Latinum: *Græca*, inquit (*b*), *leguntur in omnibus fere gentibus*, *Latina ſuis finibus exiguis ſane continentur*. *Tertio* memorabile eſt quod ex Livio, qui floruit 240. an. ante Chriſt. *Diſcimus* (*c*) *Cumanis petentibus permiſſum*, *ut publice Latine loquerentur*, *& præ omnibus Latine vendendi jus eſſet*. Millius itaque prorſus delirat, quum inquit: *Romæ Apoſtolorum temporibus lingua Græca familiaris nota erat*, *ac plane vernacula*. Ad teſtimonium Juvenalis: *Nunc totus Grajas habet Orbis Athenas*, ſi penſiculatius Juvenalem conſuluiſſet, profecto deprehendiſſet non aliud hiſce verbis eum innuere, niſi quod ultra nationes Orientales, quæ omnes tunc Græce loquebantur, etiam in ore eruditorum aliarum gentium idem ſermo ſonabat; non autem quod Romæ, aut in aliis finitimis regionibus lingua Græca vulgaris foret, & patria, ut ex operibus veterum ſcriptorum Latinorum, & ex datis teſtimoniis Ciceronis, & Livii aperte eruitur. Imo audi eundem Juvenalem ita canentem (*d*):

Nam quid rancidius, quam quod non ſe putat ulla
Formoſam, niſi quæ Thuſca Græcula facta eſt?
De Sulmonenſi vera Cecropis? omnia Græce:
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine &c.

ſuper quæ Farnabius (*e*): *Cum tamen noſtris Romanis pro ſum-*

(a) *Poſt Præfat. Diction. Calepini ſeptem linguar. edit. Patav.* 1752.
(b) *Oratione pro Archia Poeta cap. X. apud Petrum Franciſc. Fuginium de itinere Petri Exercitat. XI. pag.* 224. *edit. Florent.* 1741.
(c) *Lib. XL. num.* 42. *apud cit. Fuginium*.
(d) *Satira VI. ver.* 184. *pag.* 184. *edit. Amſtelod.* 1684.
(e) *Loc. cit. Juven.*

ſumma turpitudine habeatur Latine loqui neſcire, & vernaculam linguam ignorare. Videtur alluſiſſe ad Ciceronis illud in Bruto, non enim tam præclarum eſt ſcire Latine, quam turpe neſcire. Quibus vides adeo Latinum ſermonem eo tempore apud Romanos & populos Latii in more fuiſſe, ut vitium fuerit fœminarum, quæ licet Græcam ignorabant, ut tamen inter loquendum majorem linguæ gratiam ſpirarent, & formoſiores apparerent, Græcam rancide affectabant, quum e contra turpe potius cuicunque tunc eſſet non callere Latinum. Addam & aliud monumentum ex Philaſtrio (*a*): *Dum in Peloponneſo* (puta Morea) *verſaret vir Græciæ præſidebat ignarus linguæ Græcæ, itaut nec ipſe Græcos, nec ipſum Græci loquentem ullatenus intelligerent: errabat igitur ipſe plerumque, & in multis etiam fallebatur: ſocii namque, & judiciorum miniſtri pecunia corrupti perverſe cauſſas judicabant, calumnias in Præſidem velut in ſervum referentes.* Tantum igitur abeſt, ut credamus Chriſti & Apoſtolorum temporibus apud Romanos, vicinoſque populos linguam Græcam fuiſſe vulgarem, & vernaculam, quum tempore Philaſtrii, etiam in Morea ad plagam orientalem pertinente, qui præfecturam agebat erat Græcæ imperitus. *Vix*, ſubdit Millius, *certe eſt, ut editam cenſeamus* (verſionem) *ante tempora Pii Papæ. Erat quidem is . . . Latinorum primus, ipſi enim Pontifices hucuſque Græci fuerunt.* O petulantem Millii inſcitiam ipſis quoque novitiis tabularum hiſtoricarum intolerabilem! cuine de Romanorum Pontificum ſerie vel tantillum inſtructo compertum non eſt, ante Pium I. Aquilejenſem ſediſſe in Romana Cathedra quinque alios Pontifices ex eodem Latinorum genere, nimirum Linum, Cletum, Clementem, Alexandrum, & Sixtum? & conſequenter ſi concedit, & recte quidem, vel vix ante tempora Pii Papæ Latinam editam eſſe, vel ab eodem Pio procuratam, ex quo hic erat gen-

te

(a) *In Apolloxio Lib. V. apud Fuginium cit. pag.* 229.

te Italus; plane eadem ratione exiſtimandum eſt editam fuiſſe ſub Lino, qui Italus quoque & immediate D. Petro ſucceſſit; vel ſaltem ſub Cleto, vel Clemente qui Romæ ex Romanis parentibus ad vitæ lumina ſurrexere.

255. Verum falſitatem Millianæ opinionis magis commonſtrant Epiſtolæ, quas Latino ſermone ediderunt primi Romani Pontifices, puta S. Clemens, qui fuit diſcipulus Apoſtolorum, ejuſque immediati ſucceſſores Anacletus, Alexander, Sixtus &c. in quibus Epiſtolis pleraque Scripturarum teſtimonia tam veteris quam novi Teſtamenti leguntur (*a*), accepta non quidem ex Hebræo vel Græco ſed ex Textu Latino; ſignum plane evidentiſſimum, quod Latina verſio fuerit formata & digeſta ab aliquo, vel aliquibus Apoſtolis, aut ſaltem Apoſtolorum diſcipulis, qui quoque fide, & Spiritu Sancto pleni erant, ut Actorum Apoſtolorum fert Hiſtoria. Dixi *quas Latino ſermone ediderunt*, tum quia *ab Urbe Roma*, teſte Gelaſio Pontifice, illi *dederunt*, ubi tunc temporis ſermo Latinus vernaculus erat; tum quia Dionyſius Exiguus Præfatione ad Collectionem Canonum Apoſtolorum teſtatur ex Græco eos expreſſiſſe; quod minime aſſerit in alia Præfatione, quam præfixit Collectioni Epiſtolarum priſcorum Romanorum Pontificum: item obſervo, editores harum Epiſtolarum tantum Latino ſermone eaſdem exponere; decretorium tandem videtur teſtimonium Alexii Calocheti nomine Græcorum exorantis circa an. Chriſ. 1300. Barlaamum Epiſcopum Hieracienſem, ut Epiſtolas S. Clementis aliorumque priſcorum Romanorum Pontificum Græcis donaret: *Tuas*, ait (*b*), *communiter ad amicos miſſas Epiſtolas, quum vidiſſemus ego & noſtræ Civitatis tui amici, horum quibus recte contradici poſſit, nihil in eis invenimus. Ignota vero penitus a nobis multa vidimus. Ais enim in ſecunda Epiſtola ſignum eſſe ejus, quod Romana Eccleſia a principio*

(a) *Extant apud Collection. Concil. Joan. Harduini Tom. I. ſub init.*
(b) *Apud Bibliothecam Patrum Tom. XXVI. pag. 10. col. 1. D.*

Digitized by Google

cipio omnium dominabatur : quia Romani Pontifices a B.Clemente incipiendo, tanquam totius Orbis curam gerere debentes, univerſalia adminiſtrare mox cœperunt ad univerſos .... Epiſtolas mittentes ; & ubique peccata corrigere nitentes, & quid agendum ſtatuentes. Ex quibus Epiſtolis multa eorum, quæ nunc etiam in Eccleſia Græcorum ſiunt principium habuerunt. Nos vero neque has Epiſtolas vidimus, neque putavimus in Græca lingua ipſas nunc eſſe .... Rogamus itaque communiter omnes per Deum ipſum, ut ſi tibi poſſibile fuerit, prædictas Sanctorum illorum Pontificum Epiſtolas .... convertens ad linguam Græcam, tranſmittas nobis. Nam ſi his viſis, de quibus dicis, informabitur, bene ſcito quod Controverſiæ noſtræ cum Latinis ex maxima parte ſolutæ erunt: liquet igitur Epiſtolas S.Clementis, aliorumque priſcorum RR. Pontificum Latino ſermone fuiſſe primum editas. Quod ſi poſtea oppoſueris authoritatem Recentiorum Criticorum contendentium præfatas Epiſtolas eſſe ſuppoſitas, ne a ſuſcepto divagemur ſatis habeo dicere: hoc in rerum themate non quid Recentiores, ſed quid veteres ſenſerint atque tradiderint, unice attendendum eſt; agitur equidem de rebus vetuſtiſſimis, quæ nonniſi veterum teſtimoniis nobis innoteſcunt: porro de veritate Epiſtolarum priſcorum Romanorum Pontificum nobis valido teſtimonio ſunt tres veteres Romani Pontifices ſapientia & pietate præclari, nimirum S.Leo Papa, Gelaſius, & Nicolaus I. (*a*). Natali ab Ale-

xan-

(a) Ne quid vero *inquit S. Leo laudatus a Nicolao I. apud Bullarium Romanum tom.I. pag.*201. *col.*1. ſit quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia Decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium anteceſſorum noſtrorum ... ita veſtræ dilectioni cuſtodiri mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. *Gelaſius in ſuo Decreto de Libris ſuſcipiendis & rejiciendis apud Bullar. cit.pag.* 71. *col.* 2. *habet*: Decretales Epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab urbe Roma pro diverſorum Patrum conſolatione dederunt venerabiliter ſuſcipiendas. *Nicolaus I. hiſce teſtimoniis D. Leonis & Gelaſii munitus non modo fatetur veritatem Epiſtolarum* quorumcumque *eſt ipſius ſententia loc. cit. p.* 200. *col.* 2. Romanorum Pontificum, *qui ante Leonem, & Gela-*

xandro arriſit (a) omnem lapidem movere, ut contrarium ſuaderet, multis mutuo acceptis a Blondello Calviniſta, a quibus referendis & refellendis abſtineo, quum alià noſtrum inſtitutum tendat. Millius itaque, & quivis alius, ſi qui ſit, aſſentator ſibi ſuadeant oportet, verſionem Latinam, quam conſtanti ſeculorum uſu Eccleſia conſecrat, ab ipſis Eccleſiæ Romanæ incunabulis initia ſuſcepiſſe; & hoc nonniſi ex mira ergà populum Chriſti electum Cœleſti diſpoſitione, ut cuique innoteſceret Latinam linguam eſſe *Linguam electam*, utor verbis Guidonis Michaelis Le Jay (b), *quæ delapſo in Apoſtolos Spiritu Sancto reſtituta eſt, juxta illud antiquum Sophoniæ vaticinium*: Reſtituam eis labium electum, *ut in unius cujuſdam dilectæ nationis communionem populi omnes confluerent, & variis in ſe portionibus diviſus Orbis in unicæ Eccleſiæ ſocietatem coaleſceret. Quis vero rationi conſentaneum fuiſſe non agnoſcat Chriſti Eccleſiam iiſdem jam potiri privilegiis, quæ Moyſis Synagogam commendarunt? quis æquum fuiſſe non fateatur, ut quemadmodum ea qua utebantur lingua divinam legem acceperunt Iſraelitæ, ita Catholicorum hominum ſocietas propriam ſibi unam, ac univerſalem linguam vindicaret, qualis erat Latina quam totius pene orbis Imperium uſurpabat, quo tempore Servator Chriſtus humanam ex Deipara Virgine carnem aſſumpſit* (c)?

256. *Nota II.* Præfatam veterem Latinam quoad vetus Teſtamentum non ex Hebræo, ſed ex Græca ſeptuaginta Interpretum fuiſſe expreſſam: ut enim Chriſti & Apoſtolorum temporibus hujuſmodi Græca editio, maximo uſu conſecrabatur tum in Synagogis, tum inter Chriſtianos (d);

B 2 ita

Gelaſium fuerunt, verum etiam teſtatur eaſdem Epiſtolas apud Sedem Apoſtolicam ſervatas eſſe aduſque ſuam ætatem, qui electus fuit die 24. Aprilis an. 858.

(a) *Differt. XXI. ſec. 1. Hiſt. Eccleſiaſ. Tom. V. p.* 471. *& ſeqq.*
(b) *Præfat. in Polyglot. Pariſienſ.*
(c) *Videſis num.* 526.
(d) *Vide num.* 183.

Digitized by Google

ita ad fidem iſtius vetus Teſtamentum ab aliquo, vel aliquibus Chriſti, vel Apoſtolorum diſcipulis Latio donatum fuit. Inſuper temporis decurſu, & in dies creſcente Chriſtianorum Latinorum numero, ſicut etiam ditione Romani Imperii late ubique gentium tunc porrecta, accidit, ut quemadmodum permulti erant utriuſque linguæ, ſcilicet Latinæ, & Græcæ periti, ita multitudo Latinarum verſionum ex Græco taliter excrevit, ut videretur numeratu difficilis: *Qui Scripturas*, teſtatur Auguſtinus (*a*), *in Græcam linguam verterunt numerari poſſunt; Latini autem Interpretes nullo modo: ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque Linguæ habere videbatur auſus eſt interpretari*. Verum tot inter editiones Latinas eminebat, eodem Auguſtino teſte (*b*), & generali aſſenſu probabatur ea Latina editio, quæ cæteris antiquior erat, ut quæ *verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ*, quamque idcirco peculiaribus titulis inſigniverunt Hieronymus (*c*) vocans verſionem *Communem* & *Vulgatam*, Auguſtinus (*d*) *Italam*, Gregorius Magnus (*e*) *Veterem*. De hac itaque verſione Latina, ſive Communi, Vulgata, Itala, Vetere in præſentiarum agimus. Ut vero ne quis novitius nominis æquivocatione decipiatur.

257. *Notandum quoque*, quod Latina Hieronymiana verſio interdum vocatur verſio nova, ſive editio nova, vel Vulgata nova; interdum verſio vetus, ſive editio vetus. Primo modo vocatur reſpectu illius verſionis Latinæ, quæ ante Hieronymi tempora inter cæteras editiones Latinas, ut modo dixi, eminebat, & de qua ſermonem hic tenere innuimus. Appellatur interdum verſio vetus, ſive editio vetus,

(a) *Lib. II. de Doctr. Chriſtian. cap. XI. Tom.* III. *pag.* 25. *C.*
(b) *Loc. cit. cap. XV. p.* 28. *A.*
(c) *In Iſaiam cap. XIX. & XLIX.*
(d) *Cap. XV. cit.*
(e) *Epiſtola dedicatoria ad Leandrum cap. V. Tom. II. p.* 4.

tus, vel Vulgata vetus relate ad eas Latinas verſiones, quas Recentiores tum ex Catholicis, tum ex Hæreticis paulo ante, & poſt Concilii Tridentini tempora, ediderunt. Heinc haud mirum eſt ſi eandem Hieronymianam verſionem, quam Auguſtinus, Gregorius, Iſidorus, aliique Eccleſiæ proceres appellabant novam, PP. Tridentini, Sixtus V. (a). Præfatio Vulgatæ Clemen. VIII. præfixa, & nos paſſim nuncupamus Vulgatam veterem, ſive verſionem antiqui Interpretis: *Novam*, inquit Guido Michael le Jay (b), *ex Hebræo Latinam aggreſſus eſt* (Hieronymus), *quæ hodie in Eccleſia Catholica viget, antiquo illi nomini Veteris, & Vulgatæ ſucceſſit*. P. Joan. de la Haje (c) dubium excitans, an verſio Hieronymi, quæ olim dicebatur verſio Vulgata nova, ſit ea quæ hodie dicitur verſio Vulgata vetus? *Dicendum*, inquit, *quod verſio noſtra Vulgata, quam hodie probat, & recipit Eccleſia ea eſt, quam S. Hieronymus ex Hebræo tranſtulit*. Omni tandem exceptione majora ſunt verba Salmeronis, qui Concilio Tridentino interfuit: *Poſtremo*, inquit (d), *acceſſit Concilii Tridentini approbatio; quod videns noſtri ſeculi Hæreticos palam contemnere Vulgatam, ſive veterem editionem Hieronymi, novaſque pro ſuo arbitratu quemque producere tale condidit decretum*: Inſuper eadem ſacroſancta Synodus &c. (e) Quibus præfatis.

258. NUNC ET ILLUD quod conamur oſtendere. Nonnulli autumant, quod ubi conſtaret lectionem aliquam verſionis Italæ cum hodiernis fontibus congruere, hæc pro vera & germana adoptanda foret, tametſi non concordaret cum Vulgata Clementis: alii, quod ſi hiſce noſtris temporibus extaret pura putaque verſio Itala, huic potius quam

(a) *In Præfat. Bibliorum editionis Vatic.* 1590.
(b) *Præfat. ad Polyglot. cit. pag.* 10.
(c) *Prolegom. in Univerſ. Script. ſect. XIX. cap.* III. *pag.* 102. *col.* 1.
(d) *Proleg.* III. *pag.* 24. *col.* 1.
(e) *Concil. Trid. ſeſſ. IV.*

quam Vulgatæ Clementis deberemus primas deferre. Ea de re nemo, ut confido, mihi ſupervacaneæ curæ adſcribet ſi ad confutandas haſce peregrinas opiniones, ut quæ neque a Waltono aut aliis eruditioribus Hæreticis ſomniatæ, pro meo modulo accedam, oſtendendo, quod verſio Itala, illa nempe de qua ſermonem habent Auguſtinus, Hieronymus, & Gregorius laudatis in locis, haud paucis levibuſque vitiis fuerit obnoxia.

259. Incipiam a Hieronymo, quo nemo melius poterit ex ambagibus rem elicere. *Multa*, habet (*a*), *de veteri Teſtamento legimus quæ in noſtris codicibus non habemus:* neque velim ſuſpiceris, Hieronymum non de Latinis ſed de ſolis codicibus ſeptuaginta Interpretum locutum fuiſſe, ex quo immediate profert cauſſas unde Septuaginta in Græca verſione concinnanda multa Hebræi Textus omiſerant, ſubdens: *Judæi prudenti factum dicunt eſſe conſilio, ne Ptolomæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet &c.* Namque laudatam Præfationem Hieronymus præfixit Pentateucho, quem in gratiam Deſiderii ex Hebræo (*b*) ad Latinum vertit; quum ergo inquit *in noſtris codicibus*, potiſſimum intellexit codices Latinos, quibus Deſiderius, aliique de Eccleſia Latina utebantur. Idcirco autem in eadem Præfatione Hieronymus agit de cauſſis propter quas ſeniores prudenti conſilio multa Hebræi Textus reticuerunt, ut criminationibus ſuorum æmulorum & obtrectatorum occurreret: quum enim pleraque ſcripturæ oracula ad fidem Hebræi Textus ſuppleviſſet in ſua nova verſione, quæ non legebantur tam in codicibus Septuaginta, quam in Latinis illius temporis, hoſtes occaſione arrepta ubique eum inſimulabant irreverentiæ & criminationis erga Septuaginta ſeniores, quaſi Hieronymus ex ſuo capite nulloque prorſus nixus fundamento ea

(a) *Præfat. in Pentateuc. Tom.* III. *p.*679. *E.*
(b) *Juxta methodum, quam expoſuimus num.* 126. *& ſeqq.*

Digitized by Google

ea addidiſſet : hinc ut ſe ab hujuſmodi ſomniato piaculo purgaret, pergit oſtendere oracula illa non eſſe ab ipſo gratis adjecta quorum nonnulla fuerant etiam ab Apoſtolis uſurpata ; ſed potius a Septuaginta juſtis de cauſſis prætermiſſa. Scopus itaque Hieronymi exponentis præfatas cauſſas potius nobis ſuffragatur quam adverſatur , quia ex eodem eruitur , non tantum Græcos ſed etiam Latinos codices, qui ſuo tempore circumferebantur imperfectos fuiſſe: ſi enim loca addita, a Latinis quoque non abfuiſſent, abſurdius obtrectatores fuiſſent Hieronymum criminati.

260. Præterea haud ipſos Recentiores latent cauſſæ, quæ Hieronymum impulerunt ad novam verſionem aggrediendam, quarum eas dumtaxat hic referam quæ præſenti negotio eſſe poſſunt ſolatio . Prima profecto cauſſa fuerunt corruptelæ , quæ in omnes penitus ſacros codices ſive Hebraicos , ſive Græcos , ſive Latinos tam exſcribentium vitio , quam malitia hoſtium Chriſtianæ & Orthodoxæ fidei irrepſerant ; adeout verbum Dei ſcriptum tametſi vel quoad minimam partem non fuerit deperditum in ipſa generali codicum univerſitate , ſinguli autem codices quavis lingua conſcripti non paucis , peculiaribuſque vitiis ſcatebant (*a*) : quo poſito ita argumentum auſpicor . In hypotheſi quod verſio Itala ita integra fuiſſet & authentica , ut ad conſpectum illius Vulgata Clementis primas deperderet, quis ſane non poſſet merito Hieronymum inſimulare fruſtranei ſuſcepti laboris ? annon ſola verſio Itala tunc aptiſſima fuiſſet ad caſtiganda omnia penitus vitia, quæ irrepſerant in cæteros bibliorum codices quavis lingua conſcriptos ? ſi ergo in ea generali omnium & ſingulorum codicum depravatione haud contentus fuit verſione Itala, ſed laboribus improbis novam edidit, nonniſi plane, quia ſuas quoque ſordes iſta complectebatur.

261. Manum pariter admovit ad novam verſionem concinnan-

(a) *Vid. n.* 120. *& ſeqq.*

cinnandam, ut nimirum correctis & caſtigatis iis, quæ a pura Hebraica veritate diſcrepabant, non amplius Judæi inſultarent Eccleſiis Chriſti de falſitate Scripturarum; imo propriis armis confoderentur, ſi quando urgerentur a Chriſtianis Scripturarum allegatione: nuſpiam enim cum hoſte decertare poſſumus, vel ipſum convincere niſi in aliquo uno textu ſimul conveniamus: *Ipſe*, ſcribit (*a*), *mihi mercedem reſtituat in futuro, qui ſcit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione ſudaſſe, ne Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis ejus diutius inſultarent*. Et alibi (*b*): *Cur mihi non licebit poſt Septuaginta editionem, quam diligentiſſime emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibus dedi, ad confutandos Judæos, etiam ipſa exemplaria vertere, quæ ipſi veriſſima confitentur, ut ſi quando adverſum eos Chriſtianis diſputatio eſt, non habeant ſubterfugiendi diverticula, ſed ſuomet potiſſimum mucrone feriantur?* Dicas modo, obſecro te, verſio Itala diſcrepabat ne ab Hebræo etiam in illis locis, ubi fons iſte limpide fluebat, vel non? ſi non, ergo nec Judæi uſpiam potuiſſent merito inſultare Eccleſiis Chriſti de falſitate Scripturarum, nec Hieronymus coactus fuiſſet ad eam emendandam; imo a Chriſtianis potiſſimum Latinis, qui Itala utebantur, ſemper Judæi propriis armis confoſſi fuiſſent, ſicut & ſuo ſemper mucrone jugulati remanſiſſent. Et ſane, quia hoc in caſu Latini PP., aliique quorum intererat, verſionem Italam oppoſuiſſent, quæ quum foret perfecta eandem omnino victoriam conſecuti fuiſſent ac ſua nova verſione Hieronymus futuram ſpopondit; at ex præfato Hieronymiano teſtimonio oppoſitum eveniſſe eruitur, itaque Itala verſio in multis diſcrepabat ab Hebræo etiam ubi limpide fluebat; atque ita ubi ſic diſcrepabat ibi ſordibus ſcatebat.

262. Dedit item Hieronymus novæ verſioni operam, ut quæ

(a) *Præfat. in Iſaiam Tom.* III. *pag.*693. *col.* 2. *F.*
(b) *Lib.* III. *adverſ. Ruffin. cap.* VII. *Tom.* II. *p.* 533. *E.*

Digitized by Google

quæ in diverſis Bibliorum codicibus diſperſa erant, apud exemplar ſuum exacte collecta invenirentur: hinc obſervans multa reperiri in Exaplis Origenis, quæ non habebantur in aliis codicibus; animadvertens quoque non ita facile hominem futurum, qui cum gravi diſpendio, in comparandis ſibi præfatis Exaplis maximum ſumptum exigentibus, vellet inſuper graviſſimos labores ferre in addiſcendis linguis aliiſque divinis humaniſque diſciplinis, ut valeret ex Exaplis germanas lectiones deligere, propterea *Sciat*, inquit (a), *pro virili portione offerre linguæ meæ hominibus* (*quos tamen noſtra delectant*) *ut pro Græcorum Exaplis, quæ & ſumptu, & labore maximo indigent, editionem noſtram habeant*. Huc pariter faciunt quæ ejuſdem Hieronymi calculo retulimus n. 126. loquendo de multis codicibus, quibus uſus fuit, quorumque adcurata collatione novam ſcripſit verſionem. Porro penitus incredibile videtur, voluiſſe tot ſumptus conſumere pro comparandis Exaplis aliiſque codicibus optimæ notæ, tot ſudores fundere pro colligendis genuinis lectionibus, ſi vel ſomniaſſet verſionem Italam omni ex parte ſinceram fuiſſe, exactamque.

263. Et ut alia prætermittam, quibus ne clarioribus verbis poterat Hieronymus teſtari turbidum fluxum verſionis Italæ, quum Præfat. ad quatuor Evangelia fateatur, Latinis exemplaribus non eſſe fidendum, & quod reapſe multa correxerit, quæ videbantur ſenſum mutare? *Si enim*, inquit (b), *Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda: reſpondeant quibus? tot enim ſunt exemplaria pene quot codices . . . ita calamo temperavimus, ut his tantum quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant*. Item teſtatur, Librum Job apud Latinos codices ita ſordibus refertum comperiſſe, ut ipſe S. Job videretur adhuc jacere in ſtercore, & ſcatere vermibus corruptelarum: *Quapropter,*

(a) *Præfat. in Joſ. Tom.* III. *p.*681. C.
(b) *Tom.* III. *p.* 697. G.

Digitized by Google

pter, inquiebat (*a*), *o Fratres dilectiſſimi . . . ſpiritalia hæc, & manſura dona ſuſcipite, ac beatum Job, qui adhuc apud Latinos jacebat in ſtercore, & vermibus ſcatebat errorum, integrum immaculatumque gaudete*. Et ſane: quia ut idem affirmat, in ſolo Libro Job ſeptingenti ferme aut octingenti verſus deerant apud Latinos Codices, quos in nova verſione reſtituit (*b*); & conſequenter perpenſis Hieronymi teſtimoniis abunde liquet verſionem Italam, haud paucis levibuſque vitiis fuiſſe obnoxiam.

264. Suffragatorem quoque habemus Aquilinum D. S. Auguſtinum, qui licet circa an. Chr. 397. minus digne ſentiebat de S. Hieronymo propter bonam fidem præſtitam dicteriis Joannis Epiſcopi Hieroſolymitani, Ruffini, & Meloniæ qui paſſim maledicebant Hieronymo ejuſque laboribus in Scripturis adnotandis, ob idque graves litteras ſcripſit ad Hieronymum, quibus videbatur tueri authoritatem Italæ & verſionis Septuaginta, ut eo tempore circumferebantur; temporis autem decurſu veritate comperta, non ſolum a ſe rejecit opinionem de integritate Latinorum codicum, ſed quoque & ipſe enixis votis Hieronymum rogabat circa annum 405. ut ſua in Scripturis ſanctis eximia eruditione Latinam verſionem emendaret: *Jam mihi* (*c*) *perſuaſiſti qua utilitate Scripturas volueris transferre de Hebræis; ut ſcilicet ea quæ a Judæis prætermiſſa, vel corrupta ſunt proferres in medium*. Et poſt pauca. *Deſidero interpretationem tuam de Septuaginta, ut & tanta Latinorum Interpretum, qui qualeſcunque auſi ſunt quantum poſſumus imperitia careamus*. Quibus Auguſtinus novam Latinam minime

(a) *Præfat.* II. *in Job. Tom. cit. p.*691. *G.*

(b) Cæterum *Præf.* I. *in Job. Tom. cit. p.* 990. *C.* apud Latinos ante eam translationem, quam ſub aſteriſcis, & obelis nuper edidimus, ſeptingenti ferme aut octingenti verſus deſunt: ut decurtatus, & laceratus corroſuſque liber fœditatem ſui publice legentibus præbeat.

(c) *Epiſt.* LXXXII. *alias* XIX. *ad Hieronym. cap.*V. *Tom.* II. *p.*202. *G. ſcripta juxta PP. Maurinos an. Chr.* 405.

nime præoptaret ſi vetus non ſcateret vitiis. In eam tandem ſententiam paulatim deſcendit circa turbidum fluxum Latinæ veteris, ut in Libro, cui titulus *Speculum*, & in *Lib. IV. de Doctr. Chriſtiana*, quos prope finem vitæ compoſuit, non Italæ, ſed Hieronymianæ adhæſerit.

265. Suffragantur quoque quotquot viri doctiſſimi & ante, & poſt Auguſtinum Italæ antepoſuerunt Hieronymianam, hanc & non illam commentariis illuſtrantes, quique percenſentur in præfatione Bibliorum Clementis VIII. nimirum, Gregorius Magnus, Iſidorus, Sophronius, Remigius, Beda, Rabbanus, Haymo, Anſelmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, & Bonaventura. Libenter concedit Joannes Millius (*a*) non verſionis Italæ, ſed ſolius Hieronymianæ ſequaces fuiſſe veteres Scriptores Philippum Presbyterum, Selonium, Claudianum, Mamertum, Alcimum, Avitum, Pamerium, & Juſtum Orgelitanum. Et Joannes Buddeus (*b*) ejuſdem Hieronymianæ uſum tribuit quoque Clar. Salviano, S. Eucherio, Junilio, & S. Petro Chryſologo, qui eadem ferme Auguſtini tempeſtate floruerunt. Nemo igitur vel micam rationis habens ſibi ſuadere poterit tot egregios viros uti voluiſſe verſione nova Hieronymi, ſi pro integra & germana Italam agnoviſſent. Ubi pariter derelinquemus celeberrimum Pontificem S. Damaſum, qui Hieronymo demandavit provinciam ejuſdem emendandæ (*c*).

 ubi

(a) *Prolegom. in Nov. Teſt.* §. *Gregorius Magnus pag.* 98.

(b) *De Theologia Exeget. cap.* VIII. §. VI. *pag.* 1334.

(c) Novum opus, *audi Hieronymum ad Damaſum ſcribentem Præfat. in. Evangel.* me facere cogis ex veteri, ut poſt exemplaria (*Latina*) Scripturarum toto orbe diſperſa, quaſi quidam arbiter ſedeam: & quia inter ſe variant, quæ ſint illa, quæ cum Græca conſentiant veritate, decernam. *Interim abſtineo ab objecto, quo Waltonus aliique Recentiores conantur probare, Hieronymum vix quatuor Evangelia, vel ad ſummum ſolos Libros N. Teſt. peculiari præcepto Damaſi emendaſſe, non autem Teſtamentum vetus, quum in ſecunda Demonſtratione de hujuſmodi quæſtiuncula ſermo fiet.*

Digitized by Google

ubi etiam enixas preces, & repetita vota piorum ac doctiſſimorum Miniſtrorum Eccleſiæ, nimirum Paulini, Deſiderii, Rogatiani, Domnionis, Chromatii, Eliodori, aliorumque zelantiſſimorum Chriſti fidelium, qui Hieronymum monuerunt ad novam verſionem aggrediendam? Si verſionem Italam habuiſſent pro integra & perfecta, quis de damnoſo & exitiali novitatis vitio, & quidem in re gravi tam Damaſum, quam præfatos eximios viros criminari non merito poſſet? heinc ex tot momentis late prolatis, hoc decretorium atque ſtrictum argumentum conficio.

266. Si verſio Itala non fuiſſet vitiis obnoxia, ſed ut pleriſque arridet integritatem & puritatem ſpiraſſet, ſane Latina Eccleſia, cui inter alias Eccleſias Chriſti primæ deferuntur, amiſſione verſionis Italæ qua utebatur, magnam incurriſſet jacturam; quoniam amiſiſſet Scripturam perfectam & authenticam, & loco iſtius accepiſſet imperfectam & vitioſam: compertum enim eſt, Hieronymianam pleriſque in locis ab Itala diſcrepare; omnes pariter fatentur, veritatem in duabus lectionibus diſcrepantibus haudquaquam ineſſe poſſe: *Et utique*, probe Hieronymus non ſemel animadvertit (*a*), *non poſſit verum eſſe, quod diſſonat*, & maxime in Scripturis divinis, ubi Spiritus Sanctus per Prophetas, & Apoſtolos uno modo locutus eſt. Quo abſurdo conceſſo, latum profecto oſtium aperiretur oſoribus Romanæ Eccleſiæ detrahendi, & S. Damaſo tamquam præfatæ jacturæ promotori, & D. Hieronymo veluti executori, & D. Auguſtino, cæteriſque Eccleſiæ miniſtris uti conſulentibus, omnibuſque aliis Eccleſiæ proceribus, qui neglecta Itala aſſumpſerunt Hieronymianam, quoſque nuper nominatim celebravimus, tanquam iniquis conſpiratoribus. Ecquis non opponeret: Damaſus non ſolum Latinæ Eccleſiæ non profuit, ſed graviſſime obfuit; Hieronymus non tantum Scripturas non reparavit, ſed inſuper conſtupravit, qui loco verſionis Italæ uſi ſunt Hierony-

(a) *Præfat. in Joſue, & alibi.*

nymiana minime ſtuduerunt utilitati Eccleſiæ, ſed novitate allecti, ad Scripturarum chaos Eccleſiam Latinam perduxerunt? Vide igitur, ut alia miſſa faciam, quam longe decepti ſint, qui præfatis noſtris momentis minime obſervatis magnifice aſſerunt: Italam fuiſſe integram, perfectam, & authenticam, adeout ſi hodie pura putaque ea nobis adeſſet huic, & non Vulgatæ Clementis primas deferendas fore. Apage ineptias.

267. Maximum monumentum quo Recentiores nituntur, quodque paſſim in ore habent: neminem, inquiunt, cordatum fidelem decet credere editionem illam, quæ Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram, jam naſcentem aluit, fovit, & adolevit vitiis ac corruptelis fuiſſe obnoxiam: inveriſimile eſt Apoſtolos Spiritu Sancto plenos, aut primitivos Chriſti & Apoſtolorum diſcipulos, qui apud Romanos finitimaſque Latinas regiones ſacra miniſtrabant, editione vitioſa (quam facili negotio potuiſſent caſtigare) Romanæ fidei fundamenta jeciſſe, & errores Hæreticorum, quorum peſtis ſtatim initio naſcentis Eccleſiæ exorta eſt, & velut infelix lolium, & ſteriles avenæ una cum dominico ſemente emerſit, confutaſſe. Addunt, minus pii ac religioſi eſt credere, Romanam Eccleſiam per tot ſecula, nimirum a ſuis incunabulis aduſque Hieronymiana tempora, authentica caruiſſe Scriptura. Verum ut ipſe vides oſcitanter iſti confundunt verſionem Italam cum ea Latina, qua Romana Eccleſia utebatur primo ſeculo, putantes quod per tria ſequentia ſecula Latina verſio minime ſordes contraxerit. Etiam Textus Hebræus & verſio Septuaginta Apoſtolico ævo limpide fluebant, & tamen circa initium ſecundi ſeculi (a) priſtinam integritatem amiſerunt; quid ergo mirum quod idem fatum incurrerit verſio illa Latina, quæ primo Eccleſiæ ſeculo, & forte etiam ſecundo puritatem ſpirabat? quare tametſi dicamus Italam veterem,

(a) *Ut oſtendimus num.* 117. *& ſeqq.*

Digitized by Google

terem, fuiſſe vitiis refertam, haud tamen argumento eſt, ut credamus, quod Scriptura vitioſa aluerit & foverit naſcentem Latinam Eccleſiam, vel quod eadem Apoſtoli ſive Apoſtolorum diſcipuli Eccleſiæ fundamenta jecerint, vel quod tandem errores exortos eadem confutarint. Itaque ſicut neque pietati, neque Religioni, vel pro tantillo detrahimus, quum omnium fere PP. & Theologorum veſtigia prementes fatemur, verſionem Septuaginta inſignibus ſcatere ſordibus (*a*), atque Eccleſiam Græco-Catholicam, quæ hac verſione utitur, caruiſſe authentica Scriptura non quidem per tria aut quatuor ſecula, ſed ab initio ſecundi ſeculi uſque hodie, quum nuſpiam Romana Eccleſia authenticam declararit verſionem Græcam; ita multo minus virum pium atque religioſum non dedecebit aſſerere, Romanam Eccleſiam per duo aut tria ſecula caruiſſe authentica Scriptura, quoniam neque Italam aliquo decreto conſecravit: & hoc ſemper intelligendum, in quantum ſcilicet Eccleſia caruit interdum integro Dei verbo penes quemlibet Bibliacum codicem ſingulatim acceptum, non vero apud omnes collective ſumptos (*b*).

268. Multæ hodie circumferuntur editiones Italæ, ſed quantæ ſint auctoritatis, velim ipſos Recentiores audias. Clariſſimus Cardinalis Ximenius, quo inſigni ſodali gloriatur Seraphicus Ordo, tametſi in Polyglotta Complutenſi ediderit Italam, puta Latinam ex Septuaginta expreſſam, quamque multi ſuo calculo approbarunt, ſcribente Daniele Huetio (*c*): *Hac Bibliorum converſione profecto nihil diligentius, ex Græco exemplari conſonum magis fingi poteſt*, adhuc alii Critici eadem Ximeniana Italica tanquam pleriſque vitiis referta non fuerunt contenti. Hinc Flaminius Nobilius, juvantibus Antonio Agellio, Lælio, Bartholo-

(a) *Vide num.*219. *& ſeqq.*
(b) *Vide num.*120. *& ſeqq.*
(c) *Lib. de Claris Interpretibus* §.20. *pag.* 117. *apud Le Long Biblioth. ſac. cap.* IV. *ſect.* VII. *p.* 309. *col.* 1. C.

tholomæo Valverda, & Petro Morino aliam verſionem Italam vet. Teſtamenti auctoritate Sixti V. Romæ edidit (*a*) cum annotationibus & ſcholiis; ſed utinam & in graviores criminationes apud Criticos non incurriſſet. Huetius (*b*): *Quamquam*, inquit, *Italam illam totam ex Latinorum Patrum ſcriptis maximo labore collectam conſarcinare & renovare ſtuduerit Flaminius Nobilius Lucenſis: unde ſacrorum voluminum, pure, preſſe, religioſe interpretandorum quivis documentum capere poſſit; attamen quum pannos illos e Patribus undequaque corraſerit Nobilius, & non Italam unam, ſed complures alias, paſſim tunc temporis emergentes, & omnium uſui permiſſas, promiſcue Patres uſurparent .... certiſſimum eſt non facilius in Nobiliana Italam quam aliquam quamlibet reperiri poſſe*. Simonius (*c*): *Hanc* (Nobilianam Italam) *puram putam eſſe Eccleſiæ Latinæ verſionem, quæ ante Hieronymum ſola in Occidente legebatur, nemo rei criticæ peritus affirmaverit*. Humphredus Hody (*d*): *Verſio illa Latina Interpretationis LXX. viralis, quæ fertur ſub Nobilii nomine, pro vera verſione Itala haberi minime debet. In multis eadem eſt, in multis diverſa, & maximam, opinor, partem ipſe Editor elaboràvit*. Tandem, ut alias editiones taceam, anno 1751. acceſſit vetus Italica elucubrata a PP. Maurinis, quamquam adſcribatur Petro Sabatier; ſed tot profecto dubitandi rationes contra genuitatem hujuſcemodi editionis militant, quot argumenta Critici objectant Ximenianæ, & Flaminianæ. Proferam tantum momenta Simonii mutuo accepta ab Huetio cit., quibus uterque ſuadere contendunt Flaminianam perfectione carere. *Fieri*, ita pergit loco cit., *ſiquidem non poterat, ut Nobilius illam modis omnibus abſolutam & perfectam ex Patrum teſtimoniis hauriret, qui eam*

non

(a) *In ædibus Populi Romani apud Gregorium Ferrarium an.*1588.

(b) *Cit. pag.* 110. *apud Le Long cit. ſect.* I. *pag.* 230. *col.* 2. C.

(c) *Cap.* XIX. *Diſquiſit. crit. de variis Bibliorum edition. pag.*158. *apud Le Long cit.*

(d) *Lib.* II. *de Bibliorum textibus origin. pag.* 343. *apud Le Long cit.*

non exacte ſequuti fuerant; & ſi qui eorum Graece docti fuerunt, verſionem novam ad Græcum ſermonem LXX. Interpretum condere non ipſis fuit religio. His omnibus accedit Hieronymum antiquam illam verſionem, quam in locis quibuſdam accuratam deprehenderat, & pro regionum & exemplarium diverſitate parum conſtantem, refeciſſe. Adde Patribus Maurinis minime adfuerunt illa exactiora MSS. quibus Bibliotheca Vaticana abundat, quorumque copiam Flaminius ejuſque ſocii habuere. Igitur verſio Itala tam ſcilicet ea qua ante Hieronymiana tempora occidentalis Eccleſia maxima ex parte utebatur, quam quæ modo in recentioribus editionibus exhibetur minime tanti facienda eſt, ut præferatur vel coæquetur Vulgatæ Clementis; & conſequenter qui hodie in lectionibus veteris Italæ inveniendis dant operam ea ſcilicet conſilii ratione, ut ad perpendiculum earundem adpendant Vulgatam Clementis, oleum penitus mihi videntur perdere atque operam; quum ad nullam ſe recipiant frugem bonam, & non aliud parturiant quam conſpicua palatia ſuper arenam fabricata.

§. II.

De integritate hodierni Textus Samaritani.

269. Salmanaſar Aſsyriorum Rex triennali obſidione devicta captave Samaria, decem Tribus Iſrael Samariæ habitantes una cum Rege Oſee captivas tranſtulit ad Aſſyrios; & colonias quas de Babylone, Cutha, Avath, Emath, & Sepharvahim adduxerat, illuc tranſmitti curavit loco filiorum Iſrael. Quum autem Gentes iſtæ Samariam incolere cœpiſſent, & Deos patrios pro ſuo more colerent, in hujuſcemodi idololatriæ ultionem leones Dominus in eos immittit, a quibus dira clade infeſtabantur. Quumque id Regi Aſsyriorum nunciatum fuiſſet ſeniores captivos Iſrael convocat, ex eis ſciſcitans, unde tale excidium or-

Digitized by Google

ortum haberet, ſeniores exiſtimantes Regem ſoluta captivitate ſe, ſuoſque ad propria remiſſurum? *Gentes*, reſponderunt (*a*), *quas tranſtuliſti*, & *habitare feciſti in civitatibus Samariæ, ignorabant legitima Dei terræ*, & *immiſit in eos Dominus leones*, & *ecce interficiunt eos*; *quod ignorarent ritum Dei terræ*. Verum Salmanaſar ſpe illos defraudans, præcepit, ut unus de ſacerdotibus captivis illuc adduceretur, quique legem Dei eas gentes doceret. Venit itaque Samariam juxta mandatum Regis Iſraelita ſacerdos, & domicilio fixo in Bethel, incolas imbuebat Moſaicis legibus. *Igitur quum veniſſet unus de ſacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria habitavit in Bethel*, & *docebat eos quomodo colerent Dominum*.

270. Ex qua indubia Scripturali Hiſtoria eruditi communi voto eruunt, ſacerdotem, qui Samariam doctum venit, illum codicem legis tradidiſſe novis Samaritanis, quo tam decem Tribus ante captivitatem, quam Tribus Juda in propriis civitatibus adhuc florens, utebantur. *Dubitare*, inquit noſter Joan. de la Haje (*b*), *etiam nemo poteſt ſacerdotem illum legem attuliſſe, non aliis characteribus deſcriptam, quam quibus Iſraelitæ a Moſe ad illum uſque diem uſi fuerant: ab eo autem tempore Samaritanos antiquis litteris Hebraicis, ſaltem in lege deſcribenda, uſos fuiſſe nulla eſt ratio cur dubitemus*. Si autem cauſſam inquiras, cur Samaritani ex omnibus Scripturis ſolum Pentateuchum admittant, occurrit Fraſſenus (*c*): Primo, *quia Pentateuchus ſolus Religionis Judaicæ ſummam complectitur, cujus cæteri Libri ſunt appendices* & *explicationes*. Secundo, *quia quum primum decem Tribus a Rege Juda defecerunt*, & *ſi alii eſſent Libri ſacri, nulli adhuc extabant Libri Prophetici, quumque Prophetæ omnes fere in Reges Iſrael, eorumque populum pro-*

(a) IV. *Reg. cap.* XVII. *v.* 26.

(b) *Biblia Maxim. Prolegom. in S. Script. ſect.* XVII. *cap.* I. *Tom.* I. *pag.* 82. *col.* 2.

(c) *Diſquiſ. Bibl. Lib.* I. *cap.* VIII. *num.* VI. *pag.* 173.

Digitized by Google

propter ipſorum ſchiſma, & Idololatriam continuo inveherentur; mirum videri non debet, ſi eorum Scripturam, & oracula non receperint, in quibus eorum aperte damnabatur inſtitutum, & vitiata Religio. Denique *quum graviſſimæ inter eos, & Judæos ſimultates & contentiones exarſerint iis temporibus, quibus Eſdras cum magnæ Synagogæ viris, non ſolum templum & civitatem Hieroſolymitanam, ſed etiam Scripturas in unum codicem reſtitueret; nihil mirum, ſi illi horum anathemate percuſſi, & capitali odio in eos furentes Canonem Sacrum Scripturarum ab Eſdra & ſociis confectum rejecerint, & ſolius Pentateuchi . . . divinam auctoritatem agnoverint.*

271. Id vero ad quod in præſentia animum vertimus eſt, utrum codex, quem incolæ Samaritæ acceperunt a Sacerdote Iſraelita, ob idque Textus Samaritanus appellatur, integer & germanus perſeverarit uſque hodie, itaut valeat Hebræo, ubi codices diſcrepant, ſuppetias ferre, necnon ejuſdem lectionem firmare adverſus Vulgatam correctam, ubi ab Hebræo hæc diſcrepat? Nonnulli Neoterici poſt Jacobum Uſſerium autumant, Doſitheum inter Samaritanos caput, & Sectæ Doſitheanorum Auctorem ex accepta editione Hebraica a Paleſtinis & Babyloniis, ſicut & Græca ab Helleniſtis Judæis conflaviſſe Hebræam novam, ſive Samaritanum hodiernum. Waltonus e contra hanc ſententiam ægre fert, acriterque in eandem ejuſque Patronos invehitur: verum, ut res eſt ingenue fatear; tam illi, quam iſte, utpote peculiari partium ſtudio abrepti, a veritatis ſcopo aberrare videntur. Idcirco primi viſi ſunt præfatam fabulam texere, ne diſcrepantia, quæ conſpicitur inter hodiernum Hebræum & Samaritanum, detraheret auctoritati Hebræi Textus, quem contendunt eſſe puriſſimum fontem, & authenticum. *Quidam*, teſtatur Waltonus (*a*), *Neoterici & inter alios vir longe Doctiſs. quaſi exiſtimarent Textum*

(a) *Proleg.* XI. §. II. *pag.* 370. *col.* 1.

xtum Hebræum non poſſe in debito bonore ſervari, niſi omnia alia exemplaria verſioneſque antiquas deprimant, & pedibus conculcent, ſtatuunt ex Hebraica a Paleſtinis & Babyloniis, atque Græca Helleniſtis Judæis recepta editione Hebræam novam, ſive Samaritanam bodiernam conflaviſſe impoſtorem quemdam Doſitheum . . . bunc novis detractionibus, mutationibus, & adjectionibus prout libitum, Pentat. contaminaſſe. Ex diverſo nititur Waltonus oſtendere integritatem Samaritani ad hoc ut poſſit ſuadere; quod ubi cum Hebræo Samaritanus congruit, & a Vulgata diſcordat, ibi ſentiendum, potius Vulgatam vitium complecti, quam Hebræum contraxiſſe maculam. *Lectionem vero*, habet ibid. (a), *codicum Hebræorum a Samaritico confirmari liquet; locus unus & alter inſtar multorum ſit. Gen.* 3. 15. *Samaritanus cum Hebræo legit* (ipſe) *non* (ipſa) *contra audaciam eorum, qui Textum Hebraicum bic depravatum ſuſpicantur; idem videmus Gen.* 49. 10. (donec veniat Schiloh), *qui locus a multis in quæſtionem vocatur, quaſi a Judæis corruptus ſit; Samaritanus vero bic Hebræo ſuppetias fert . . . Fruſtra itaque contendunt Huntlæus, & Auguſtinus Steuchus dum lectum fuiſſe volunt* (mittendus) *quum Hebraicam lectionem modernam confirmet codex Samaritanus*. Hinc ad voluntatem Waltoni Textus Samaritanus confirmat lectionem Hebræi hodierni, & ſimul vitioſam declarat Vulgatam correctam habentem *ipſa*, & *mittendus*: ut igitur mendoſa lolia tam Uſſerii aliorumque Neotericorum, quam Waltoni a tritico veritatis ſegregemus.

272. Textus Samaritanus, quem hodie Critici proferunt, haud ille eſt, qui a Doſitheo inſigniter conſpurcatus fuit. Duo ut hactenus mihi innoteſcit ſunt momenta, quibus Uſſerius, & hanc aliam ad peregrinas ſuas opiniones adnexuit, nimirum decretum Eulogii, de quo Photius ediſſerit, & teſtimonium Origenis, quare ſcribit: *Ad Samaritanam*

D 2

(a) §. 18. *p.* 375. *col.* 1.

nam (*a*) *Pentateuchi editionem jam accedo quam primus*, *vel certe inter primos noſtris temporibus in Occidentem intuli. Quum enim ex lib.7. Scaligeri de emendat. temporum didiciſſem: non prius deſtiti, quam ex Syria & Paleſtina quinque vel ſex exemplaria mihi comparaviſſem; quumque ab Euſebio Cæſarienſi, Diodoro Tarſenſi, Hieronymo Stridonenſi, Cyrillo Alexandrino, Procopio Gazeo, & aliis citatum inveniſſem, apud Photium in Bibliotheca cod.* 230. *decreti Synodici Eulogii Patriarchæ Alexandrini in Samaritanos editi argumentum exponentem; tandem reperi librorum Moſaicorum a Samaritis receptorum depravatorem fuiſſe Doſitheum illum, cujus in lib.* 1. *contra Celſum Origenes meminit*. Aſt ſive Origenem, ſive decretum Eulogii conſulerimus longe abſunt a cogitatione Uſſerii. Iſthæc enim ſunt verba, quæ habet Origenes loco citato ab Uſſerio (*b*): *Poſt Jeſu quoque tempora Doſitheus Samarita conatus eſt perſuadere ſuis civibus ſe eſſe Chriſtum illum a Moſe prænunciatum, & viſus eſt inveniſſe diſcipulos*. Decretum Synodicum Eulogii huc unice tendit; quum plebs Samaritana in contrarias divulſa fuiſſet factiones, propter iſtud Deutoronomii (*c*): *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies*, aliis autumantibus eo loci prædictum fuiſſe Jeſum filium Nave, ſive illum quem nos vocamus Joſue filium Nun; aliis contendentibus fuiſſe Doſitheum de quo nuper: & utraque factio libellos pro ſua ſententia, & contra diverſam partem, ſuum quæque Prophetam alteri præferendo, porrexiſſet; Eulogius collecta Synodo Pontificibus plena, & diſcuſſis quæ ab utraque parte afferebantur, utraque erroris convicta graviſſimo decre-

to

(a) *Epiſt. ad Capellum ad calcem Syntag. de 70. Interp. p.*215. *apud Le Long Biblioth. Sac. cap. II. appendice ad Pentateu. Samar. Tom.*1. *pag.*86. *col.* 1. *D.*

(b) *In lib. I. contra Celſum Tom. II. pag.* 426. *K.*

(c) *XVIII. v.* 15.

to definivit : illum a Prophetis prædictum Meſſiam, eſſe Dominum Jeſum Chriſtum verum Deum (*a*). Utrum poſtea ex his eruatur quod Uſſerius Neotericorum princeps teſtatur reperiſſe, puta, Samaritas a Doſitheo depravatore Libros Moſaicos recepiſſe, viri æqui & cordati judicent; quinimmo potius deprehendent infidam ſcribendi methodum ejuſdem, qui non ſemel ſua commenta vel temere, vel oſcitanter veteribus accenſet.

273. Satius ſane ſi cum ſuis aſſeclis affirmaſſet, ſolos Samaritas Doſitheanos recepiſſe ab impio Auctore depravatiſſimum Pentateuchum; quoniam revera tam Origenes, quam Photius id olim tradiderunt. *Doſitheum*, ita Origenes (*b*), *etiam quendam extitiſſe ex Samaritanis qui ſeipſum diceret Meſſiam prophetatum, a quo uſque nunc Doſitheini* (vide quomodo ſolos Samaritas Doſitheanos appellat) *ſunt, Libros Doſithei circumferentes, & fabulas quaſdam enarrantes de eo, perinde quaſi ille non perierit*. Photius (*c*): *Octateuchum*, fatur, *ſpuriis ſcriptis, & omni genere mixtis corruptelis* (Doſitheus) *adulteravit, alioſque Libros ſtultitia & portentis plenos, divinæque legis contrarios conſarcinavit, ſuiſque* (non inquit Samaritis, bene vero) *aſſeclis reliquit*. Præterea indubium videtur, nonnullos veteres eruditos incubuiſſe ſtudio Samaritani Textus, eumque in ſuis ſcriptis citaſſe, quoſque Uſſerius laudat, nimirum Euſebium Cæſarienſem, Diodorum Tarſenſem, Hieronymum Stridonenſem, Cyrillum Alexandrinum, & Procopium Gazeum; incredibile profecto eſt, tanti præfatos voluiſſe facere Samaritanum illum, quem Doſitheus inſigniter conſpurcavit. Tandem quis credet, Samaritanos, qui ſeſe Doſitheo ejuſque aſſentatoribus acriter oppoſuerunt, voluiſſe Doſitheano codice uti? tantum igitur abeſt

(a) *Legeſis Photium quem ipſe Uſſerius citat, cujuſque inſpectione nudam veritatem deprehendes.*
(b) *In Evang. Joan. Tom. II. p. 217. E.*
(c) *In Biblioth. Codic. CCXXX. prope finem p.883.*

Digitized by Google

abeſt ut ſuſpicemur, Samaritanum quem Critici proferunt, eum eſſe, quem impoſtor Doſitheus conſarcinavit. His itaque contra Neotericos libratis

274. VENIAM ad Waltonum, qui tantam integritatem tribuit hodierno Samaritico, ut arbitretur vix in rebus minoris momenti ab Hebræo diſcordare, & multum penſi adjicere ad confirmandam ejuſdem Hebræi lectionem adverſus Vulgatam. *Vix*, inquit (*a*), *in rebus alicujus momenti diſſident, ſed in omnibus quæ ad fidem & mores ſpectant, & ad cultum & Religionem legeſque politicas pertinent, eadem leguntur in utrorumque* (puta Hebræorum, & Samaritanorum) *codicibus: nam ut Chriſtiani ex codicibus Hebraicis Judæos, ſic ex codicibus Samariticis Samaritanos Judæi, convincere poterant*. Sed quanti revera adſertum iſtud ſit ponderis, adpendamus.

275. Perſpectum omnes habent inſenſiſsimum odium, capitaleſque inimicitias, quibus Judæi & Samaritani, propter Religionis motivum digladiabantur ad invicem; adeout miraretur mulier Samaritana, quod Servator noſter Jeſus, quum Judæus fuiſſet, poſceret ab ipſa potum: *Quomodo tu Judæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis* (*b*). Super quæ Druſius (*c*): *Odium ex Religione natum. Nam Samaritani rejiciebant Prophetas. Adhæc negabant reſurrectionem, animam una cum corpore mori credentes*. Grotius (*d*): *Samaritæ vero adeo erant ſuperſtitioſi, ut viſo Judæo exclamarent*: ne attinge. Waltonus etiam (*e*) vult, quod per annos bis mille quingentos populus Samaritanus nullum habuerit, nec adhuc habeat cum Judæis commercium: ipſis itaque Novatoribus conſentientibus, Samaritæ & Judæi in rebus Re-

li-

(a) *Proleg. XI.* §. 18. *pag.* 375. *col.* 1.
(b) *Joan. IV. v.* 9.
(c) *Apud Crit. Sacr. Tom. IV. par. II. col.* 1606.
(d) *Apud eoſdem Crit. cit. col.* 1611.
(e) *Prol. XI.* §. 18. *p.* 375. *col.* 1.

Digitized by Google

ligionis longe diſſidebant. At quomodo propter Religionis negotium id eveniſſet, ſi in omnibus quæ ad fidem & mores ſpectant, cultum, Religionem, legeſque politicas eadem legerentur in utrorumque codicibus? Nulla ſane nos inter & Hæreticos atque Turcas in rebus Religionis diſcrepantia eſſet, ſi eandem profiteremur Scripturam tamquam unius fidei regulam; qua de cauſſa Manichæi, ut a vera fide receſſerunt, ita ſibi falſas Scripturas protinus ſomniarunt; idipſum Eccleſia Anglicana, quum ab obedientia Vicarii Chriſti ſeceſſit. Itaque acerrima Judæorum & Samaritanorum diſſidia, haud leve argumentum ſuppetunt affirmandi, in rebus fidei & morum germanum Pentateuchum eorundem longe diſcordare.

276. Præterea, Eruditi corruptelas multo plures deprehendunt in Textu Samaritico, quam in Hebraicò; heinc (*a*) pro monte *Ebal* legunt apud Samaritanum montem *Garizim*, contra omnium codicum, & interpretum fidem: & ipſe Waltonus hocce ſolemne vitium minime auſus eſt inficiari, aut pro ſuo more adſcribere librariorum incuriæ, bene agnoſcens (*b*) id originem duxiſſe a Manaſſe primo Pontifice Samaritanorum, ut inde Templi ſui auctoritatem aſtrueret. Nec intereſt, ut (*c*) hunc unum locum excipiat; quoniam Simeon de Muis, qui virgula cenſoria aliquot capita Exercitationum Cl. Joan. Morini inſectatus eſt, ex Morino infert (*d*): ***Exemplar iſtud Samariticum multa habere adſcititia, quæ nec in fonte Hebræo, nec in ulla verſione leguntur.***

277. Item, pleraque ſunt in Textu Samaritano tranſpoſita aliter ac in Hebræo & in Vulgata, non tantum verſus integri, ſed magna pars quorundam capitum, ut potiſ-

(a) *Deuteron. XXVII. v. 4.*
(b) *Loc. cit. §. 16. pag. 373. col. 2.*
(c) §. 18. *pag. 375. col. 1.*
(d) *Cenſura in Exerc. tert. cap. I. pag. 161. col. 2.*

Digitized by Google

potiſſimum in Libro Deutoronomi' Cap.XI. XXIX. XXX. & alibi paſſim. Hinc ſane miror quomodo Waltonus, huic quod ſibi proponit objecto, reſpondeat (*a*): hujuſmodi traſpoſitiones authoritati, ac ſinceritati Textus non derogare, *Quum*, pergit, *non ex ſitu & ordine in Codice, ſed ex Dei Auctoris authoritate ſuprema canonica verbi divini authoritas pendeat: ubicumque enim verbum divinum reperitur, ſi collocatio aliquid falſi in ſe non importet, eandem authoritatem habet*. Itane? eccur alio in loco tanti facit varietates tametſi minoris momenti, quas eſſe conſpicit inter Hebræum & Vulgatam? cur perperam accuſat Vulgatam de vitio tranſpoſitionis ob id concludens, Auctorem Vulgatæ non eſſe ſequutum Hebræum, atque ita potius Hebræo, quam Vulgatæ fidendum? *Quædam*, fatur (*b*) *tranſponit* (Vulgata editio) *aliter ac in Hebræo; quæ omnia oſtendunt Auctorem non Hebræos codices ſequutum . . . Oſee XII. 3. 4. In Hebræo ſic legimus*: In utero ſupplantavit Fratrem, & in robore ſuo dominatus eſt Angelo, & prævaluit. *Vulgata vero ita legit & invertit*: In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt. Quare ſi tranſpoſitio tametſi levior verborum, quam Waltonus perperam tribuit Vulgatæ, una ex cauſſis eſt, ut pro vitioſa eam agnoſcat, multo magis Samaritanus ſcatet ſordibus, quum longe inſigniores tranſpoſitiones ſpiret. Dixi *perperam tribuit Vulgatæ*, quoniam tranſpoſitiones non ex parte Vulgatæ ſe ſe tenent, quæ fideliter & in omnibus reſpondet Archetypo, ſed Hebræi hodierni, in cujus exemplaria irrepſerant, ſive Judæorum malitia, ſive ſciolorum audacia.

278. Item, inter exemplaria Hebræa & Samaritica quam frequenter deprehenditur diſcrimen litterarum, dictionum, additionum, interpolationum, quæ etiam ſenſum interdum mu-

(a) §. 16. *p*. 374. *col*. 1.
(b) *Proleg. X*. §. 9. *p*. 357. *col*. 2.

Digitized by Google

mutant; neque Waltonum reſpondere juvat (*a*) id accidiſſe pro fato omnium librorum antiquorum, qui quum fuiſſent pluries deſcripti, facilius ſordes aliquas contraxerunt; quia, ut ſupra diximus (*b*), amanuenſium incuria, & conſimilia, quæ per meram contingentiam eveniunt, minime facere poſſunt, ut iiſdem in locis, & eodem ferme pacto diſcrepent duo exemplaria; & conſequenter ſi iiſdem in locis, & eadem verborum ſerie interdum diſcordant Hebraica, & Samaritica, ſtudioſæ potius operantis induſtriæ, quam contingentiæ tribuendum eſſe, res ipſa clamat: *adde* Waltonus quaſdam repetitiones poſitas in Samaritano, quæ non habentur in Hebræo, reapſe adjudicat ſtudioſæ hominum deſcribentium voluntati, in quantum ſcilicet nonnulli ex ſuſpicione quod in Hebræo aliqua deficerent, & ſuppleri debuiſſent, ſuppleverunt. *Quod*, ait, *additiones, vel repetitiones ſpectat, quæ in Textu Samaritano, non in Hebraico extant . . . potius dicendum cenſeo, Deſcriptores quorumdam codicum Samaritanorum ſuſpicatos eſſe hac in Hebræo deficere, & ſuppleri debere, unde loca iſta ſuppleverunt, quod ſive antiquorum codicum autboritate freti, ſive ex conjectura propria fecerint, non eſt facile definire*. Dicam plus: idem Waltonus (*c*) ſtudio probandi Samariticum hodiernum convenire cum eo, quo uſi ſunt veteres PP., multa loca notat, in quibus tam eo tempore, quam hodie diſcrepant Hebræus & Samaritanus. E.G. Samaritanus (*d*) habuit & habet vocabula *Omnis* & *in omnibus*, Hebræus autem non. Samaritanus legebat & legit (*e*) *Tranſeamus in campum*, Hebræus iſta ſiluit & ſilet. Samaritanus (*f*) *vocem peccatorum audio*, Hebræus legebat & legit *vocem cantan-*

(a) *Proleg. XI. §. 16. p. 374. col. 1.*
(b) *Cap. III. num. 243.*
(c) §. 14. *pag. 372. col. 2.*
(d) *Deut. XXVII. v. 26.*
(e) *Geneſ. IV. v. 8.*
(f) *Exod. XXXVII. v. 18.*

Digitized by Google

tium . Hæc igitur & alia loca quæ ibi profert, non tantum probant diſcrepantiam inter Hebræum & Samaritanum, ſed quoque ante mille & amplius annos eandem diſcrepantiam extitiſſe, ſicque eandem haud univerſaliter tribuendam communi omnium librorum antiquorum fato.

279. Item argumento quod dialectici vocant ad hominem. Si hodiernus Samaritanus in omnibus, quæ ad fidem & mores ſpectant cum Hebræo concordaret, hic quoque in via Waltoni deberet eſſe authenticus, non minus ac per ipſum authenticus eſt hodiernus Hebræus; aſt non ſolum aperte id denegat, ſed inſuper oleum perdere affirmat atque operam qui pro authentia Samaritici propugnaret, dicens (*a*): *Ad autboritatem & uſum exemplaris Samaritani devenimus. De autboritate non opus eſt multa dicere: neminem enim novimus, qui authenticum facit, vel textui Hebraico generaliter præfert . . . operam & oleum perdunt, qui magno molimine probare ſatagunt Samaritanum Textum authenticum non eſſe, nec Hebræo præferendum; hoc enim eſt cum larvis luctari, vel cum umbra propria contendere*. Probatur itaque major propoſitio: eſt Waltonianum ſyſtema, ſemel conceſſo quod Textus aliquis immunis ſit a corruptione in rebus fidei & morum, neceſſario ſequitur in iis authenticum eſſe; hinc differens de authentia hodiernorum fontium docet (*b*): *Textus originarios immunes eſſe ab omni corruptione præcogitata, & in omnibus ad fidem & mores ſpectantibus, integros: quo conceſſo, neceſſario ſequitur authenticos eſſe, & in rebus fidei ac religionis normam certiſſimam;* ergo ſi in ſententia Waltoni Hebræus & Samaritanus eadem habent in omnibus, quæ ad fidem, & mores ſpectant, imo & ad cultum & religionem, de conſequenti debuiſſet aſſerere, Samariticum eodem authentiæ gradu gaudere ac Hebræus: quod quum aperte deneget, ipſe quidem

(a) *Loco cit*, §. 17. *p*. 374. *col*. 2.
(b) *Prol.VII.* §. 17. *p*. 284. *col*. 2.

Digitized by Google

dem hoc in themate ille eſſe videtur, qui cum larvis luctatur, cum propria contendit umbra.

280. Quibus ſatis demonſtraſſe arbitror, quantum a veritatis ſcopo aberrarit Waltonus, quum ivit defenſatum integritatem hodierni Samaritici, & hujuſmodi infirmo nixus principio eruit: *lectionem codicum Hebræorum a Samaritico confirmari liquet*, adeout occurrente diſcrepantia inter Hebræum & Vulgatam, ſi Samaritanus cum Hebræo congruat, potius Vulgata, exiſtimanda ſit vitioſa. Si Samaritanus magis atque Hebræus ſpirat fœditates, quomodo poterit confirmare integritatem Hebræi? *Ab immundo*, inquit Eccleſiaſticus (a), *quid mundabitur?* imo cur potius argumento nobis non erit, ut concludamus vitium Hebræi transfuſum eſſe in Samaritanum, vel e contra? Inconfeſſo eſt hoſce Textus multis ſeculis apud Chriſtianos jacuiſſe ſepultos, poſtea ſtudio quorundam Criticorum extumulatos: quare Uſſerius dicere habuit, primum vel certe inter primos ſe fuiſſe, qui Textum Samaritanum ſuis temporibus, nimirum circa initium ſeculi ſextidecimi in Occidentem intulerit. Et ſane de hujuſmodi Samaritico nullam in ſuis Polyglottis mentionem faciunt noſter Franciſcus Ximenius, neque Regia editio Regis Catholici Philippi II., neque alii ejuſdem generis Bibliaci codices, qui ante ætatem Uſſerii adſpexerant lucem; e contra editio Latina ab Eccleſiæ incunabulis uſque hodie, conſtanti uſu conſecrata fuit in Occidente: porro facilius inſtrumentum aliquod adulterari poteſt, quod raro revocatur ad criſim, cujuſque exemplaria ſunt pauciora; quemadmodum perdifficilis evadit illius inſtrumenti corruptio, cujus extant pleraque exemplaria, & quotidiano uſu refertur in cenſum: haud igitur mirum eſſe debet (omiſſis aliis rationibus, de quibus fuſe in præſenti Demonſtratione fit mentio) ſi concordantibus Hebræo & Samaritico contra Vulgatam, adhuc lectio iſtius exiſti-

 man-

(a) *Cap. XXXIV. v. 4.*

Digitized by Google

manda veniat divina & canonica.

281. Deinde quis prohibet quominus credamus Recentiores Criticos, qui Samaritanum prodiderunt in lucem, ſtudio conciliandæ auctoritatis tam Hebraico, quam Samaritico interdum ſenſum ſuum tanquam verba legis ibi poſuiſſe? annon inter alia vitia, de quibus Simeon de Muis criminatur Morinum, unum iſtud eſt, *Nititur*, inquit (*a*), *conciliare quidem*, *ſed quam contorte*, *quam perverſe*, *quam ridicule cuivis legenti facile apparebit?* Annon idem de Muis ocularibus exemplis eo loci oſtendit multa teſtimonia, quæ olim citata ſunt a Patribus ex codice Samaritano, minime congruere cum eo, quem hodie Neoterici proferunt? Quod ſi Morinus cæteroquin vir Orthodoxus iſthæc ſubiit, quid dicemus de Uſſerio, Waltono, aliiſque Hæreticis editoribus, qui eundem Textum protulerunt in medium, quique ſecundum Auguſtinum (*b*): *Scripturas ſic accipiant*, *ut ſuo quodam privilegio*, *imo ſacrilegio*, *quod volunt ſumant*, *quod nolunt rejiciant*. Itaque ubi uterque Textus concordat & non congruit cum Vulgata, ibi jure dicendum eſt, non in Vulgatam, ſed potius in præfatos Textus irrepſiſſe vitium; & hoc interdum induſtria hodiernorum Criticorum, qui pro privata judicandi ac interpretandi ratione eos invicem conformarunt, & ita concordatos deſcripſerunt.

282. Rurſus neminem eruditorum fugit, Origenem ſtudio reparandæ Scripturæ ſedulam operam dediſſe, ac fuiſſe cupidiſſimum diligentemque indagatorem, adeout non fuerit contentus in Octapla deſcribere codicem Hebræum Hebraicis litteris & Græcis, & verſionem Septuaginta ſeniorum, ſed codices eorum, qui utpote hoſtes Chriſtianæ religionis, multa myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celarunt, ut ſunt volumina Aquilæ, Symmachi,

(a) *Cenſura in Exercit.* III. *p.* 159. *edit. Pariſ.* 1650.
(b) *Apud Simeon. de Muis de Hebraica edition. authoritate n.* X. *p.* 153.

Digitized by Google

chi, Theodotionis, editiones Hierichuntina, & Nicopolitana: & de Textu Samaritano nec caput unum in ſuis Polyglottis ei exarare curæ fuit: quis ergo credet hujuſmodi Textum præterire voluiſſe, ſi inſervire poſſet ad confirmandam veram lectionem Scripturæ? ſuſpicabimur forte, Samariticum latuiſſe Origenem? at non ſemel in ſuis ſcriptis ejuſdem recordatur (*a*); cur itaque prætermiſit? Dicam ut reor, quia ex eo jam tempore Samaritanus tot erat inſignibus corruptelis obnoxius, obſcuri nominis, leviorisque authoritatis, ut pro ſuperfluo habuerit eum ſuis operibus inſerere, & per conſequens factum Origenis prorſus Waltoni conatibus adverſatur.

283. Poſtremo tametſi Euſebius Cæſarienſis, Cyrillus Alexandrinus, Procopius Gazæus, Diodorus Tarſenſis, Hieronymus, aut alter quandoque meminerint Samaritici, non eo tamen conſilio ut vitioſam oſtenderent verſionem, quam Eccleſia uſu ſuo conſecrabat; ſed vel ad convincendos Judæos, qui aliquibus in locis ſuas litteras conſtuprarunt, vel ad detegenda nonnulla vitia quæ in Hebræum irrepſerant. Libet ſeligere tria ex exemplis, licet abſimili ſcopo, ab eodem Waltono prolatis (*b*). Hieronymus idcirco teſtatur ſe relegiſſe volumina Samaritanorum, apud quæ invenit particulam *cal* ſignificantem *omnis* ſive *omnibus*, ut probaret Judæos corrupiſſe Hebræum, quoad locum Deutoronomii, ubi præfatæ particulæ legebantur (*c*). Cyrillus Alexand. eo fine conſuluit Samaritanum habentem hæc verba Caini ad Abelem: *tranſeamus in campum* (*d*), ut oſtenderet, quam ſincerius Hebræo Textu eo loci fluebat rivulus verſionis Septuaginta, cui concordat Vulgata noſtra legens, *egrediamur foras:*

quæ

(a) *Potiſſimum Lib. I. cont. Celſum Tom. II. p. 426. & in Evangel. Joan. Tom. II. pag. 217. E.*

(b) *Loc. cit. §. 14. p. 372.*

(c) *Legeſis ſuperius dicta cap. I. num. 22. ubi late teſtimonium Hieronymi deſcriptum reperitur.*

(d) *Geneſ. IV. v. 8.*

quæ quidem verba Hebræus prorſus ſilet. Quam ob cauſſam præfatum locum utriuſque verſionis egregio illuſtravit commentario (a). Procopius quoque (b) ſtudio nonniſi detegendi decurtationem Hebræi, verba illa Deutoronomii (c): *Dominus Deus noſter locutus eſt nobis in Horeb &c.* inveniſſe teſtatur in Samariticis Libris Exodi, Levitici, Numerorum (quibus noſtri codices reſpondent) & non in Hebræo: ſcopus itaque noſtrorum procerum conſulentium interdum Textum Samariticum, toto cœlo diſtat a conſilio quo Recentiores hortantur inſpectionem tam Samaritici, quam aliorum Contextuum. Quod ut clarius ſplendidiuſque adfulgeat ita libet præfatum momentum abſolvere.

284. Patres interdum adhibebant Samariticum, ut confunderent malitiam Judæorum; nonnulli Critici provocant ad Samaritanum, ut Judæos excuſent. Illi proferebant lectionem ex Samaritano, ut oſtenderent depravationem Hebræi; iſti laudant Samaritanum, ut ſuadeant Hebræi ſinceritatem. Illi Samaritico vacabant, ut confirmarent adverſus Hebræos Scripturam ab Eccleſia receptam; iſti gloriantur de inſpectione Samaritici, ut valeant eandem Scripturam ab Eccleſia adoptatam & conſecratam, elevare. Tanti veteres faciebant authoritatem Scripturarum, quæ in Eccleſiis Chriſti legebantur, tametſi neque eo tempore fuiſſent vitiorum expertes, neque aliquo ſolemni decreto Eccleſiæ comprobatæ; iſti nullam videntur habere rationem Vulgatæ veteris, non ob-

(a) Eamus, inquit, in agrum. Audiſne, quemadmodum eum, ut in agrum pergeret hortaretur, quo ejus fortaſſis potiretur clementia varioque florum adſpectu oblectaretur? Inſidias tamen impie ſceleratiſſimeque molitur, & eum tanquam quandam intempeſtivam primitiam morti celeriter tradit, atque viam nefandiſſimæ necis generi humano oſtendit. *Et iterum paulo infra*: eamus, inquit in agrum, quod fraudem ſeditionemque oſtendit. *Cyril. Alex. Lib. II. in Geneſ. Tom. I. pag. 5. col. 2. B.*

(b) *Apud eundem Waltonum cit.*

(c) *Cap. I. v. 6.*

obſtante quod Eccleſia probarit calculo ſuo, ſummiſque curis perpolierit. Quis itaque, cui cordi erit ſectari veſtigia noſtrorum venerabilium procerum, ſerena fronte leget Waltonum ita blaterantem (*a*): *Geneſ.* 3. 15. *Samaritanus cum Hebræo legit* ipſe, *non* ipſa *contra audaciam eorum*, *qui Textum Hebraicum hic depravatum ſuſpicantur*. Itaque non tantum tutatur Hebræum, accuſat Vulgatam, & Samaritanum aſſumit ad confirmandum Hebræum adverſus Vulgatam diſcrepantem, ſed inſuper, ut audaces proſcindit illos qui præfata Patrum recta agendi ratione nixi, venerantur lectionem Vulgatæ, quam Eccleſia in concionibus, diſputationibus, officiis conſtanti ſeculorum uſu conſecravit, & conſecrat.

285. Sed quod prætereundum haud eſt: nonne Waltonus multis in locis ſequitur non Hebræum, ſed Samaritanum cum Vulgata? nonne alibi Samaritanus cum Hebræo, & non Vulgata ei arridet? cur igitur & nobis eo magis liberum non erit poſtponere Hebræum & Samaritanum legentes *ipſe*, unice fidem noſtram religioſe & erudite alligando Vulgatæ Latinæ quæ legit *ipſa*, cuique ſunt validiſſimo ſuffragio omnes ferme veteres Eccleſiæ Patres, & apud Criticos nonniſi tenebrarum principe, omnium malolum ſatore, evulgatum eſt: *Hebræus in priſtina puritate necnon Hieronymus legunt* Ipſe *vel* Ipſum *nullimode* Ipſa (*b*)? Niſi me omnia fallant, videtur Waltonus majorem fidem adhibere Samaritano, quam Hebræo & Vulgatæ ſingulatim ſumptis. Verum enim vero, ut in hoc Prolegomeno conſuleret authoritati Samaritani, interdum præfert Hebræo, interdum anteponit Vulgatæ: Hebræo præfert, quum obſervat (*c*) diſcrepantias quas Veteres notarunt inter Hebræum

(a) *Proleg. XI.* §. 18. *p.* 375. *col.* 1.

(b) *Hanc famigeratam controverſiam*, *quæ vertit inter Hæreticum Helvicum & Bellarminum*, *poſtea inter Natalem ab Alexandro*, *& Claudium Fraſſenum penſiculate enucleabimus cap. V.* §. *VIII. per totum*.

(c) §. 14. *per totum fere*.

bræum & Samaritanum, quique Samaritano hiſce in locis, & non Hebræo adhæſerunt; anteponit Vulgatæ, quum conſpicit nonnullis in locis convenientiam inter Samaritanum & Hebræum; qua de cauſſa vult legendum *ipſe*, & non *ipſa*; quia pro explorato tenet Hebræum conſtanter legere *ipſe*, ſicut Samaritanus habet. Quis igitur non eruet Samaritanum in ſententia Waltoni eſſe perpendiculum, quo deberemus ſive in Hebræo, ſive in Vulgata vitia detegere, definire, & caſtigare? quo tamen quid ineptius nemo, ut ipſe Waltonus, bene novit. Hiſce igitur pro noſtra tenuitate penſis & libratis, tenendum autumamus; hodiernum Samariticum, tametſi vitiis abundet plurimis in locis, & nequeat confirmare Hebræum a Vulgata diſcordantem, minime tamen ſpernendum propter venerabilem ejus originem, antiquitatem, aliqualem uſum, quem nonnulli Patres habuerunt, & utilitates, quas retulimus ſupra num. 132. loquentes de Textu Hebraico, quæque proportione ſervata huc referri poſſunt.

§. III.

De integritate Paraphraſis Chaldaicæ.

286. Muris Jeruſalem ab exercitu Chaldæorum in circuitu deſtructis, devictis Judæis in ſancta Civitate habitantibus, necnon captivis Babylonem, ſive Chaldæam deductis, ut ſacra narrat Hiſtoria (*a*): quemadmodum rudiores Hebræorum neceſſitate compulſi Linguæ Chaldaicæ aſſueſcere cœperunt, & ſenſim obliviſci Hebraicæ, ita ne ſtudium & intelligentia divinorum eloquiorum obſoleſceret apud vulgus, proviſum fuit, ut inſtituerentur Interpretes, qui quum legeretur Textus Hebræus, eundem Chaldaico ſermone plebi exponerent. *In uſum*, conſentit Walto-

nus

(*a*) IV. *Reg. cap.* XXV. & II. *Paralip. cap.* XXXV.

nûs (*a*) *plebis*, *cujus ignorantiæ neceſſariò conſulendum erat*, *ut Scripturas intelligerent*, *introductæ ſunt Targumim*, *ſive explicationes lingua ſibi nota*, *ſcilicet Chaldaica facta per Levitas*, *vel Scribas*. Quod ſatis eruitur ex facto Eſdræ, de quo fertur aſſumpſiſſe Librum legis, & in conſpectu totius populi legiſſe, Levitis poſtea interpretantibus: *Attulit* (*b*) *ergo Eſdras Sacerdos legem coram multitudine virorum*, *& mulierum*, *cunctiſque*, *qui poterant intelligere in die prima menſis ſeptimi*. *Et legit in eo aperte in platea*, *quæ erat ante portam aquarum de mane uſque ad mediam diem*, *in conſpectu virorum*, *& mulierum*, *& ſapientium*: *& aures omnis populi erant erectæ ad Librum . . . Porro Joſue*, *& Bani*, *& Serebia*, *Jamin*, *Accub*, *Septhai*, *Odia*, *Maaſia*, *Celita*, *Azarias*, *Jozabed*, *Hanan*, *Phalaja Levitæ ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem*: *populus autem ſtabat in gradu ſuo*. *Et legerunt in Libro legis Dei diſtincte*, *& aperte ad intelligendum*: *& intellexerunt quum legeretur*. *Dixit autem Nehemias . . . & Levitæ interpretantes univerſo populo &c.*

287. Quibus claret quam inaniter Talmudiſtæ (*c*) credant, non Hebraice ſed Chaldaice lectum fuiſſe ab Eſdra Textum legis; ſiquidem non tantum de Eſdra narratur, quod legeret Librum legis, ſed quoque de Levitis, cum exceptione, quod Eſdram audientes erant eorum, *qui poterant intelligere*, ſeu qui Hebræum intelligebant; de iis autem, qui auſcultabant Levitas, fertur: *populus ſtabat in gradu ſuo . . . & intellexerunt cum legeretur*, ideſt intellexerunt, quum Levitæ Textum Chaldaice exponerent, appoſite ad iſta, quæ ſubnectuntur, *& Levitæ interpretantes univerſo populo*. Quare Eſdra aſſumpto Hebræo legebat in gratiam eorum, qui Hebraicam intelligebant; Levitæ Chal-

(a) *Proleg.* XII. §. 5. *p.* 380. *col.* 1.
(b) II. *Eſdræ cap.* VIII. *v.* 2.
(c) *Apud Grotium hunc ſuper locum.*

Digitized by Google

daico ſermone interpretabantur univerſo populo, ſive iis etiam qui Chaldaicam tantummodo audiebant. *Hoc*, ita Waltonus loco citato, *plerique tam Judæi quam Chriſtiani probant ex Neh.* 8. 8. Et legerunt in Libro in lege Dei explanate, & appoſuerunt intellectum; & intellexerunt illam lectionem: *ubi verba priora de lectione Textus Hebræi exponunt, poſteriora de Paraphraſi, ſive explicatione Chaldaica facta per Levitas vel Scribas*. Et Cl. Auguſtin. Calmet (*a*): *Fidei conſonum eſt, Chaldaice traditam fuiſſe eorum explicationem, quæ Hebraice legebantur. Hæc lingua minime ignorabatur a Judæis, verum jam jam vitiari incœperat, & plerique nonniſi ægre jam intelligebant*. Et iterum (*b*): *Licet tunc temporis purus Hebraicus ſermo nequaquam penitus inter Judæos ignorabatur, quemadmodum ex Aggæo liquet, Zacharia, Malachia, Daniele, & ex ipſis quos interpretamur Libris: attamen fidei propius eſt, plebem vulgo, quum in diuturna Babylonis captivitate Chaldaice loqui aſſuevìſſet, non loquutam fuiſſe puriſſimam Hebræorum linguam, neque eam niſi imperfecte intellexiſſe, atque communem Judæorum ævi illius linguam, colluviem quandam fuiſſe ex utraque Chaldaica, & Hebraica lingua male permixtam; quapropter lingua vernacula populo erant enucleanda ea, quæ ipſi in Templi cœtu Hebraice legebantur*. Hæc itaque fuerunt initia Targumim, ſuper quibus

288. INQUIRITUR, an ex eo jam tempore ad aliquam determinatam formulam ſcriptam redactæ fuerint & publice perlectæ, an vero ex cujuſque ingenio, & proprii talenti acumine plebi propoſitæ? ad modum E. G. quo hodie ex præſcripto Concil. Tridentini (*c*) ſinguli Parochi, ſingulis ſaltem diebus feſtis vel ſolemnibus pro uniuſcujuſque modulo, & ad normam Romanæ fidei tenentur lingua populo

(a) *In Lib.* II. *Eſdr. cap.* VIII. *ſuper præfata verba*.
(b) *In Lib. cit. cap.* XIII. *v.* 24.
(c) *Seſſ.* XXIV. *cap.* VII.

Digitized by Google

pulo ſuo vernacula verbum Dei ſcriptum patefacere. Judæi ut majorem auctoritatem Chaldaicis paraphraſibus conciliarent, originem determinatæ formulæ referunt ad Prophetas, imo nonnulli aduſque Moſen, dicentes (a): quod hic in Monte Sinai ſenioribus & Prophetis tradidit paraphraſes Chaldaicas, quas poſtliminio in uſum revocarunt, & reſtituerunt Jonathan & Onkelos. Verum qui vel aliqualem navavit operam tabulis hiſtoriæ veteris Teſtamenti, ex ſeſe coercere valebit haſce Rabbinicas fabellas; quoniam nec aliquo nituntur Scripturæ teſtimonio, neque, cur id facere voluerit Moſes, nobis innoteſcit. Nullibi enim legitur, quod a Moſe aduſque Babylonicam captivitatem Chaldaica lingua apud Hebræos viguerit, quum hoc intermedio tempore ſemper Hebraica ipſis vernacula fuerit: itaque neque neceſſitas, neque utilitas movere poterant Moſen ad conficiendas hujuſmodi Paraphraſes. *Non opus eſt*, apprime inquit Waltonus, *immorari in Talmudicis iſtis commentis refutandis.*

289. Neque a Prophetarum, vel Eſdræ temporibus arceſſenda eſt deſcripta formula Paraphraſium, quia, ut bene animadvertit Joannes Morinus (b): omnium Paraphraſium conſcriptarum antiquiſſima ab ipſiſmet Judæis cenſetur ea, quæ tribuitur Jonathani filio Uzielis; porro ſecundum Talmudicos Jonathan fuit Hillelis diſcipulus; inſuper Hillel tam ex S. Hieronymo, quam ex Rabbinis annis aliquot ante Chriſtum natum in Judæa florebat: tranſmiſſo igitur quod Jonathan fuerit verus Auctor vetuſtioris Paraphraſis, nec & iſta ad tempora Prophetarum revocanda veniet. Non me latet aliud portentum, quod de vita Jonathanis ſomniarunt Talmudiſtæ, nimirum ex ore Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ compoſuiſſe Thargum Prophetarum (c), necnon longos produxiſſe vitæ dies, uſque-

(a) *Apud Walton. cit.* §. 7. *p.* 381. *col.* 1.
(b) *Lib.* II. *Exercit.* VIII. *cap.* I. *p.* 318. *col.* 1. *A.*
(c) Thargum Legis compoſuit Onkelos Proſelytus ex ore ſeu dictatis R. Eliezeris, & R. Jehoſah. Thargum Prophetarum compoſuit Jonathan filius

Digitized by Google

adeo fuerit diſcipulus Hillelis, & viderit Onkelum Proſelytum (a); ſed quam ſtultæ credulitatis ſint iſta Judæorum commenta curſim velim, Morino duce, obſerves. Si Jonathan ex Aggæo, Zacharia, & Malachia Prophetis didicit, quum iſti obierunt, opus eſt dicamus, Jonathanem tunc ſaltem fuiſſe juvenem triginta annorum. Præterea omnes, eodem Morino teſte, fatentur Aggæum, Zachariam, & Malachiam obiiſſe anno creationis 3442., & Hillelem aperuiſſe ſcholam anno 3828.; Jonathan itaque, quum haberet longævam ætatem annorum 416. ſe ſubmiſit Hillelianæ ferulæ. *Quam bellum*, appoſite miratur Morinus, ac ita irridet allegatas nugas (b), *ſpectaculum! Silicernium annos trecentos longe ſuperans, maximi, & acutiſſimi vir ingenii, qui ab ipſis Prophetis juvenis omnem doctrinam divinam edoctus, erat cæteris diſcipulis & adoleſcentibus permixtus, Hillelis juvenis Doctoris pedibus ſubjicitur dictata excepturus. Perperam dixit S. Hieronymus præfat. in Evangel.* Periculoſa præſumptio ſenis mutare linguam, & caneſcentem mundum ad initia retrahere parvulorum. Quid quod ſi Jonathan eſt verus Auctor paraphraſis in Prophetas, & vidit Onkelum editorem Thargum in legem, quum iſte ex dicendis num. 297. floruerit poſt tertium ſeculum reparatæ ſalutis, conſequens eſt, ut vita Jonathanis adusque annum 888. protracta fuerit, quod cuique recti criterii ſtomachum certo movebit. Concludamus itaque, ſi Jonathan longe poſterior fuit Prophetis, plane origo Targumim conſcriptarum

lius Uzielis ex ore Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, & commota eſt terra Iſraelis quadringentis milliaribus in longum & latum. *Ex Talmudico deſcripſit Morinus loc. cit. p. 320. col. 1. E.*

(a) Jonathan filius Uzielis valde produxit dies vitæ, itaut juvenis doctrinam Cabbalæ ab Aggæo, Zacharia, & Malachia Prophetis acceperit; in medio vero vitæ ſuæ fuerit e ſociis ſeu condiſcipulis R. Jochanan filii Zacchæi; qui fuerunt diſcipuli Hillelis ſenioris. In fine vero vitæ ſuæ vidit Onkelum Proſelytum in illa generatione. *Idem Morinus cit. ex R. Ghedalia.*

(b) *Loc. cit. p. 320. col. 2. E.*

Digitized by Google

rum minime ad tempora Prophetarum referenda eſt. *Origo*, fatur quoque Waltonus (a), *itaque Paraphraſium ab Eſdræ temporibus non altius arceſſenda eſt, quo tempore ſine præſcripta forma explicationes factæ ſunt, ſcriptæ vero non ante Jonathanem & Onkeloſum, quantum ex Judæorum monumentis colligi poteſt.*

290. JAM VERO de Paraphraſium integritate & authentia mihi ſermonem acturo, præfari intereſt: *primo* Judæi, ut teſtatur Fraſſenus, Chaldaicarum Scripturarum verſionem *Thargum* in ſingulari, & in plurali *Targumim* appellant, hoc eſt *Interpretationes* & *Expoſitiones*, ſeu *Paraphraſes* quæ plerumque non tam verba quam ſenſus, addita etiam interdum ſacri Textus explicatione, referunt. *Secundo* celebris & antiqua eſt apud Judæos partitio ſacrorum Librorum in tres claſſes; in *Legem* ſub qua continentur quinque Libri Moſis, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium; in *Prophetas* tum priores, nimirum libros Joſue, Judicum cum Ruth, Samuelis, ſive primum & ſecundum Regum, Malachim, puta tertium & quartum Regum, Iſaiæ, Jeremiæ cum Threnis, Ezechielis; tum poſteriores, puta duodecim minorum Prophetarum, quorum monumenta pro unico Libro habent; & in *Hagiographa* ſive in Libros pios, Job, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtes, Canticorum, Danielis, Paralipomenon, Eſdræ quoad primum & ſecundum, & Eſther. *Tertio* multæ circumferuntur Targumim, alia enim eſt in Legem quæ tribuitur Onkelo, alia in Prophetas Jonathani adſcripta, alia in Hagiographa adjudicata cuidam Joſepho cæco. Præter has, quibus tam Judæi quam eruditi Chriſtiani primas referunt, extant duæ aliæ in Pentateuchum, una eidem Jonathani relata, altera quæ Hieroſolymitana dicitur propter Urbem ex qua prodiit, vel ob ſtylum quo conſcripta eſt, ſed incerti Auctoris; alteram quoque, aliis præ-

(a) *Proleg.* XIII. §. 7. *p.* 381. *col.* 2.

Digitized by Google

prætermiſſis, utpote quæ deterioris notæ & Talmudicis nugis magis ſcatentes, Paraphraſim Critici proferunt, quam nonnulli appellant Babylonicum Thargum, complectens interpretationem quinque Librorum, ſcilicet, Canticorum, Ruth, Threnorum, Eccleſiaſtes, & Eſther: his prælibatis.

291. Quantum Judæi efferant Targumim ſatis Lyranus, Epiſcopus Canatenſis, & Raymundus (a) deprompſerunt. Inter cæteras autem, tamquam cœlitus confectas agnoſcunt Paraphraſes Jonathanis in Legem & Prophetas, & Onkeloſi in Legem: quare de Jonathane tradunt Talmudici, quod ex ore Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ compoſuerit Thargum Prophetarum, quod eo tempore commota fuerit Terra Iſraelis quadringentis milliaribus, uti retulimus n. 289., tumque egreſſa voce dixerit: *Quis (b) eſt ille, qui revelavit ſecreta mea filiis hominum? continuo Jonathan Uzielis filius in pedes exurgens dixit: Ego ſum ille, qui revelavi ſecreta tua hominibus. Manifeſtum, notumque eſt coram te, quod non bonoris mei ſtudio id fecerim, neque propter honorem Patris, ſed propter tuum honorem feci illud, ne diſſenſiones multiplicarentur in Iſraele. Porro quum cuperet quoque manifeſtare Thargum Hagiographorum, rurſus egreſſa eſt vox cœleſtis dicens ipſi: Sufficit tibi. Quamobrem quia in eis eſt finis Meſſiæ.* Sed adeo mirabilis ſanctitudinis, quam Jonathani Talmudici tribuunt, nondum finis: *De Jonathane (c) Uzielis filio etiam proditum, quod quo tempore ſederet, ac operam navaret Legi, aviculæ omnes ſuper ipſum tranſvolantes exuſtæ ſint.* Tantum quoque auctoritatis donant Thargo Onkeloſi, ut quoad uſum cæteris prætulerint, referente Elia Levita (d): Quod *ante inventam artem*

(a) *Citati apud P. Dominicum Gravinam Lib.* IV. *Præſcript. controv.* VI. *art. unico p.* 272. *col.* 2.

(b) *Talmudici in Tract. Meghilla cap.* 1. *fol.* 3. *p.* 1. *juxta interpretationem Morini cit. p.* 319. *col.* 2. *D.*

(c) *Talmudici in Tract. Bava Bathra f.* 134. *&* *Suca f.* 28. *juxta eundem Morin. cit.*

(d) *Præfat. in Methurg. apud Walton. Proleg.* XII. §. 9. *p.* 382. *col.* 2.

tem Typographicam licet reliquorum Targumim unum vel duo in Provincia extarent, Onkeloſi ubique in uſu fuerit; & hoc ideo quod nos (Judæi) *obligati ſumus ut legamus quavis ſeptimana Paraſcha bis, ſemel in Textu, & ſemel cum Thargum*. Tres Hæretici Witakerus, Danæus, Hunnius, teſte cit. Gravina, *Judæorum patrocinium ſuſceperunt, omnimodam* (præfati Thargum) *incorruptionem defendentes in omnibus, & per omnia*.

292. Waltonus, cui peculiari ſtudio libuit de qualibet aqua Orientali libenter bibere, juxta illud, *viro ſcortatori quilibet panis ſuavis*, differens de auctoritate Targumim, tametſi improbet opinionem Judæorum adjudicantium Paraphraſibus potiſſimum Onkeloſi & Jonathanis æqualem cum Textu Hebraico auctoritatem; tametſi pro meris fabellis agnoſcat expoſitas nugas circumciſorum, qui allegatas Paraphraſes deferunt ad originem divinam; licet tandem fateatur non aliam auctoritatem iſtas habere niſi humanam, in quantum non ab hominibus Spiritu Sancto afflatis profectæ, ſed elaboratæ ſtudio & mediis ordinariis; adhuc tamen autumat, Paraphraſes Onkeloſi, & in pleriſque Jonathanis, Textui Hebræo teſtimonium ferre, ejuſdemque integritatem confirmare adverſus eos qui de Judæis clamant, quod codices ſacros depravarint poſt Chriſti tempora; quoniam ex Chaldaica paraphraſi ſignanter Onkeloſi, quam cum Hebræo Textu ubique fere concordare dicit, plane refutantur. Quo ſtatuto profert nonnulla exempla, in quibus aſſumit lectiones Targumim ad confirmandam integritatem Hebræi hodierni, & conſequenter ad taxandam Vulgatam Latinam, ob id concludens: Paraphraſtem Chaldaicum loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici inſervire poſſe ad veram lectionem in dubiis confirmandam. Ne autem quis arbitretur iſthæc ex proprio cerebro me comminiſci, ſubjiciantur ipſius verba (*a*): ***Primo itaque Textui Hebræo teſti-***

(a) *Proleg.* XII. §. 17. *p.* 387. *col.* 2.

teſtimonium ferunt , ejuſque integritatem confirmant Paraphraſes præſertim antiquiores , quæ Hebræum ſequuntur , ut Onkeloſi , & in pleriſque Jonathanis . . . Idcirco qui de Judæis clamant , quod codices ſacros depravarunt , hoc argumento convincuntur . Etiam & illi , qui poſt Chriſti tempora dicunt , Judæos ſuos codices depravaſſe : ex Chaldaica paraphraſi , præſertim Onkeloſi plane refutantur , quæ cum Hebræo Textu ubique fere concordat , ut in loco illo celebri de promiſſo ſemine Gen. 3. 15. *Sunt qui in quæſtionem vocant , Textum Hebræum , quaſi aliter olim hæc verba legerentur , ſcilicet* ipſa *gen. fœmin. Hic vero pro Textu Hebræo hodierno teſtantur Paraphraſes Onkeli , Hieroſol. & Jonathani adſcriptæ , quæ omnes vel legunt* ipſe *gen. maſc. cum Hebræo , ut Onkelos , vel ad* ſemen *verba referunt , non ad mulierem . Pſal.* 131. *v.* 15. *Latina Vulgata legit* , viduam ejus benedicam : *in Textu Hebræo eſt* , victum ejus benedicam . *Hic pro Hebræo judicium fert Chald. Paraphr. dum Hebræum vocabulum reddit per* cibum , *cui conſentiunt Aquila , & Symmachus . Hinc Paraphraſtem Chaldaicum loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici eſſe poſſe ad veram lectionem in dubiis confirmandam* . Hactenus doctus Anglus cui plerique ex Criticis conſentiunt .

293. Quantum vero ſyſtemati noſtro atque authentiæ Vulgatæ correctæ hujuſmodi Waltoniana doctrina refragetur, puto , lectorem ex ſe ſe intellexiſſe ; quoniam ſemel conceſſo quod Paraphraſes tantæ ſint auctoritatis , ut valeant confirmare Hebræum , inevitabiliter ſequitur , iis omnibus in locis vulgatam eſſe vitioſam , in quibus diſcrepat ab hodierno Hebræo cum Paraphraſibus concordante . Principia vero imo potius præjudicia , quibus nititur Waltonus hanc probare ſententiam , duo eſſe videntur . *Primum* quia Paraphraſes Jonathanis & Onkeloſi ſunt antiquiſſimæ , adeout idem Servator Jeſus ſuo ſacratiſſimo ore nobilitarit , quum in cruce pendens non ſecundum Hebræum , ſed ex Thar-

gum

gum recitavit (*a*) verba Pſalmi *Deus Deus meus quare me dereliquiſti*, ſicut quoque Chaldaico uſus fuit in lectione Sabbatina, quam habuit in Synagoga (*b*). *Secundum* quia ſunt ſinceræ ſine ulla corruptione: quare de *primo* inquit (*c*): *Certe verſiones iſtas antiquiſſimas fuiſſe & eorum*, puta Origenis, Hieronymi, Epiphanii &c. *tempore extitiſſe, ſaltem Onkeloſi & Jonathanis negari non poteſt*, & iterum (*d*): *Non deſunt qui omnes Judæorum libros . . . . damnant ut prorſus inutiles, impios, & inter Chriſtianos non ferendos. At hoc de omnibus recte non poteſt affirmari, quum Jonathan ante Chriſti adventum ſcripſerit, & fortaſſe Onkelos*. Quoad *ſecundum* habet (*e*): *De ſinceritate vero Targumim eadem eſſe hodie ſine ulla corruptione, niſi quæ ex temporum injuria, & codicum varia lectione omnibus libris accidit*: item (*f*) *Chaldaica paraphraſis præſertim Onkeloſi... cum Hebræo Textu ubique fere concordat*, & paulo infra: *Paraphraſten Chaldaicum loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici eſſe poſſe ad veram lectionem confirmandam*. Hæc inquam videntur eſſe validiora monumenta, quibus Waltoniana ſententia fulcitur, quibuſque ex inſtituto exagitandis & convellendis, operæ pretium duco, navare operam. Et quoniam pro antiquitate, & auctoritate præſertim Targumim Jonathanis & Onkeloſi, tam Judæi, quam Waltonus cum ſuis aſſeclis contendunt, ſuper his in præſentia criſis unice inſtituetur.

294. TARGUMIM Jonathanis, & Onkeloſi poſteriores ſunt Hieronymiana ætate. Ducam exordium a Thargum Jonathanis in Legem, qui quidem ſuper hæc verba (*g*): *Filii*

(a) *Matth.* XXVII. *v.* 46.
(b) *Lucæ* IV. *v.* 16.
(c) §. 15. *p.* 386. *col.* 2.
(d) *Pag.* 387. *col.* 1.
(e) *Pag.* 386. *col.* 1.
(f) *Pag.* 387. *col.* 2.
(g) *Geneſ.* X. *v.* 2.

Digitized by Google

Japheth, *Gomer*, *&* *Magog*, *&* *Madai*, *&* *Javan*, *Thubal*, *&* *Moſoch*, *&* *Thiras*, facit mentionem Turcarum ita expendens (*a*) : *Nomen Provinciarum eorum* , *Africa*, *Germania*, *Media*, *Macedonia*, *Jethinia*, *&* *Oſia*, *&* *Turcæ*. Compertum eſt, Romanis, Græcis, & populis Aſiæ minoris, atque etiam Syris vix ante annum Chriſti ſexcenteſimum Turcas innotuiſſe; itaque dicamus oportet, aut hujuſmodi Thargum eſſe ſuppoſitum Jonathani, quem adverſarii autumant floruiſſe ante Chriſtianam æram, aut Jonathanem germanum Auctorem elucubraſſe hanc Paraphraſim poſt ſeculum quartum a Chriſto nato. Similiter iſtud Numeri (*b*): *De Jacob erit qui dominetur*, *&* *perdat reliquias Civitatis*, Civitatem iſtam Jonathan interpretatur eſſe Conſtantinopolim: *Et ſurget* (*c*) *Dominator de domo Jacob*, *perdetque & delebit reliquias*, *quæ relinquentur ex Conſtantinopoli Civitate impia: vaſtabitque & diruet arcem rebellem*, *&* *palatium validum*, *urbes populorum*. Quibus, ut vides, ita de Conſtantinopoli loquitur, atque de Civitate jam multarum actionum in Judæorum perniciem auctrice; & tamen fundamenta hujus Civitatis, juxta Codinum in Libro de Conſtantinopoli (*d*), nonniſi menſe Novembri anni decimi noni Imperii Conſtantini, ſive, ut fert Ludovicus Danes, (*e*) anno Chriſti 330. jacta fuerunt. *Unde*, apprime Morinus (*f*), *falſiſſimum eſſe colligitur Jonathanem illum filium Uzielis*, *qui Chriſtianam æram multis annis præcedebat*, *ſi modo talis unquam fuerat*, *eſſe iſtius Paraphraſis Auctorem*; *ſed aliquem alium ejuſdem nominis*, *eſto quinque aut ſex ſeculis juniorem*. Vel ſi Morino ſubſcribere reſtiterimus, opus eſt ſtulte credamus, Jonathanem iſtum

(a) *Apud Morinum lib.* II. *Exerc.* VIII. *cap.* II. *n.* IV. *p.* 322. *col.* 2. *A.*
(b) *Cap.* XXIV. *v.* 19.
(c) *Apud Morinum cit.*
(d) *Apud Natalem Hiſt. Eccleſ. ſec.* IV. *cap. ultimo art.* I. *Tom.* VIII. *pag.* 361.
(e) *De generali Temp. notion. De Imper. Orient. Tom.* III. *p.* 173.
(f) *Loc. cit. p.* 322. *col.* 1. *D.*

iſtum, prædicendo conceptis verbis, tot antea ſeculis Turcarum populos, & Civitatem Conſtantinopolitanam, Prophetas omnes longe ſuperaſſe.

295. Quantum vero ad Paraphraſim ejuſdem in Prophetas, in anteceſſum velim notes cum eodem Morino (a). Judæi, Chriſti & Apoſtolorum temporibus, credentes Meſſiam ſuum fore maximum Regem, qui Romanis debellatis ipſos in libertatem aſſereret (ut paſſim eruitur ex Evangelio & Apoſtolicis Actibus), idcirco annis 52. poſt deletum Templum, imperante Adriano, quum quidam Barcozba ſe ſe Meſſiam profeſſus eſſet, cruentumque bellum Romanis indixiſſet, ſtatim ut talis a Judæis agnitus fuit; quum autem eventus ſpem aſſentatorum fefelliſſet, ob id & hanc aliam fabricarunt fabulam. Duos nimirum futuros eſſe Meſſias, priorem a Joſepho Jacobi filio oriundum, alium ex progenie David: prior contra Antichriſtum, quem *Armillum* ficto nomine vocant, multa bella geret; ſed quoniam ab *Armillo* tandem ſuperabitur, exurget tunc poſterior Meſſias qui *Armillum* devincet, univerſumque ſubjiciet Judæis. Modo Jonathas in Paraphraſi Prophetarum hujuſmodi fabulæ, quam Judæi poſt tempora Adriani, & Barcozbæ commentati fuere, recordatur, dum verba Iſaiæ (b): *Sed judicabit in juſtitia pauperes, & eruet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, refert ad præfatum Meſſiam, qui de *Armillo* ducet triumphum: *Et judicabit* (c) *in veritate pauperes, & arguet cum fidelitate inopes populos terræ, & percutiet peccatores verbo oris ſui, & in oraculo labiorum ſuorum interficiet Armillum impium*. Et infra (d) ubi legimus: *Et convertentur torrentes ejus in picem*, expendit: *Convertentur torrentes Romæ in picem, &* pul-

G 2

(a) *Loc. cit. num.* XXIV. *p.* 329. *col.* 1. *D.*
(b) *Cap.* XI. *v.* 4.
(c) *Juxta lectionem Morini cap.* III. *n.* VI. *p.* 332. *col.* 2. *C.*
(d) *In verſ.* 9. *cap.* XXXIV.

Digitized by Google

pulvis ejus in ſulphur &c., quæ interpretatio ſupponit quoque allegatam fabulam de poſteriore Meſſia, qui *Armillum* cum Romano Imperio prorumpet.

296. Item nemo veterum ſcriptorum Chriſtianorum & Judæorum, qui Hieronymo præiverunt, vel fugacem mentionem faciunt de præfato Jonathane, ejuſdemque Thargum in Legem: equidem de ſcriptoribus Chriſtianis affulgebit num. 298., de Judæis ſatis habeo dicere: Azarias (*a*) capite quadrageſimo octavo Imrè Binah, ſcrutatis libris Bereſith Rabba, aliis antiquis traditionibus *Miſchnæ*, atque etiam Talmude Hieroſolymitano, tantum Aquilam (*b*), teſtatur, inveniſſe citatum; ſed tam *Miſchna* (*c*), quam Talmud Hieroſolymitanum (*d*) nonniſi poſt ætatem Hieronymi in lucem prodierunt: nam licet R. Abraham Levita ſcribat, *Miſchnam* compoſitam fuiſſe anno contractuum 500. poſt excidium Templi 120., hoc eſt, anno Chriſti 189.; & alii Judæi referant ad ſeriorem ætatem, puta ad annum Domini 219. *At ſane*, ſubdit Morinus, *tribus ſeculis poſteriorem eſſe, validæ rationes evincunt*, quas, ne in longum abeam, apud eundem conſulere quis poterit. Conſtat etiam, ipſis Judæis conſentientibus, Talmud Hieroſolymitanum annis 60. vel 70. poſt *Miſchnam* editum eſſe, quum *nihil aliud ſit*, inquit Morinus (*e*), *quam Textus Miſchnæ variis quæſtio-*

(a) *Teſte Morino cap.* VI. *num.* VI. *p.* 342. *col.* 1. E.

(b) *De quo egimus capite* III. *n.* 213.

(c) *Duplex eſt apud Judæos Hebræi Textus interpretatio, Oralis ſcilicet & ſcripta; ſive quæ aut viva voce, aut ſcriptis a majoribus tradita ad poſteros propagatur. Rabbi Jehuda traditiones illas, & Legis Oralis expoſitiones, a Doctoribus apud ſuos pietate, ac ſapientia illuſtribus confectas, collegit, atque in unum volumen, quod inſcripſit* Miſchna, *digeſſit. Legeſis Fraſſenum Diſquiſit. Biblic. lib.* II. *cap.* II. *pag.* 202. *& ſeqq.*

(d) *Juxta noſtrum Galatinum laudatum a Fraſſeno cit. pag.* 210. *Talmud Hieroſolymitanum eſt doctrina, ſive diſciplinatio, Commentaria omnia ac ſtatuta Hebræorum complectens; quare Talmud a radice* Lamad *derivatum ſignificat docere; quum potiſſima doctrinæ & diſciplinæ judaicæ capita, ad jus divinum humanumque pertinentia, contineat.*

(e) *Loco nuper cit. p.* 295. *col.* 1. C.

Digitized by Google

ſtionibus, *&* *difficultatibus in medium propoſitis*, *&* *in utramque partem agitatis*, *ipſoque Textu relato explicatio*, *&* *definitio*. Itaque ſi nec *Miſchnam* neque Talmud præfatum Jonathanem ſubodorantur, plane Paraphraſes, quæ huic adſcribuntur, poſteriores ſunt Hieronymiana ætate.

297. Veniam modo ad examinandam antiquitatem Thargum Onkeloſi, de cujus ſtemmate Judæi adeo magnifice ſentiunt, ut otioſi potius eſſet tot, quotquot commentati ſunt, fabulas percenſere. Elias Levita, Onkelon facit filium Titi, qui Templum diruit; Scriptores poſt Levitam, ut Ghedelias Tſemack David aliique cenſent, Onkelon, qui nepos ex ſorore erat Titi Cæſaris, non eſſe eum qui Legem tranſtulit, vocatus in Libro *Zoar* Interpres Legis, & de quo dicitur, fuiſſe proſelytum diebus Hillelis & Samai: alii tandem cum Talmudiſtis Babyloniis, Aquilam antiquiſſimum Interpretem Græcum cum Onkelo Paraphraſte confundunt (*a*). Sed quanti faciendæ ſint hujuſcemodi inanes Judæorum anxietates, ſatis oſtendere cenſeo: *primo* ex mutua earundem oppoſitione, ut conſideranti affulgebit: *ſecundo*, Judæi omnes Talmude Babylonio antiquiores, teſte laudato Morino (*b*) in Libris Judaicis exercitatiſſimo, minime Onkelon, ſed tantum Aquilam agnoverunt, ſicut Talmudici Babylonii primi fuere, qui, quæ de Aquila Pontico antiquiores dicebant, Onkelo multum juniori tribuerunt: unde poſtea ortum duxit opinio exiſtimans, Onkelon & Aquilam unum eſſe eundemque Interpretem (*c*); hinc probe Morinus colligit, hance quoque paraphraſim Onkelos poſteriorem eſſe Tal-

(a) *Legeſis Morinum lib.* II. *Exercit.* VIII. *cap.* V. *num.* 1. *&* *ſeqq. qui ex teſtimoniis excerptis ex Judæorum libris haſce ſententias fert.*

(b) *Loc. cit. num. V. p.* 342. *col.* 1. *A.*

(c) *Quam opinionem abunde refellit Azarias cap.* XLVIII. *Imrè Binah apud Morin. cit., cui adſtipulati ſunt omnes fere poſteriores eruditi. Et ſane, quia Aquila nihil Chaldaice tranſtulit, & quoties citatur in Talmude Hieroſolymitano, aut Bereſith Rabba, aut aliis antiquis* Midraſchin, *ſemper aſſumitur ad explicandum Hebræum, non quidem Chaldaice, ſed Græce, quemadmodum præfatus Azarias tredecim exemplis periculum fecit.*

Digitized by Google

Talmude Hieroſolymitano, & iiſdem *Midraſchim*: *tertio*, Onkelos pariter meminit famoſæ Judaicæ fabulæ de ſuo futuro Meſſia, univerſo Orbi terrarum dominaturo, quamque ſupra innuimus n. 295.; etenim verba iſta (a): *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth*: hac lege reddit Chaldaice: *Cum conſurget Rex de Jacob, & ungetur Meſſias de Iſrael, occidet Duces Moab, & dominabitur filiis hominum*. Itaque iiſdem fere momentis quibus probavimus ſomniatam antiquitatem Targumim Jonathanis, liquet, paraphraſim Onkelos in Legem ſeriorem fuiſſe Hieronymiana ætate.

298. Juvat tandem uti momento plane decretorio, quod adverſus antiquitatem Paraphraſium, & cæterorum Librorum, quos Judæi pro antiquiſſimis pariter venditant, Clariſ. Morinus ſæpe profert, atque ex eodem proferunt multi recentiores, ſignanter Fraſſenus (b). Si Paraphraſes antiquiſſimæ reapſe forent, qua ratione potuerunt Origenem, Epiphanium, totque Judæos ad Chriſtianiſmum converſos latere? Quid de S. Hieronymo dicemus, qui a Judæorum Rabbinis linguam Chaldaicam didicit? quid aliud erat illis commodius, quam præfatas Targumim, vel ſaltem eam Onkeli, qui Textum Hebræum, adverſariis teſtantibus, reddit verbum e verbo, Hieronymo tradere, ut hujus collatione cum Hebræo facilius hic linguam addiſceret? Itaque ſi Targumim nuſpiam Origenes, Epiphanius, Hieronymus ſubodorati ſunt, indubio argumento eſt, ut afferamus id accidiſſe, quia revera nulla penitus Paraphraſis extabat Hieronymiano tempore, *vel ſaltem*, ut affirmat Morinus, *ante annum Chriſti quadringenteſimum edita non erat*; conſequenter apud ſomniantium tantum mentes ſubſiſtit evulgata Targumim Jonathanis, & Onkeloſi antiquitas.

299.

(a) *Numer.* XXIV. *v.* 17.
(b) *Secul.* II. *Hiſt. Ecc. Diſſert.* XI. *Tom.* VI. *p.* 353.

Digitized by Google

299. Reponit Waltonus (a) cum Helvico. Idcirco apud Patres Eccleſiæ de Paraphraſibus nulla fit mentio, quia tunc inter Judæos & Chriſtianos magnæ ſimultates vigebant, tantæ etiam eo tempore, ac ſequentibus inter Judæos & Chriſtianos erant animorum acerbitates, ut Patres Chriſtiani Judæorum libros abominarentur; quum enim ex una parte putarint Hebræum Textum in multis a Judæis malitioſe corruptum, & ex altera habuerint vetus Teſtamentum a Septuaginta Senioribus Græce converſum, quod ab Apoſtolis receperunt, & magno honore proſequebantur, minime neceſſarium æſtimarunt circa Judaicos codices operam impendere, arbitrantes ſufficere ad confirmandam & dilatandam fidem Chriſti animaſque Deo lucrandas Græcam, Latinam, aliaſque verſiones.

300. Sed priuſquam ad hæc refellenda accedamus, curſim obſerves velim, quomodo hanc ſibi Waltonus ædificavit turrim, ut ſibi quoque pararet ruinam. Annon ipſe monet (b), quod nemo aſſequi poſſit plene & perfecte explicationem myſteriorum divinorum, niſi inſpectione ipſarum originalium tabularum? quod neceſſaria ſit earundem cognitio ſaltem iis, qui eloquia divina aliis explicare tenentur? quod abſurdum ſit, ut legatus aliquis mandata Regis ſui non intelligat, ſed Interprete opus habeat? annon hujuſmodi neceſſitatem conſulendi Judæorum Textum, eruit etiam ex teſtimoniis Hieronymi, Auguſtini, Bellarmini, Cani, & Ariæ Montani? & alibi, (c) eam proculdubio pro vera, & genuina lectione habendam eſſe cenſet, quæ ex antiquis Patrum Eccleſiæ ſcriptis corroboratur? Jam vero ſi veteres Eccleſiæ proceres, ad voluntatem ipſiuſmet, abominabantur Judæorum libros, contenti erant ſolis verſionibus Græca & Latina, neque neceſſarium putarunt circa

co-

(a) *Prol.* XII. §. 15. *p.* 386. *col.* 2.
(b) *Proleg.* III. §. 28. *p.* 238. *col.* 2.
(c) *Proleg.* VI. §. 6. *p.* 272. *col.* 2.

Digitized by Google

codices Hebraicos operam impendere, quis non eruet ex ſententia Waltoni, proceres Eccleſiæ haud plene & perfecte aſſecutos fuiſſe cognitionem divinorum myſteriorum, haud munus ſuum ſatis expleviſſe, quum ſine inſpectione tabularum originalium oves ſibi creditas paverint, ineptiſſimos quoque fuiſſe divini Regis legatos, & tandem minime eam lectionem exiſtimandam eſſe genuinam, quæ ſcriptis veterum Patrum roboratur (*a*)? Vide quantum mali & perniciei ſibi Waltonus crearit: alias ut univerſum mundum excitaret ad ſtudium linguæ Hebraicæ, qua tamquam hamo Auctores hodiernorum Hæreticorum abuſi ſunt ad capiendos piſces (*b*), protulit, veteres magni Hebraicam feciſſe; mo-

(a) *Efferant quantumvis ſapientes ſeculi præſtantiam Rabbinicæ linguæ, ubique ejuſdem ſtudium commendantes, haud opinor lectori ſucum facere, quum dicam: eum credendum eſt exacte, pleniuſque fuiſſe aſſequutum intelligentiam divinorum eloquiorum, qui fructum, propter quem Deus ſacras litteras largitus eſt nobis, uberius copioſiuſque ex earundem ſtudio percepit; ſeu qui ſibi aliiſque creavit ſpiritualem profectum: porro neminem latet, hujuſmodi fructum Deo accepriſſimum, a veteribus SS. Patribus plene ex Scripturis fuiſſe collectum, quum non modo ſemetipſos mira ſanctitudine exornarint, ſed inſuper Scripturarum oraculis Judæos & Gentiles perduxerint ad regenerationis lavacrum, pabulo Scripturarum eoſdem ſalubriter ſaginantes, & ex eadem tandem Spiritus Sancti officina medelam cuique morbo accommodatam, apprime ſeligentes. Et Hæretici noſtri temporis, qui eodem ferme pacto incumbunt divinis litteris ac cæteris monumentis ſæcularium ſcriptorum, paſſim ſenſum allegoricum ſpernentes? non modo nullum ſibi ſpiritalem fructum pepererunt, quum nulla extra Romanam Eccleſiam ſalus inveniatur; ſed quoque adſtipulati Judæis, judaiciſque tricis, dereliquerunt fontem aquarum viventium, nimirum Vulgatam Latinam, abalienati ſunt a ſenſibus noſtrorum procerum, per prævaricationem fruſtrati ſunt Dei verbum, vinum aqua miſcentes, ſtatuenteſque diſtortas interpretationes, modo addentes, modo auferentes, modo, quemadmodum volunt, intelligentes. Æqui judices, quos opto, definiant, ſi vel quoad minimam partem præfati Nugatores hac lege aſſequantur eam intelligentiam myſteriorum divinorum, quam Spiritus Sanctus ex cœleſti Scripturarum beneficio vult, ut conſequamur.*

(b) *Inter omnes Recentiores, qui linguis addiſcendis dederunt operam, longe plures ſemper fuerunt, qui protexerunt integritatem hodiernorum fontium, aliaque conſectaria, quæ ex hoc principio enaſcuntur: quare Simeon de Muis mirabatur, quomodo Joannes Morinus, tametſi peritiſſimus linguarum, pro viribus oſtenderit, corruptionem Hebræi Textus, eundemque Vulgatæ Latinæ poſtpoſuerit. Et ratio a priori eſt, quia linguarum periti, ex hypotheſi quod fontes hodierni ſint integri & authentici, quemadmodum inferunt ad normam* ſon-

Digitized by Google

modo, quia profundum ſilentium veterum aperte detegit ſomniatam vetuſtatem Targumim aliorumque Judaicorum Librorum, non eſt veritus removere ab eiſdem qualecunque ſtudium Hæbrei Textus, & Auctorum de Synagoga, ſed ad cauſſam propius accedo.

301. Quamquam allegata reſponſio duorum Hæreticorum quid veriſimilitudinis habeat reſpectu multorum veterum Patrum, qui in Oriente exemplo Chriſti & Apoſtolorum ſola contenti erant verſione Græca, & in Occidente verſione Latina (ex qua quidem antiquiſſima agendi ratione præfocatur immoderatio Criticorum, paſſim detrahentium auctoritati verſionum); nihilo tamen ſecius cavillatio funditus cadit, ſi potiſſimum ſpectes Origenem, Epiphanium, & Hieronymum. Suſpicaberis forte, quod & iſti fuerint Judæorum Libros abominati? quod minime neceſſarium putarint circa judaicos codices operam impendere? De Origene, nemo ignorat labores, quos exantlavit pro exacta deſcriptione Hebraici Textus in omnibus ſuis Polyglottis. De Epiphanio, ſcitur, ex parentibus Judæis duxiſſe originem, a doctiſſimo Tryphone adoptatum in filium, ſub ejuſdem diſciplina edoctum, & nonniſi poſt elapſam adoleſcentiam inter Chriſtianos annumeratum. Cuique tandem innoteſcit, Hieronymum plurimum incubuiſſe libris Judaicis, conſuluiſſe celeberrimos Judæos, necnon multis annis in Judæa, & in Syria commoratum fuiſſe: quantum itaque ſpectat præclaros hoſce veteres, omnino præcluditur effugium Helvici a Waltono excultum.

302. Niteris, mihi dices, mero argumento negativo, quod apud Dialecticos infirmam parit conſecutionem; at ſcito, hiſce tribus clariſſimis Patribus præſentiſſimam fuiſſe occa-

fontium controverſias fidei & morum fore dirimendas, ita pariter contendunt, in eiſdem examinandis non Theologos, ſed peritos linguarum primo & potiſſimum conſulendos, & auſcultandos; atque hujuſmodi lenocinio allecti, quo Theologis quantumvis peritiſſimis ſe ſe præferunt, incumbunt linguis comparandis, & evulgant authentiam fontium. Legeſis num. 486.

Digitized by Google

occaſionem faciendi mentionem Targumim, aliorumque Librorum, ſi qui tunc apud Judæos extitiſſent. Verum enim vero, Origeni ingenti ſtudio fuit reſtituere integritatem verſionis Viralis, pro quo commodius certe ſibi fuiſſet, ſi non deſcribere, ſaltem conſulere Thargum Jonathanis, Onkeloſi, Libros *Miſchnæ*, alioſque Rabbinorum tractatus, interpretationes, expoſitiones; quemadmodum reapſe hodierni Critici iſthæc neceſſario conſulenda eſſe ſtatuunt, ad hoc ut genuina Scripturæ lectio inveniatur, vel ſtabiliatur: ſicque Origenes dubio procul inſpexiſſet, & laudaſſet, ſi tunc vere apud Judæos illa fuiſſent: *adde*, quod in ſuis ſcriptis ſæpe recordatur (*a*) traditionum Judaicarum, quæ eo jam tempore vigebant; annon magis memoria dignæ erant Targumim, quæ per adverſarios ſemper apud Judæos fuerunt, & ſunt maximæ auctoritatis? Epiphanius haud neglexit recitare affatim Hæreſes omnes, quæ inter Judæos primas obtinuerunt (*b*), ſicut etiam percenſere numerum traditionum cum nominibus Auctorum, quibus Judæi tunc utebantur (*c*); itaque a fortiori, ut dicitur, ejus inſtituto incumbebat referre numerum Targumim, necnon appellare nomina Auctorum, quorum Judæi, adverſariis teſtantibus, magnam rationem habebant. Eadem argumenta conficere poteris pro Hieronymo, cui pariter maximæ curæ fuit ex omnibus Libris, quorum uſum habere potuit, quibuſque ſua Bibliotheca abundabat, haurire germanam lectionem Hebræi, & Latino ſermone ſuæ novæ editioni apponere: item, traditionum Judaicarum multoties in ſuis operibus meminit, & nullus erat

Liber,

(a) *Teſte Morino lib.* II. *Exer.* VI. *cap.* II. *n.* IV. *p.* 295. *col.* I. *E.*

(b) *Lib.*I. *cont. Hæreſes*, *Hæreſi* XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. *et* XIX. *a pag.*8. *& ſeqq. ubi edìſſerit de Religione & ritibus Judæorum, atque ita opportuniſſimam occaſionem habuit ſubodorandi Targumim.*

(c) Traditiones Seniorum, expoſitiones apud Judæos appellantur. Sunt autem hæ quatuor, una quæ Moſis nomine fertur, altera ejus qui vocatur Rabbiaciba, tertia Adda, ſive Juda, quarta filiorum Aſſamonæi. *Epiphan. lib.* I. *Hæreſi* XXXIII. *pag.* 54. C.

Digitized by Google

Liber, quem Hieronymus a Judæis pecunia non obtineret, ut eruitur ex Epiſt. CXXV. ad Damaſ. (a) *Poſtquam*, inquit, *Epiſtolam tuæ ſanctitatis accepi, confeſtim accito notario .... interim tamen & ego linguam, & ille articulum movebamus, quum ſubito Hebræus intervenit, deferens non pauca volumina, quæ de Synagoga quaſi lecturus acceperat &c.*

303. Neque velim commoveant tibi ſcrupulum hæc verba ejuſdem Hieronymi (b): *Quantæ traditiones Phariſæorum ſint, quas hodie* Deuteroſin *vocant, & quam aniles fabulæ, evolvere nequeo: neque enim Libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia ſunt, ut erubeſcam dicere*, quaſi quod hiſce innuerit Libros Judaicos, de quibus contentioſum funem trahimus; quandoquidem, ut probe idem Morinus (c) animadvertit, iſta non referuntur ad libros Judaicos, quos exponere brevitas ſermonis non pateretur, ſed ad Epiſtolam, quam ſcribebat ad Algaſiam, quæque inſtar voluminis & Libelli longiſſima eſt; hinc in fine Quæſtionis octavæ ejuſdem Epiſtolæ, *ſi voluero*, inquit, *cuncta differere, nequaquam mihi unus Liber, ſed magna, & multa erunt ſcribenda volumina*. Ultraquamquod narrans quantum Judæi ſuis traditionibus tribuiſſent, ſic pergit (d): *Si quando eos juxta litteram cœperimus arctare, ut non faceant, non ambulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi velint præcepta ſervare, ſolent reſpondere & dicere, Rab Akiba, & Simeon, & Hille magiſtri noſtri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato, & cætera iſtiuſmodi*. Nonne magis in promptu fuiſſet reſponſio: Jonathan filius Uzielis, Onkelos, Jehuda Sanctus ita nos docuerunt, ut qui majoris auctoritatis apud ipſos fuiſſent? idcirco itaque hoſce non citabant, quia pro eo tempore neque iſtos cognoverant, neque fando audiverant. Idipſum tandem apprime confir-

(a) *Tom.* III. *p.* 790. *B.*
(b) *Epiſt.* CLI. *ad Algaſiam quæſt. X. Tom.* III. *p.* 825. *H.*
(c) *Loc. cit. n.* VI. *p.* 296. *col.* 1. *A.*
(d) *Loc. cit. pag.* 826. *A.*

mat Auguſtinus aperte denegans, fuiſſe apud Judæos traditiones ſcriptas, *Judæos*, inquit (*a*), *quaſdam traditiones ſuas, quas non ſcriptas habent, ſed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quas* Deuteroſin *vocant*.

304. Miror ſane Waltonum ſcribentem (*b*): *Certe verſiones iſtas antiquiſſimas fuiſſe, & eorum*, puta Origenis, Epiphanii, & Hieronymi, *tempore extitiſſe, ſaltem Onkeloſi, & Jonathanis, negari non poteſt*; quandoquidem tametſi permulta huc ſpectantia conſarcinet, nullum tamen ſuppeditat legitimum monumentum, quo hance innegabilem certitudinem antiquitatis oſtendat: vix innititur conſenſu omnium Judaicorum codicum, qui pro antiquiſſimis præfatas verſiones tradunt, & conjectura, qua non videtur credibile, Judæos neglexiſſe ſcribere verſiones, quum vulgus loquebatur Chaldaice, & poſtea nimirum Hieronymiana ætate, quando linguam Hebræam, & Chaldæam plebs non intelligebat, eas procurare voluiſſe, quare præfatis immediate adnectit: *quum tantus ſit in omnibus Judæorum codicibus de iis conſenſus, nec credibile eſt, quum Chaldaica Lingua ipſis vernacula, & familiaris fuerit, verſiones illas Chaldaicas eos neglexiſſe, & poſtea quum nec Hebræam, nec Chaldaicam vulgus intellexerit, eaſdem procuraſſe & compilaſſe*. Aſt num tanti iſta ſint penſi, ut de adſerta antiquitate talem certitudinem pariant ut denegari non poſſit, quique eruditi ferant judicium. Et ſanè neque circa Auctores, neque circa ætatem conſentiunt Judæorum codices, ut ipſemet Waltonus nobis fandò præit (*c*); quod ſi oppoſueris, ſaltem ſen-

(a) *Lib.* II. *contra Adverſarium Legis, & Prophetarum cap.*I. *Tom.*VIII. *col.* 580. *E.*

(b) *Proleg.* XII. §. 15. *p.* 386. *col.* 2.

(c) *Proleg. cit.* §. 9. *refert quæſtiones, quæ vertuntur de Onkeloſo Auctore Chaldaici Pentateuchi, in quantum alii faciunt eundem cum alio Akila nepote Imperatoris ex ſorore, alii confundunt cum Aquila, de quo egimus alibi num.* 213. *& aliis dicere lubet Onkelon floruiſſe tempore Hillelis ſenioris, ante Chriſtum annis circa XL. De Jonathane plerique tradunt fuiſſe diſcipulum Prophetarum Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, multo plures faciunt diſci-*

Digitized by Google

ſententiæ noſtræ amica conſenſione Judæos refragari, reſpondeo *primo*, ſi Waltonus, quod & dictum velim cæteris Criticis, ſerio conſuluiſſet aureum opus Cl. Joannis Morini, haud tanta cum libidine Judæis, & Judæorum ſcriptis fidem habuiſſet. Non modo quatuor rationes Morinus exponit, ob quas Hiſtoriæ Judæorum fabuloſiſſimæ ſunt, adeout nihil ſincerum ex iis decerpi poſſit (a); ſed inſuper peculiari criſi inſtituta de Libro Miſnajoth, de utroque Talmude Hieroſolymitano & Babylonico, de Paraphraſibus Chaldaicis, earundemque auctoribus, de antiquis Midraſchim, quinque Meghillath &c. ſingulatim, graviterque probat quam ſubleſtæ iſta ſint fidei, quot commentis referta, quam recentiora ea ætate, ad quam Judæi Critici perperam referunt. Quare Waltonus ſuo oneri minime fecit ſatis, quum firmiora momenta Morini neque citat, neque ſolvit. *Secundo* licet Judæi & Judæorum Libri conſentiant ad ſuadendum Targumim præſertim Onkeloſi, & Jonathanis divinam habere originem, multa miracula accidiſſe, quum Jonathan ſcriptioni daret, venturum Meſſiam, qui de Armillo & univerſo Orbe ducet triumphum, dicam plus, plurimos & celebres Rabbinos, poſt captivitatem Babylonicam, vixiſſe annos quadringentos, quingentos, ſexcentos & ultra (b), non inde ex hujuſmodi Judæorum concordia quid veri infertur, quin potius ipſe Waltonus ad meras fabulas ultro libenterque amandet. *Tertio* annon Judæi, eodem Waltono teſte (c), ut majorem venerationem Targumim conciliarent, conſpirarunt in conſcribendis permultis nugis, atque fabricandis portentis? non ergo mirum ſi eadem agendi ratione pro antiquiſſimis unanimiter ſuas Targumim ven-

diſcipulum Hillelis ſenioris, qui poſt reditum e Babylone ætatis anno XL. erat Doctor Academiæ Hieroſolymitanæ, nonnulli confundunt cum Theodotione illo, quem innuimus loco nuper citato.

(a) *Par.* II. *Exerc.* I. *cap.* I.

(b) *Refert Morin. parte* II. *Exerc.* V. *cap.* III. *per totum.*

(c) *Loc. cit.* §. 16. *p.* 386. *col.* 2.

venditent, eo allecti principio cæteroquin vero: Bibliaci codices quo antiquiores ſunt, eo majorem auctoritatem præſeferunt? *Tandem* conſenſus præfatus quantumvis concors, minime ſolvit argumenta, quibus deteximus adſertam Targumim antiquitatem, & per conſequens neque probabilitatem parit ejuſdem antiquitatis, quam pro re certa & innegabili mirabiliter Waltonus venditat. Ejuſdem fere penſi eſt conjectura, quod ita evincere arbitror. Nedum eſt credibile, ſed facto quoque conſtat, Criticos noſtros e tenebrarum ſilentio duobus ab hinc ſeculis extumulaſſe orientalia ſcripta pene innumerabilia, & manibus fidelium Eccleſiæ occidentalis tradidiſſe, non obſtante quod vulgus hujus Eccleſiæ, nuſpiam habuerit uſum Linguarum Orientalium; non tantum igitur eſt credibile, ſed longe facilius, opus eſt adſeramus, Targumim poſt Hieronymi tempora deſcriptas fuiſſe; quoniam a Natione Judaica nuſpiam, atque a nobis, Hebraica & Chaldaica abſuerunt. Præterquamquod, ſi Hieronymiano ævo plebs Judaica neque Hebræam, neque Chaldaicam intelligebat, dicamus neceſſum erit, ex eo jam tempore apud Judæos abiiſſe in deſuetudinem, ſi non lectionem Hebræi, certe uſum Targumim, quum ex ſuperius dictis num. 186. & ſeqq., nonniſi in commodum plebis introductæ fuere; ut quid enim iſtis uti, ſi neque & iſtas plebs Judæorum intelligeret: ipſi Critici videant.

305. Poſtremus cavillus Waltoni, tametſi alio conſilio adinventus, cujus recordatur Riccardus Simonius (*a*), quemque noſtri Critici magis impinquare poterunt, refellendus ſupereſt. Patrum ſilentium nil vetare, quominus Targumim ante eorum ætatem extiterint, vel ut dicit Riccardus *Hieronymo coævas fuiſſe;* quandoquidem factæ erant ad uſum Judæorum, & forte nondum in unum corpus redactæ, quales hodie viſuntur. Hinc nonnulli hac conjectura nixi, pro-

(a) *Hiſtor. Crit. Vet. Teſtam. lib.* II. *cap.* XVIII. *pag.* 95.

Digitized by Google

progreſſi ſunt ad aſſerendum : in antiquioribus Targumim minime tot nugæ atque fabulæ legebantur, quot poſtea a recentioribus Rabbinis, eas colligendo, & freti quibuſdam aliis traditionibus & ſcriptis, appoſitæ fuere; verum tantum abeſt, ut hujuſmodi emendicata decipula, vel pro minimo deſcriptum momentum Morini, extenuet. Id unum in confeſſo eſſe debet apud omnes, longe minus innoteſcere debuiſſe Patribus laudatis Origeni, Epiphanio, & Hieronymo traditiones Judæorum & Auctorum nomina, quæ oretenus inter ipſos verſabantur, atque Targumim quantumvis in particulis diminutas, quoniam juxta adverſarios iſtæ longe antea fuerant ſcripto mandatæ, & ſingulis hebdomadis (ut ex Levita ſupra retulimus num. 291.) in Synagogis ſaltem ea Onkeli legebatur : ſi ergo neque traditiones, neque earundem Auctorum nomina præfati Patres ignorarunt, quomodo ignorare poterant adſertas Targumim particulas? Inſuper, ſi iſtæ noviter fuerunt in unum corpus redactæ, & nonnulla eiſdem addita, proferant quo tempore? quo loco? a quibus? cujuſne probati veteris teſtimonio? perpende quomodo Critici pro arbitrio ſuas adinventiones pro factis venditant, ſuper his ædificantes araneorum caſſiculos.

306. Ne tamen ex hactenus dictis æquivocatio ſuboriatur, atque vitio, a quo abſum, quis mihi vertat, ſcire te velim: me haud inficiari, pleraque, poſt Eſdræ, & ante Chriſti tempora, fuiſſe a Judæis litteris Hebraicis vel Chaldaicis donata. Equidem ante oculos habemus S. Hieronymum teſtantem (a), ſe legiſſe Hebraico ſermone Librum primum Machabæorum, & Librum Eccleſiaſtici; item (b) traxiſſe ad Latinum ſtylum ex Chaldæo Librum Tobiæ, & Librum Judith; verum iſthæc, ut bene noſcis, neque per umbram ſuſcepto, ubi de Targumim unice agimus, quadrant.

(a) *In Prologo Galeato, & in Præfatione in Libros Salomonis.*
(b) *Præfat. in Tobiam Tom.III. p.688. A., & Præfat. in Judith p.689. C.*

drant. Neque me fugit Præfatio in Librum Eccleſiaſtici, ubi Jeſus filius Sirach tradit, a ſuo avo aliiſque multa fuiſſe exarata (*a*), aut Joſephus Hebræus, qui progenitorum ſuorum refert ſolicitudinem in conſcribendis libris (*b*): *ſed quid*, apprime animadvertit Morinus (*c*), *hæc ad Talmudicos & Judæos Neotericos? Libros iſtos nec Talmudici, nec Judæorum, qui eos ſequuti ſunt, ullus vidit unquam, aut aliquando meminit. Et quod magis mirere, vel potius unde obſtupeſcas. Non modo Libros iſtos, ſed nec alios quoslibet, ſive Hebraice, ſive Chaldaice ſcriptos uſquam commemorant Talmudici, aut Midraſchim Auctores. Tam craſſa & barbara eſt apud eos rerum ſuarum ignorantia . . . . Quapropter nunquam ſine riſu legere potui virorum quorundam Hebraice doctiſſimorum opuſcula, qui putant ſe ex unius aut alterius Rabbini Neoterici ſcriptis, de antiquis & politicis Judæorum moribus judicium ferre poſſe*. Et pagina præcedenti habet quoque: *Nullum eſſe Judæis, aut ab iis vere, vel falſo prædicari poſt ſacros Libros antiquum Hiſtoriæ monumentum. Neminem ipſi perhibent, aut oſtentant rerum ſuarum Hiſtoriographum, qui poſt annum Chriſti milleſimum non ſcripſerit; ideo rerum illuſtriſſimarum, & maxime memorabilium, quas vel ipſi fecerunt, vel paſſi ſunt, nulla prorſus eſt apud eos memoria, nullus commentarius; eas juxta cum ignariſſimis ignorant,*

(a) Avus meus Jeſus, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis, & Prophetarum, & aliorum Librorum, qui nobis a parentibus noſtris traditi ſunt: voluit & ipſe ſcribere aliquid horum &c.

(b) De noſtris vero progenitoribus, qui eandem quam prædicti *nimirum Ægyptii, Babylonii, & apud Babylonios Chaldæi* habuerunt in conſcriptionibus ſolicitudinem (deſino dicere, etiam potiorem) Pontificibus, Prophetis hoc imperantes: & quia uſque ad noſtra tempora cum multa integritate ſervatum eſt . . . . Ab Artaxerſe vero uſque ad noſtrum tempus ſingula quidem conſcripta, non tamen priori, *egerat antea de Libris* XXII. *ſecundum inſpirationem a Deo factam a Prophetis conſcriptis*, ſimili fide ſunt habita, eoquod non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum. *Joſephus Hebræ. Lib.* I. *contra Apionem paulo poſt init. pag.* 474. *&* 475. *edit. Lugd.* 1539.

(c) *Parte II. lib. II. cap. I. n. V. p. 225. col. 2. B.*

rant, licet in Hiſtoriis Græcis, Romanis, & Chriſtianis ſint celebratiſſimæ ... Nihil unquam leſtrigones, lotophagi, aliique ſimiles Barbari a veritate, & recta ratione tam abhorrentes de Magorum ſuorum geſtis cecinerunt, quam de ſuis Judæi fabulantur. Quod autem fabulæ ſupremus actus eſt, nihil, tam immaniter vel delirant, cui probando ſtatim præſto non ſit Scripturæ teſtimonium, ſtupenda quadam & inſana ſpeculatione intellectum, & contortum ... Non modo nullum habent Hiſtoricum, qui anno Chriſti milleſimo poſte rior non ſit, ſed nequidem commentarium ullum, aut in Scripturam, aut in traditiones ſuas, qui annum Chriſti quingenteſimum non ſubſequatur ... Hos libros fictæ antiquitatis, ſi legeris, merito dubites, an Judæi ſint ad fingenda portenta hiſtorica ſtulte procliviores, quam ad ea amplectenda, & ſuſcipienda ſtulte creduli (a).

307. QUAM SUBLESTÆ nulliuſque auctoritatis, imo & apud Chriſtianos detrimenti, ſint paraphraſes Chaldaicæ, exponitur. Nec ſane primus, neque de primoribus ipſe ſum, qui id opinatum pergere auſim: *Lis iſta*, refert Riccardus Simonius (*b*), *de utilitate, vel damno Paraphraſium magna cum contentione agitata fuerat tempore Cardinalis Ximenis, qui anno Jeſu Chriſti* 1517. *Biblia Complutenſia edidit cum paraphraſi Onkeliana in Pentateuchum. Sub Philippo II. renovata fuit occaſione magnorum Bibliorum Antuerpienſium, quibus Arias Montanus paraphraſes Chaldaicas inſeruit ....*

(a) *Hæc doctiſſimus Morinus, quæ ne exageratione rethorica dicta eſſe crederentur, peculiari ſtudio plurimorum capitulorum ad hypotheſim erudite deſcendit, magnum referens numerum rerum hujuſmodi, ex quibus cuique legenti adſulget, quam bene fuerit de rebus Judaicis inſtructus, uti etiam ſuadebimus num.* 443. *Idcirco autem ejuſdem ſententias, duxi prolixe exſcribere, ut ii, quibus noſtra placebunt, haud decipiantur a Recentioribus, qui licet ſacramento regenerationis illuminati, adhuc Rabbinorum opera, tametſi ludicra commentiſque referta, ſtudioſæ juventuti evolvenda proponunt; quaſi interpretes Chriſtiani, longe Judæis doctiores & cordatiores, quoad exactam Scripturarum intelligentiam, a nobis deficerent. Legeſis num.* 316 *&* 324.

(b) *Hiſt. crit. Vet. Teſt. lib.* II. *cap.* XVIII. *p.* 100.

Digitized by Google

Nibilominus illius opus tanquam religioni Chriſtianæ injurium, & Judaicæ ſuperſtitioni favens valde a multis improbatum fuit: Fuerunt itaque ex viris Catholicis, qui non modo nihil auctoritatis tribuerunt Targumim, ſed inſuper tanquam noxias Chriſti Eccleſiæ declararunt. Enimvero non defuit Pariſiis vir celebris, qui ſugillavit Biblia Regia tunc nuper edita, ex eo quod Chaldaica paraphraſis reliquis S. Scripturæ Textibus adjecta ibi fuiſſet, hiſce verbis ſuam Epiſtolam orſus: *Legi* (a) *diebus iſtis veſtra nova Biblia, quæ totius Univerſitatis judicio tam ſplendide, & magnifice orbi commendantur, ſed utinam tam utilia, quam ſumptuoſa. Quis enim pie Chriſtianus ferat Chaldaicam illam paraphraſim tam inſulſam, ineptam, puerilem, Judaicam, impiam, ſanctiſſimo Dei verbo, velut alterum Textum quendam apponi, & Chriſtianis commendari? . . . Cæterum ſi quis, Judæus fieri voluerit, & Jeſum Mariæ Filium pro nobis crucifixum, ac mortuum ſecundum Scripturas, iiſdem Scripturis eximere, & conculcare cum impiis Rabbinis voluerit, is Paraphraſim hanc ſibi deligat, & Cenſorum Lovanienſium auctoritate ſe tueatur.* Sed quoniam Brugenſis prodiit in aciem vellicando præfatum virum, utpote qui prætermiſerat momentis ſuam tutari cauſſam, opus eſt, pro noſtra qualicumque tenuitate, rationibus agamus.

308. *Primo* omnis auctoritas, quam Recentiores tribuunt Paraphraſibus præſertim Jonathanis, & Onkeloſi, unice petitur ex ſuppoſita earundem antiquitate, in quantum volunt, Jonathanem ante adventum Domini ſcripſiſſe, & fortaſſe Onkelon: quare Brugenſis citatus, ita procedit: *Jonathan enim filius Uzielis, qui in Prophetas Paraphraſes ſcripſit ſub veteri Synagoga, ante Chriſtum natum floruit. Onkelos, qui Pentateuchum Paraphraſi illuſtravit, paulo poſt Chriſti Servatoris paſſionem vixit: Joſephus cæcus qui Hagiogra-* pha

(a) *Apud Lucam Brugenſem Tract. de Chaldai. paraphr. par. 1. in fine Tomi* II. *Comment. in Evang. p.* 1097.

pha explicuit, *Auctorque anonymus*, *qui Hiſtoricos interpretatus eſt Libros*, *etiam ipſi vetuſti ſunt*; at ex enucleatis ſatis ſuperque demonſtraſſe arbitror, Chaldaicas paraphraſes Jonathanis, & Onkeloſi elucubratas fuiſſe poſt Hieronymianam ætatem; ergo funditus cadit ea ratio, qua potiſſimum Recentiores inducti ſunt ad commendandam auctoritatem Paraphraſium.

309. *Secundo* ſi, ut oſtenſum eſt, Paraphraſes Jonathanis, & Onkeloſi lucem adſpexerunt poſt, vel ſit ipſo Hieronymiano tempore, indubium videtur, conſarcinatas fuiſſe non quidem a Judæis, quos Religio Chriſtiana lateret, ſed a Rabbinis, quibus crux Chriſti erat ſcandalum, quique fruſtrabantur, ut loquitur Irenæus (*a*) Legem Dei, miſcentes vinum aqua, ſuamque Legem e contrario ſtatuentes; vel juxta Tertullianum (*b*), rejiciebant a Scripturis divinitus inſpiratis omnia fere, quæ Chriſtum ſonabant; vel ſecundum Origenem (*c*), curam habebant modis omnibus tollere e populo opinionem de Chriſto, quod jamdudum prædictum eſſet a Prophetis de ejus nativitate. Quod ſi poſtea, ſcripta adeo infenſiſſimorum Religioni Chriſtianæ, tantæ auctoritatis eſſe debeant apud nos, ut ad voluntatem Waltoni cit. num. *292.*, confirment Hebræum ubi a Vulgata diſcordat, ut loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici a Sanctis Dei hominibus conſcripti, inſervire poſſint ad veram lectionem in dubiis confirmandam, ut horum inſpectione & adjumento ducamur ad hauriendos germanos Scripturarum ſenſus, aliis cordatis viris remitto judicandi facultatem.

310. Et quid aliud a Chriſtianis Judæi expectare poterunt, quam quod Recentiores ſuadere conati ſunt, atque hodie etiam nituntur? Jam deprompſimus n. 117. & ſeqq. quod Judæi initio ſecundi ſeculi, ut fidem Chriſti diſperderent, conſtuprarunt

I 2 He-

(a) *Lib.* IV. *adver. Hæreſ. cap.* XXV. *p.* 342. C.
(b) *Lib. de Habitu Mulieb. cap.* III. *Tom.* II. *p.* 258. E.
(c) *Lib.* I. *contra Celſum Tom.* II. *p.* 425. C.

Digitized by Google

Hebraicum fontem cum verſione Virali; circa quartum vel quintum ſeculum, ut magis Scripturis noſtris detraherent, & ſuas conſtuprationes contegerent, protulerunt Targumim ſcriptas, evulgantes haſce cælitus confectas fuiſſe ante Chriſtianorum æram à viris nomine, eruditione, & ſanctitate celeberrimis, atque ita eandem ferme cum Hebræo fonte venerationem, & auctoritatem illas habere: modo hoc ipſum, ſi ſedulo obſerves, noſtri Critici evulgarunt. Ipſi enim denegant Judæos corrupiſſe Hebræum, agnoſcunt Targumim, præſertim Jonathanis & forte Onkeloſi, confectas fuiſſe ante adventum Servatoris, fatentur quoque Paraphraſtem Chaldæum, loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici, eſſe poſſe ad veram lectionem in dubiis confirmandam: quod ſi poſteà non adhærent Judæis tribuentibus præfatis Targumim originem, & auctoritatem divinam cum Textu Hebræo æqualem, nullam ſane, ſi quod præjudicium non me capiet, rectam rationem video, qua ipſi valeant hac in parte Judæis refragari; quandoquidem iſti poterunt eodem argumento in eos uti, quod olim eximia virgo, & martyr S. Margarita perbelle ſubdidit Præfecto Olibrio: unde doctiſſimi Critici Chriſtiani, dicitote, oramus, didiciſtis Paraphraſeon Jonathanis & Onkeloſi ante adventum veſtri Servatoris confectas fuiſſe? certe reſpondere cogerentur, ex Libris Judæorum, quum nullus penitus vetus Auctor Chriſtianus, vel gentilis eas ſit ſubodoratus. *Quænam* tum Judæi, *verecundia eſt, ut quum in eiſdem Libris noſtris legatur*, non tantum Jonathanem & Onkelon ſcripſiſſe ante adventum veſtri Meſſiæ, ſed etiam cælitus ſuas Paraphraſes elucubraſſe, atque ita æqualem cum Hebræo Textu divinam auctoritatem habere, *alterum credatis, alterum reſpuatis?* reſpondeat qui recte poterit, quum ipſe utrumque rationabiliter denegans, propero ad aliam rationem.

311. *Tertio* ex quo Targumim elaboratæ fuerunt ab infenſiſſimis noſtris, & longe poſt editionem Latinæ Italæ, imo & Hieronymianæ, idcirco iis in locis, ubi diſcordant

a Vul-

a Vulgata correcta, & reſpondent hodierno Hebræo, cæteriſque Orientalibus verſionibus, non ſolum tenemur ſentire, quod ſenſum Judaicum ſapiant, ſed inſuper ſigno nobis eaſdem eſſe, quod ibi habeatur unus ex paſſibus, quos Judæi olim malitioſe deflorarunt apud Hebræum fontem, alioſque quos habere potuerunt Bibliacos Contextus: ea profecto lege, qua ideo nobis conſtat, hanc celeberrimam S. Joannis ſententiam, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt*, a veteribus Græcis codicibus malitia Græcorum reſecatam fuiſſe, quia in aliis ſuis ſcriptis eandem non habebant pro genuina, & canonica; qua Irenæus (a) affirmabat a Marcione circumciſum fuiſſe Evangelium ſecundum Lucam, & omnia ablata, quæ de generatione Domini conſcripta erant, & alia multa de doctrina ſermonum Domini, quia obſervavit præfata obſtare ſcriptis, & dictis ejuſdem Marcionis; hac tandem lege Patres ſextæ Synodi detexerunt ea, quæ Græcorum malitia irrepſerant in acta Concilii V.; S. Leo II. conquerebatur de Græcis, quos teſtabatur conſtupraſſe Epiſtolam a Leone ſuo prædeceſſore ſcriptam ad Flavianum; Gregorius Magnus adſcripſit Conſtantinopolitanis depravationem Synodi Chalcedonenſis (b). Quis enim tot Patrum propriis oculis vidit impios defloratores actuali facinori incumbentes? ut ergo alia falſariorum indubia ſcripta manifeſto ſigno Patribus fuere, ut affirmarent, fuiſſe ab eiſdem falſariis deflorata, quæ auctoritatem habebant; ita quoties Targumim diſcrepant a Vulgata, & congruunt Hebræo hodierno, cæteriſque Orientalibus Contextibus, toties manifeſtum ſignum habemus aſſerendi, præfatos Contextus a Judæis defloratos fuiſſe, & per conſequens Targumim non modo non confirmant Hebræum adverſus lectionem Vulgatæ, ſed probant inſuper Hebræum ab iiſdem Judæis depravatum fuiſſe.

312.

(a) *Adver. Hæreſ. lib. I. cap. XXIX. p. 129. H.*
(b) *Legeſis Vener. Bellarmin. de Romano Pontif. lib. IV. cap. XI. col. 825. C.*

312. Quam ob rem eiſdem Waltoni verbis conſignatis num. 292. utendo, uno vel altero adjecto, in ipſum ejus argumentum rejicio. *Illi, qui poſt Chriſti tempora dicunt, Judæos ſuos codices depravaſſe, ex Chaldaica paraphraſi, præſertim Onkeloſi plane* defenduntur, *quæ cum Hebræo Textu* hodierno *ubique fere concordat, ut in loco illo celebri . . . Geneſ. III. v. 15. Sunt qui in quæſtionem vocant Textum Hebræum, quaſi* eodem modo *olim hæc verba legerentur, ſcilicet* ipſe *genere maſculino*. *Hic vero* pro corruptione hodierni Hebræi *teſtantur Paraphraſes* a Judæis noſtris infenſiſſimis elaboratæ, *quæ omnes vel legunt* ipſe *genere maſculino cum Hebræo, ut Onkelos, vel ad ſemen verba referunt, non ad mulierem. Pſal. 131. v. 15. Latina Vulgata legit*, Viduam ejus benedicam, *in hodierno Textu Hebræo eſt*, victum ejus benedicam. *Hic pro* corruptione hodierni *Hebræi judicium fert Chaldaica paraphraſis, dum Hebræum vocabulum reddit per* cibum.

313. *Quarto* Non eſt Scripturæ Biblicus Textus aut Contextus, qui vel aliqualem auctoritatem habeat, & cujus verba non fuerint conſecrata, aut a Chriſto, aut ab Apoſtolis, aut ſaltem a veteribus Eccleſiæ Patribus; verum nec quoad nomen Chaldaicæ paraphraſes laudatæ ſunt a Chriſto, ab Apoſtolis, vel veteribus Patribus; ſubleſtæ igitur, atque nullius auctoritatis ſunt. Major propoſitio adeo perſpicua eſt, ut pro ſuperfluo oſtendere habeam: minorem propoſitionem certe denegabunt aſſenſores Waltoni, qui fretus teſtimonio Helvici, Mayeri, Schik, aliorumque Hæretico-Criticorum affirmat, Thargum fuiſſe ab eodem Chriſto nobilitatum (*a*); ſed quam perperam, oſcitanterque id protulerint, ita probatum eo. Si Thargum nonniſi poſt Hieronymianam ætatem vidit lucem, quomodo Chriſtus ſacro ore ſuo conſecrare poterat? minime eo inficias id ſpiritu prophetico, quo Servator repletus erat, accidere potuiſſe; aſt

(a) *Vide num. 293.*

aſt ipſi eveniſſe contendunt, ex quo Chriſtus non ſecundum Hebræum, ſed ex Thargum recitarit *Eli*, *Eli lammaſabaſthani*, quaſi Thargum ex eo jam tempore extitiſſet. Inſuper, ex iis quæ affirmant permulti Recentiores Hebraiſtæ hunc ſuper locum, non magis præfata verba redolent Linguam Chaldaicam, atque Syriacam, vel Hæbraicam (*a*); quanta igitur confidentia Waltonus cum Helvico, Mayero, & Schik non ſolum definiat, allegata Chriſti verba unice eſſe Chaldaica, ſed inſuper ex Thargum a Chriſto deſumpta, cuique eſto judicium; & per conſequens ſi Targumim neque a Chriſto, neque ab Apoſtolis, neque ab Eccleſiæ proceribus laudatæ ſunt, nullius profecto auctoritatis erunt.

314. *Quinto* uſquedum communi voto aſſeratur, quod hodiernus Hebræus Veteris Teſt. Græcuſve novi, Pentateuchus Samaritanus, verſio Viralis, & verſio Itala auctoritatem aliquam habeant, & utilitati nobis ſit eorundem inſpectio, bene equidem capio; quoniam licet pro corruptis agnoſcamus his in locis, ubi cum Vulgata correcta non concordant, quoad cætera vero quæ complectuntur, quantum eſt ex ſe ſe, divinam habent originem, tametſi non eodem modo: namque de fontibus conſtat, conſcriptos fuiſſe a Sanctis Dei hominibus Spiritu Sancto repletis, & etiam verſionem Septuaginta, ut capite III. nobis oſtendere curæ fuit 198. & ſeqq.; de Auctore, vel Auctoribus verſionis Italæ, ex dictis n. 250.

(a) *Munſterus*, ut Chriſtus apud vulgares homines in omnibus vulgari Lingua eſt uſus, hoc eſt Chaldaica, ſive Syriaca, ita hic quoque in cruce Lingua illa expreſſit hanc querelam: *Eli*, *Eli lamaſabathani*, pro quo Hebraice Pſalm. XXII. legitur: *Eli*, *Eli aſabthani*. *Vatablus*, *ſabaſthani* vox Chaldæa, aut Syra. *Clarius*, Relictæ ſunt Hebrææ voces: ut quum audis milites dixiſſe, *Eliam vocat*, cauſſam eorum erroris intelligeres. *Zegerus*, *Eli*, *Eli lamma ſabactani* . . . extant autem ea ipſa pſalmo, juxta ſupputationem Hebraicam, XXII. . . quæ ſi quis pronunciet ita ſonabunt, *Eli*, *Eli lamo adſaſtani*. *Grotius*, Et hinc & aliunde colligitur, Chriſtum neque veteri uſum Hebræorum ſermone, neque Syriaco ſed mixta dialecto, quæ tum in Judæa vigebat. *Ita paſſim alii Philologi diſcurrunt*. *Legeſis paulo infra num. 325. his ſimilia, & huc conducentia*.

n.250.& ſeqq. haud obſcure colligitur, ab aliquo vel aliquibus Apoſtolis, vel Apoſtolorum diſcipulis concinnatam fuiſſe, nec non Latinis Eccleſiis fideliter traditam, ſacroque uſu aliquibus ſeculis celebratam; aſt minime facultas nobis eſt, idipſum vel conjicere de Paraphraſibus, quum a noſtris infenſiſſimis confectæ ſint; nihil igitur eſt, quo aliquid auctoritatis eis tribuere debeamus, ſi earum quoque origo prava eſt, fæculenta, atque prorſus indigna. Heinc te minime pigeat obſervare, quam ridicule Waltonus ſolitam ſtropham hic proferat, eandem nimirum ſinceritatem tribuendo hodiernis Paraphraſibus, quam non ita errabundus adjudicat hodiernis fontibus, ſcribens: *De ſinceritate vero Targumim, eadem eſſe bodie ſine ulla corruptione, niſi quæ ex temporum injuria, & codicum varia lectione omnibus Libris accidit*, quaſi quod Paraphraſium quoque Auctores fuerint homines Spiritu Sancto repleti, vel quod olim exacte & puriſſime verbum Dei illæ exhibuerint, aut quod apud veterem Chriſti Eccleſiam auctoritatem obtinuerint. Quid enim refert quod hodie corruptæ non ſint, ſi ab origine impietatem ſpirarunt, languidas ineptias, atque portentoſas fabellas? hujus profecto verſutæ gerræ, nec Waltonus, neque aſſentatores uſpiam valebunt pœnitentiam agere.

315. NEQUE UTILITATI Paraphraſes nobis eſſe videntur (*a*), quoniam quidquid frugi ex Targumim obvenire poteſt Eccleſiæ Chriſti, multo melius atque affatim ex modo laudatis Scripturæ Textibus, & verſionibus, expiſcari poterimus. *In multis locis*, ita lenocinatur Waltonus (*b*), *articulos fidei Chriſtianæ* (Paraphraſes) *confirmant*, *& contra Judæos fortiſſima argumenta ſuppeditant*... *De* Verbo Dei *per quem cuncta creata &c. multa habent*, *quibus mirifice confirmatur phraſis illa apud Joannem* de Verbo, *& probatur ad Meſſiam*

ſive

(a) *Si eam excipias, de qua egimus paulo ante num.*311., *aliamque quam exponemus num.* 319.
(b) *Proleg.* XII. §. 18. *p.* 387. *col.* 2.

Digitized by Google

ſive filium Dei deſignandum &c. Sed Riccardus Simonius, licet multum Rabbiniſmo addictus, licet ſolis Judaicis ſcriptis & traditionibus, teſte Iſaaco Voſſio (*a*), permotus fuerit ad ſentiendum, inſtituendam eſſe verſionem, quæ ſenſus Scripturæ Hebraicæ ad unguem referat, adhuc non eſt paſſus ſuo hoſpitio recipere allegatum Waltoni adſertum, ſcribens (*b*): *Non exiſtimo illarum auctoritate pugnandum eſſe, & Verbi divini ſummam Deitatem adſtruendam, quoties* Verbi *nomen uſurpant quando de Deo agunt. Ejuſmodi enim phraſes aut voces, aliter a Judæis, quam a Chriſtianis intelliguntur. Nec mehercule tutum eſt aut ſanum incertis plane Allegoriis, & e cerebri Rabbinorum imaginatione tantum erutis, Chriſtianæ Religionis veritatem demonſtrare velle.* Et alibi (*c*): *Quæ noſtræ fidei faventia credimus pleraque veræ ſunt Allegoriæ, quas non operoſum verpis alio convertere, neque enim Religio Allegoriis probatur . . . Sed quum accuratius ac penitius ejuſmodi teſtimonia in diſputatione excutiuntur, & examinantur, contendunt illi, & quidem merito, vagas Allegorias ſenſui litterali præjudicare nequaquam poſſe.* Addam ſi Paraphraſes congeſtæ ſunt ab inimicis Chriſtiani nominis, quomodo poterunt certo noſtra Myſteria confirmare? Dicam plus, quænam hæc eſt neceſſitas, ut pro convincendis Judæis ad eorum Targumim provocare debeamus? annon Judæi firmius, vel ſaltem æque Hebræo Textui ac Targumim, adhærent? annon veteres Eccleſiæ proceres teſtimoniis Hebræi Textus, Judæos de Chriſtiana fide convincebant? annon Hieronymus idcirco novam verſionem aggreſſus, ut nec etiam Hebræo in futurum indigeremus, & ea mediante valeremus Judæos confodere (*d*)?

Tom.II. K 316.

(a) *In reſponſione ad objecta Criticæ Sacræ appoſita in fine Hiſt. Crit. Simonii in vetus Teſtam. p.* 125.
(b) *In Hiſt. cit. lib.* III. *cap.* XXIV. *p.* 121.
(c) *Lib.* II. *cap.* XVIII. *p.* 101.
(d) *Vide num.* 261.

Digitized by Google

316. Pergit Waltonus (a): *In Textibus difficillibus, locis obſcuris, & vocabulis inuſitatis multum lucis afferunt, dum ritus, conſuetudines, hiſtorias, vocabulorum ſignificationem genuinam, ſenſumque litteralem explicant, quæ ipſis ex majorum traditione accepta melius quam nobis nota erant* (b), ſed lubet, ut alter Hæreticus, cui certe proclivius fidem habuiſset, ipſius commentum refellat. *Quod vero*, ita Voſſius (c), *ritus attinet, ſcimus & nos, Rabbinos non minus forſan diligenter legere Evangelium quam Chriſtianos; & quamvis Chriſtum non admittant, ritus tamen veterum Hebræorum ex Evangeliis, & actibus Apoſtolicis colligere, & in ſuos transferre Commentarios. Iſtos vero ritus quum legunt Chriſtiani, velut gemmulas colligunt, exiſtimantes ex perenni traditione conſervatam a Rabbinis eorum fuiſſe memoriam; quum tamen certiſſimum ſit nullum ſcriptum Hebræum aut Rabbinicum ſupereſſe, quod Miſna & Talmude ſit vetuſtius, adeout toto iſtoc intervallo, quod Artaxerxis & Juſtiniani Imperatoris ætatem interceſſit, interceſſere autem anni plus minus mille, nequidem quod mentiantur habeant Judæi, ut recte obſervatum Morino. Si itaque exceperis ea quæ ex Evangeliis, Ariſtæo, Philone, Ioſepho, & gentium hauſere annalibus; nihil omnino de toto hoc tempore in illorum ſupererit ſcriptis, quod non ſit commentitium. Si quid veri de R. Akiba, Hillele, & aliis in illorum occurrunt libris, omne id habent ab Origene, & præcipue Hieronymo, cujus ſæpe in Talmude fit mentio. Abſque illis ipſorum nequidem noſſent nomina.* Hæc Voſſius, qui licet occaſione rituum protulerit, æque tamen concludunt de locis obſcuris, vocabulis inuſitatis &c. quibus intelligendis, Paraphraſes multum lucis afferre, Waltonus perperam cenſet.

(a) *Loc. cit.* §. 19. *pag.* 388.

(b) *Eadem ferme habet celebris Criticus P. Bernardus Lamy, Præfatione ad* Apparatum Biblicum; *cujus pariter ſcopus eſt magni facere, tam ſtudium, quam opera Judæorum, Hæreticorum, & eorum potiſſimum eruditorum de Romana Eccleſia, qui in Sacra Critica moroſos ſe ſe præſtiterunt.*

(c) *Apud Riccardum cit. p.* 250.

Digitized by Google

ſet. Adde; Waltonus ipſe Scripturarum intelligentiam a Judæis eliminat: *Ex quo*, ita ſcribit (*a*), *Judæis libellus repudii a Deo datus eſt, injuſti facti ſunt codicum ſacrorum poſſeſſores, quorum cuſtos Eccleſia, quæ in jus & in hæreditatem ſucceſſit, a Chriſto conſtituta eſt. Judæi enim, teſte Apoſtolo*, velamen habent ſuper corda ipſorum poſitum quum legitur Moſes, *& in cortice hærent, ad medullam non penetrant, unde facti ſunt, ut loquitur idem S. Auguſtinus, bajuli & Capſarii noſtri, qui libros vet. Teſt. pro nobis portant, & inſtar cæcorum qui ſpecula polita manibus geſtant, in quibus alii multa vident, ipſi nihil*.

317. Item nullum penitus credo reperiri poſſe Vulgatæ correctæ locum, qui collatis ad invicem codicibus fontium, verſionum, veterum PP., recentiorum commentariorum, vel brevius tutiuſque adhibito Romanæ ſedis oraculo, obſcurus remaneat, & ſola Paraphraſium inſpectione clarus reddatur atque perſpicuus: alioquin quis heinc non erueret, Deum denegaſſe Eccleſiæ ſuæ exactam Scripturarum intelligentiam, & ſolis Judæis, qui ſunt extra Eccleſiam, ſingulariter communicaſſe? Utique Prophetis, & antiquis Judæorum Sacerdotibus ſua olim Deus credidit oracula, at miſſo dilecto filio ſuo, quo nos ex alto viſitare dignatus fuit, verbi ſui hæreditatem nobis tranſtulit, auferens a Synagoga omnem ſcientiam & intellectum, juxta illud Chriſti (*b*): *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus*; adeout ſi judaicos codices, quos verpi ad ſuam confuſionem pro nobis portant, intelligere velint, opus eſt, ut a nobis Chriſtianis ſub Romano Pontifice militantibus, quod olim dedere beneficium, repetant. Ut gentium ſalus, atque vera ſapientia a Judæis jamdudum pendebat, ita per nos nonniſi hodie edoceri, & ſervari poſ-

 ſunt.

(a) *Præfat. quam præfixit primo Tomo ſuæ Polyglottæ ſub init.*
(b) *Matth.* XXI. *v.*43.

ſunt. Immo, ſi verum eſt quod tradit Voſſius (*a*): interpretandarum, & intelligendarum Scripturarum difficultatem minime ipſimet Judæi fateri verentur, ob idque Meſſiam ſuum expectant, & invocant, qui clauſum aperiat librum, & codicem mutum faciat loquentem, ad hoc ut ſuos intelligere poſſint Prophetas. Hæ profecto rationes cauſſa mihi ſunt, ut in eventilandis Scripturæ locis, quibus adverſarii nituntur probare utilitatem Paraphraſium, oleum non perdam atque operam.

318. QUOD DETRIMENTUM tandem ſpectat, id unum dicere habeo. Monachus Hiſpanus e Civitate Matritenſi datis litteris ad doctiſſimum Morinum, monuit, ut in magnis Bibliis Guidonis Michaelis le Jay, quæ Lutetiæ cudebantur, ſua auctoritate curaret, ne apponerentur Paraphraſes, utpote quæ in Chriſti Religionem blaſphemæ & impiæ: adjecit, Judæos animum ſumpſiſſe, & ſummis laudibus Philippum ſecundum Regem Hiſpaniarum extollere, qui edi curavit eorum rituales Libros, atque Talmud (*b*). Quod ſi ex ſolis curis & impenſis, quas adhibuit Philippus pro impreſſione Paraphraſeos, verpi Chriſtianis inſultabant, & ſeſe magis confirmarunt in avita protervia, quanto magis ſuas Targumim non efferent, atque nobis noſtriſque Scripturis non detrahent, ſi eis datum erit intelligere ex ore & ſcriptis doctiſſimorum Chriſtianorum: Targumim vere ante Chriſti ætatem elaboratas eſſe, fuiſſe ab eodem Chriſto ſacro ore ſuo conſecratas; inſervire poſſe ipſis Chriſtianis loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici, multum lucis afferre in Textibus difficillibus, locis obſcuris, vocabulis inuſitatis, & tandem melius quam noſtros

(a) *In fine Hiſt. Crit. Simonii cit. p.* 148.

(b) Judæi, *inter cætera ita ſcribebat apud Riccar. Simon. Hiſt. Vet.Teſt. lib.* II. *cap.* XVIII. *p.* 101. vero ſe & proterviam armis ex prædicta Paraphraſi reaſſumptis defendebant, ſummiſque laudibus Regem Philippum ſecundum ad cœlum extollebant, qui ipſorum ritus, cæremonias, impiumque Talmud ſuis impenſis excudit.

ſtros codices explicare ritus, conſuetudines, hiſtorias, genuinam ſignificationem vocabulorum, ſenſumque litteralem? vide quo Critico-ſeductores, ut Vulgatæ authentiam elevarent, progreſſi ſunt: non ſunt contenti eam poſtponere hodiernis fontibus; ſed emendicatis prætextibus, Rabbinorum quoque maleolentibus ſcriptis ſubjicere contendunt: verbis oſtendunt velle Judæos propriis armis confodere, re tamen vera Judæis, Judaiciſque commentis vires & auctoritatem augere moliuntur. Quid amplius? Tam alte Rabbiniſmus inſedit quorundam Chriſtianorum animo, ut non defuerint (a), qui in ipſa quoque Evangelia Commentarios Rabbinicos ſcripſerint, detorquentes phraſes, ritusque inſuper e Talmudicis proferentes Magiſtris, ad quos Chriſtum & Apoſtolos alluſiſſe affirmant. O ſtultitiam ipſis quoque ſectariis exoſam!

319. Non denego, Raymundum Martinum, Auguſtinum Juſtinianum Epiſcopum Nebienſem, meoſque clariſſimos Lyranum & Galatinum multa nobis ex Judaicis ſcriptis argumenta in Judæos olim ſuppeditaſſe; at a ſyſtemate Criticorum recentiorum quam longiſſime illi abfuerunt. Namque argumentabantur, ut dicitur, ad hominem, quo quidem argumentationis genere nihil dictis, aut ſcriptis ſui adverſarii arguens auctoritatis concedit, ſed unice proprio mucrone eundem vexat, cogitque ad ſuam venire ſententiam; Waltonus autem, quique ei conſentiunt, ex toto diverſam rem intendunt. Profert ille nonnulla loca Paraphraſium (quæ utinam & nobis ad præfocandos Judæos invicto fulcimento forent) eo potiſſimum ſcopo, ut de auctoritate & utilitate Paraphraſeos ſuum Lectorem ſuadeat: utrum iſthæc virum Chriſtianum atque doctiſſimum deceant, ab aliis opto proficiſcatur ſententia. Id mihi, fateor, cordi eſſe, de quo olim Apoſtolus Timotheum rogabat, atque monebat

(a) *Teſtatur Voſſius cit. p. 149.*

Digitized by Google

bat (*a*): *Rogavi te . . . ut denunciares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide.* Et alio loco (*b*): *Ineptas autem, & aniles fabulas devita: exerce autem teipſum ad pietatem.* Super quæ Auguſtinus (*c*): *Judæos habere ſuas traditiones a Libris Propheticis, & Legitimis alienas, quas appellavit Apoſtolus profanas fabulas, & aniles, & genealogias interminatas.* Lyranus ſuper primum locum Apoſtoli, *dicuntur interminatæ, quia non terminantur ad aliquod certum & verum.*

320. Pro exacta hujus argumenti diſcuſſione, & aliud ſupereſt non leve ſpiculum referendum, ac refellendum, de quo, ne prolixius ſermo excreſcat, ſtricte quantum queo ediſſeram. Waltonus (ita paſſim noſtri Critici) nihil novi, aut peregrini circa utilitatem & decentem auctoritatem Targumim periclitatus eſt, ſed quæ antea a viro celebri Franciſco Luca Brugenſe, Eccleſiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologo, Decano, atque de Republica Romano-Literaria optime merito fuere ex peculiari inſtituto animadverſa *Tractatu de uſu Chaldaicæ Paraphraſeos*, fideliter digeſſit: porro Brugenſis ſententiam, quoad utilitatem Paraphraſium, ſequuti ſunt non tantum Proteſtantes, ſed multi Theologi non infimi ſubſellii.

321. Circa hujuſmodi cavillationem extenuandam monitos omnes eſſe velim, Brugenſem privato, peculiarique Paraphraſium affectu tranſverſum fuiſſe, atque captandæ ſibi gratiæ Lovanienſium dulciter raptum. Vir quidam Pariſienſis (*d*) auctoritate & eruditione celebris evulgavit litteras, quibus ſugillabat tam Regia Biblia Antuerpiæ cuſa, quam Doctores Lovanienſes, præſertim propter Chaldaicam paraphraſim cum cæteris Scripturæ Textibus appoſitam præfatis Bi-

bliis:

(a) 1. *ad Timoth. cap.* 1. *v.* 3.
(b) *Cap.* IV. *v.* 7.
(c) *Lib. contra Adverſar. Legis Tom.* VIII. *col.* 581. *B.*
(d) *Cujus nonnullos ſenſus retulimus nuper num.* 307.

Digitized by Google

bliis : heinc Lovanienſes, qui cenſores operi præfuerunt, provinciam reſpondendi demandarunt Brugenſi, quibus libenter morem gerens, in lucem protulit Tractatum, quem inſcripſit: *De Chaldaica S. Scripturæ Paraphraſi* (a). Neminem latet, quantum hac in rerum ſerie Advocati, & Patroni ſuarum partium ſtudio abrepti, perſæpe præjudiciis laborent, interdumque a veritatis tramite non leviter aberrantes. In quem vulgarem ſcopulum plane Brugenſis impegit, *primo* quum (b), nullo prorſus nixus monumento, pro antiquiſſimis donat non tantum Thargum Onkeloſi in Legem, & Jonathanis in Prophetas, ſed quoque Joſephi cæci in Hagiographa, quem omnes fere eruditi poſt Hieronymianam ætatem, vel ſaltem iſto tempore hujuſmodi Thargum conſcriptum fuiſſe affirmant. *Secundo* quum criminationem Lovanienſibus Cenſoribus illatam, in Complutenſes quoque atque Ximenium redundare dicit. Ximenius enim vix Pentateuchum Onkeloſi, quod minime tot ſcatet vitiis atque aliæ Paraphraſes, deſcripſit; aſt Arias Montanus minime contentus fuit ſola Onkeliana, ſed & alias maximæ partis Veteris Teſtamenti, annuentibus Lovanienſibus Cenſoribus, in Bibliis Regiis expoſuit. Qua de re Riccardus Simon. (c) dicere habuit: *Non auſus Cardinalis Ximenius aliam paraphraſim Chaldaicam quam Onkelos edere. Alias tamen transferri curavit, & demptis Talmudicis fabulis in Bibliotheca Complutenſi collocavit. At Arias Montanus non tam timidus, aut ſcrupuloſus ac ille, quidquid harum Paraphraſium reperire potuit, aliquot tamen ſublatis fabulis in Polyglottis Regiis poſuit, & edidit: ac putavit ſe Cardinalis Ximenis conſilio paruiſſe hac in parte, qui ſeorſim illas edere cum verſionibus Latinis deſtinaverat.*

322.

(a) *Eruitur ex monito ejuſdem Brugenſis ad Lectorem eidem opellæ præfixo, quæque extat in fine Tom. II. ejus Commentar. in Evangel. p.* 1096.
(b) *Loc. cit. p.* 1098.
(c) *In catalogo Edition. Biblic. p.* 129.

322. *Tertio* quum arbitratur (*a*) ſufficiens remedium ſubminiſtrari Lectoribus (qui ex lectione Paraphraſium in Bibliis Regiis exiſtentium induci poſſunt in errorem) ſi Cenſores Lovanienſes ſcriberent Epiſtolam, qua explicarent, ſe non alio Paraphraſes retuliſſe, quam ad omnipotentis Dei gloriam, & Chriſtianæ Catholicæque fidei profectum; quaſi quod ex ſola bona operantis intentione pendeat honeſtas illius operis, quod ex ſe ſe inducere poteſt alios in errorem. *Quarto* quum occaſione tuendi uſum Chaldaicæ teſtatur (*b*): in Regium opus univerſam Academiam Lovanienſem conſenſiſſe; facultatem Pariſienſem in eandem iviſſe ſententiam; pariter quadraginta duos ſacræ Theologiæ DD. ex univerſa Hiſpania Compluti congregatos; Pontificem quoque Pium benedictionem tranſmiſiſſe operi inchoato, & Gregorio XIII. ſupra modum placuiſſe perfectum. Namque, ut cuique nuda veritas innoteſcat, ſolos Cenſores Lovanienſes comperio, qui conceptis verbis approbarint eas Paraphraſes, judicantes ad ipſum Textum Hebraicum, Latinumque illuſtrandum utiles (*c*); Doctores vero Pariſienſes dumtaxat approbarunt Biblia Regia quoad Textum Hebraicum, Syriacum, Græcum, & Latinum, nullam penitus Chaldaicæ mentionem facientes (*d*): Quoad quadraginta duos Theologos Hiſpanos, & benedictionem Pii Pon-

(a) *Eo loci pag.* 1102.

(b) *Pag.* 1101.

(c) *Hæc eſt eorum ſubſcriptionis forma apud Brug. cit. p.* 1098. Hanc Chaldaicæ paraphraſis Veteris Teſtam. Latinam verſionem, nos infraſcripti Theologi &c. diligenter examinavimus, examinatamque approbavimus, & ad ipſum Textum Hebraicum, Latinumque plurimis locis illuſtrandum, utilem judicavimus.

(d) Nos ſubſcripti DD. Facultatis Pariſienſis Sacra Biblia Philippi II. &c. Hebraice, Syriace, Græce, & Latine expreſſa ad formam Complutenſium Bibliorum olim in Hiſpania impreſſorum, vidimus, digna denique cenſuimus, quæ a Catholicis legerentur, & opponerentur falſis & impiis Hæreticorum translationibus, quibus fucum imperitis Linguarum facere conantur: Anno Domini 1572. die 4. Aprilis. *Legitur in prælimina-ribus eorundem Bibliorum Antuerp.*

Pontificis, ſola relatione Benedicti A. Montani in ſua Præfatione ad Lectorem nobis innoteſcunt, nullum penitus indicantis ejuſdem rei veſtigium, quin potius Riccardus Simonius referat oppoſitum (*a*). Gregorius XIII. vix commendat præfatum Bibliorum opus ad modum DD. Pariſienſium, in quantum ſcilicet Catholici ex lectione illorum poterunt ſe ſe opponere falſis Hæreticorum translationibus; quum vero Romanæ Sedi innotuit, quod Paraphraſes in Bibliis Regiis expoſitæ, tametſi a quamplurimis non ſemel, ſed bis & iterum expurgatæ, nunquam vero adeo perpolitæ, quin permulta judaica atque Textui repugnantia ſpirarent, idcirco ſub eodem Gregorio Pontifice habitum fuit conſilium de Bibliis Regiis ſuſpendendis, donec Paraphraſes ibi deſcriptæ removerentur. Quod pariter cauſſa fuit, ut Fortunato Fanenſi minime fuerit permiſſum in ſua Polyglotta eaſdem deſcribere, non obſtante quod Congregationi Illuſtriſſimorum Cardinalium ultro ſe ſe obtulerit eas amplius expurgaturum (*b*).

(a) Primi, *inquit*, *In Catal. cit. p.* 130. Hiſpani editores Thargum fuerunt, primi quoque illius hoſtes & improbatores extiterunt.

(b) Licet, *ita celeber Fanenſis Præfat. in Sacris Bibliis Polyglot.*, *pag.* 4. *ſub init.* omni ſtudio hæc Chaldaica Paraphraſis a quamplurimis non ſemel, ſed bis & iterum expurganda ſuſcepta fuerit, nunquam tamen adeo perpolita fuit, quum aliqua adhuc labe ſit infecta in ipſiſmet etiam Bibliis Regiis, quod facile intelliget, qui eorundem Bibliorum Cantica Canticorum, Librum Job, Threnos Hieremiæ, alioſve præcipue propheticos perlegerit Libros, qua quidem in lectione cognoſcet, Chaldæum Paraphraſten potius expoſitoris, & expoſitoris Judaici, quam veri Interpretis ſubiiſſe perſonam; multoties ad Hebraici populi laudem multa accommodans, quæ non ſolum ad rem minime faciunt, verum ipſimet Textui maxime repugnant: cognoſcet, inquam, ni media in luce cæcutiat. Ego etenim ipſe dum hanc Paraphraſim perlegerem, ut hiſce noſtris Bibliis illam insererem, & omni ex parte ſtudioſos juvarem, vix Libros hiſtoriales a Pentateucho & infra, Job, & Pſalterium perlegeram, quum ſupra triginta corrigenda loca adnotaveram: quumque has ego correctiones Sacræ Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationi ad negotia Sanctæ Inquiſitionis deputatæ obtuliſſem, ut judicio S. Matris Eccleſiæ ſtarem de cudenda in his noſtris Bibliis Chaldaicæ Paraphraſis translatione, me re-

liquos

323. Quidquod ſi, ut fert Brugenſis, tam ſolemni pompa Targumim approbatæ fuiſſent, quis quæſo a ſummæ temeritudinis ac procacitatis nota prædictum Auctorem Epiſtolarum ſugillantem Paraphraſes cum Lovanienſibus Cenſoribus eximere potuiſſet? quomodo Epiſtolæ illæ non ocyus igni donatæ, vel ſaltem eodem in ortu non ſuppreſſæ, ſive æternis non damnatæ tenebris? hoc enim in caſu non in Lovanienſium tantum, ſed & in judicium totius fere Catholicæ univerſitatis Auctor invectus fuiſſet. Quidquod ipſemet Brugenſis unus fuit ex Lovanienſibus Cenſoribus, qui Chaldaicam approbavit, vel ſecundum Suvertium (a): *Regiorum Bibliorum editioni cum Benedicto Aria Montano, cæteriſque* (Brugenſis) *præfectus fuit?* Meipſum itaque neque falli arbitror, neque fallere alios quum repetam: *Brugenſem privato peculiarique Paraphraſium affectu tranſverſum fuiſſe, atque captandæ ſibi gratiæ Lovanienſium dulciter raptum*: & per conſequens haud mirum eſt, ſi ipſius hac in parte non magni facimus teſtimonium, quin ad aſſerendum cogamur, eundem feneſtram aperuiſſe Waltono eouſque progredienti, donec non ſolum commendaret antiquitatem, & utilitatem Thargum, ſed quoque defenderet, iſtud confirmare ſinceritatem Hebræi, & convincere Vulgatam de vitiis, quod neutiquam Brugenſis ea in opella adſeruit; ſed vult noſtræ editioni Latinæ inſervire, ut contra aliorum interpretatio-

liquos etiam Libros expurgaturum exhibens, ſatius judicarunt cum Sanctiſs. Domino Patres Congregationis, quibus de doctrinis cognoſcere datum eſt a Domino, hujus Chaldaicæ paraphraſis translationem ab his noſtris exemplaribus rejiciendam, quam talmudicis fabulis illa fœdandam; ſicuti ſuis ad me datis litteris teſtatus eſt Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Robertus Bellarminus S. R. Eccleſiæ Presbyter Cardin. de re litteraria deque Chriſti Eccleſia vir optime meritus . . . addiditque ſub Pontificatu Greg. XIII. . . . habitum fuiſſe conſilium coram Sanctiſſimo Patre de Bibliis Regiis ſuſpendendis, donec expurgarentur; expurgatio vero eo tendebat, ut ab illis exemplaribus hæc Chaldaica Paraphraſis removeretur, cujus expurgationis cura ipſimet Roberto Bellarmino, antequam ad ſacrum Cardinalatus apicem promoveretur, demandata fuit. *Hactenus Fanenſis.*

(a) *In Athenis Belgicis pag.* 251.

tationes lectio Vulgatæ ſtabiliatur. *Servit*, inquit (a), *quoque compluribus in locis noſtræ editioni, ut ejus verſio contra aliorum interpretationes ſtabiliatur.*

324. Bene equidem & ipſe ſcio, pleroſque etiam de Romana Eccleſia Recentiores Brugenſi & Waltono, quoad antiquitatem & utilitatem Targumim, adſtipulatos; aſt ſi exactum, quod debebant, quodque mihi pro modulo ſervare cordi fuit, criterium adhibuiſſent, minime illis, ut conjicio, acclamaviſſent; quandoquidem nihil fere percenſent, quod non illi dixerint antea, & inſuper momenta penu noſtro, & ex Morino hactenus deprompta ſilentio prætereunt (b). Cæterum ſi Paraphraſes, aliaque Judæorum ſcripta conſarcinata ſunt poſt Hieronymianam ætatem, ſi nihil veri ſolidique complectuntur, quod a Chriſtianis, Chriſtianorumque Libris mutuatum non fuerit, quid frugi poterimus ex iſtis expiſcari, quod non latius, facilius, atque rectius noſtra non ſuppeditent? ſi nullus, ut opinor, inveniri poterit, qui tantum otii & temporis habeat, ut valeat conſulere Textus, verſiones, quibus Patres uſi ſunt, Commentaria eorundem, Tractatus, Annotationes pene innumerabiles, quas in Scripturis probatiſſimi viri Chriſtiani ediderunt, quomodo in Eccleſiam Chriſti non erit injurius, qui noſtra negligit, ut Synagogæ evolvat libros, ut Patronos Synagogæ conſulat, ut a Synagoga inſtruatur:

(a) *Loc. cit. pag.* 1098.

(b) *Offundendis veritati tenebris, nihil ſane tantum confert quantum nimia credulitas]; & quum non penſitatis utriuſque partis momentis alter alterum indiſcriminatim adoptat: quis non videt quod hoc pacto perpetua evadat erroris ſucceſſio, tum etiam pene in immenſum propagatio. Quare ut probe animadvertit Cl. Theologus P. Dominicus Soti in Proœmio I. voluminis Diſput. IV. ſententiarum, plerique, maxime poſt introductam artem typographicam, non tam allecti facultate docendi, quam facilitate imprimendi plures craſſos codices, aliena, nonnullis additis, detractis, aut mutatis, adamuſſim referunt, & interdum incompte præpoſtereque tranſcribunt: unde evenit, ut imperitis deceptis, & crumena repleta ſuam ſcribendi libidinem mirum in modum ſaturent. Quod ſane bona venia dixerim, nihil penitus probatis Auctoribus detrahendo.*

Quis ſervus, ſunt aurea Tertulliani verba (*a*), *cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? quis miles ab infœderatis, ne dicam hoſtibus, Regibus donativum & ſtipendium captat, niſi plane deſertor, & transfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat: Etiam vidua illa non inimicum, licet durum, judicem interpellabat. Nemo inde ſtrui poteſt, unde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & a noſtris, & de noſtro.* Abjiciamus ergo ſordida verporum commenta, haud de alienigenis divina emendicemus oracula, haud de hoſtium manibus, ſed in Eccleſia, ab Eccleſia, & de Eccleſiæ paſtophoriis, atque archivis excipiamus promamus.

§. IV.

De integritate Verſionis Syriacæ.

325. Fraſſenus (*b*) plerumque veterum relatione nixus, fert, ſub titulo Syriæ intelligi omnes regiones nominibus Phœniciæ, Palæſtinæ, Meſopotamiæ, Babyloniæ, Cœleſyriæ, Adiabenæ, imo & Aſſyriæ; quia licet Aſſyria diverſam habeat vocis originem, attamen Juſtinus & Cicero de Sardanapalo Aſſyriorum Rege mentionem facientes, Regem Syriæ appellant: Hinc Hieronymus, quo nemo melius introſpicere id poterat, ut qui Syriam interdum incoluit, *Doctus*, inquit (*c*), *Lector Veteres revolvat Hiſtorias, & ab Euphrate ad Tigrim, omnem in medio regionem Aſſyriorum fuiſſe cognoſcet. Ergo quos veteres Aſſyrios, nunc quos vocamus Syrios, a parte totum appellantes.* Item lingua Syriaca ubi ante captivitatem Babylonicam eadem erat cum Chaldaica, vel

(a) *De Præſcription. cap.* XII. *Tom.* III. *p.* 333. *A.*
(b) *Diſquiſit. Bibl. lib.* II. *cap. V. pag.* 277.
(c) *In cap.* XIX. *Iſaiæ Tom.* IV. *p.* 55. *F.*

Digitized by Google

vel parum diverſa, ut aliis lubet; captivitate autem ſoluta apud Judæos in patriam reduces plurimum deflexit: namque quum Hebræi aduſque captivitatem pura Hebraica loqui conſueviſſent, quumque Babylonem adducti, cœpiſſent linguæ propriæ oblivíſci, & addiſcere Chaldaicam, tametſi neque maternam omnino dimiſerint, neque Chaldaicam perfecte pronunciarent, ſemper aliquid ex Hebraica retinentes, factum eſt, ut reverſi in patriam, quandam ex Hebræa & Chaldæa tertiam linguam mixtam uſurparint: quare ab Hebræo-Criticis hujuſmodi lingua mixta, vocatur interdum Hebraica, interdum Chaldaica, interdum Syriaca (a): *Syriaca*, inquit Bellarminus (b), *dicta eſt a regione ubi maxime ejus uſus viget, ſive Hieroſolymitana a Civitate præcipua Hebræorum; quemadmodum lingua Chaldaica, quæ hoc nomen habet a regione Chaldæa, vocata eſt etiam Babylonica a Civitate Chaldææ nobiliſſima.*

326. Communis videtur eſſe ſententia, Servatori noſtro Jeſu linguam Syriacam fuiſſe vernaculam. Joannes Widmanſtadius, qui primus edidit Viennæ an. 1572., expenſis Ferdinandi Imperatoris, Novum Teſtam. Syriacum, in Præfatione habet: *Hanc linguam Redemptoris noſtri ortu, educatione, doctrina, miraculis, corporis & ſanguinis ſui confectione Euchariſtica, ac Patris etiam Æterni voce bis cœlo ad eum emiſſa conſecratam.* Bellarminus laudatus expendens ſen-

ten-

(a) *Iſtæ voces* Golgotha *&* Gabbatha *ab eiſdem Evangeliſtis dicuntur eſſe Hebraicæ, & tamen Critici ſub hoc nomine* Hebraicæ *preſſius loquendo, intelligunt linguam vel Hebræo-Syriacam, vel Hebræo-Chaldaicam. Eraſmus in caput XXII. Matth. v. 33. adſtipulatur Hieronymo ſentienti, Golgotha eſſe verbum Syrum, non Hebræum purum. Vatablus in eundem locum*: Golgotha eſt autem vox Chaldæa. *Zegerus ibid.*: D. Hieronymus Golgotha Syrum eſſe dicit, non Hebræum. *Vatabl. in cap.* XIX. *Joan. v. 13.*: Gabbatha Chaldææ formæ eſt vox. *Idem Zegerus in v. 17. ejuſdem Joan.*: Golgotha eſt quidem Hebraica vox origine, quemadmodum & Gabbatha, ſed in Chaldaicam vel Syram formam deflexa. *Druſius in v. 13. ejuſ. Joan.*: Hebraicam linguam vocari etiam Syriacam, hoc eſt, eam quæ ætate Chriſti, & Apoſtolorum vernacula erat. *Vide quoque quæ notavimus num. 313.*

(b) *Lib.* II. *de Verbo Dei cap.* IV. *col. 75. D.*

Digitized by Google

tentias veterum Scriptorum, qui dicunt Evangelium S.Matthæi fuiſſe Hebraice conſcriptum, dicit, loquutos fuiſſe de lingua Hebræa, quæ temporibus Apoſtolorum vulgaris erat, *quemadmodum in ipſo Evangelio paſſim legimus dictum aliquid eſſe Hebraice, quod tamen conſtat vulgari lingua, ideſt Syriaca, dictum eſſe*. Dominicus Gravina (*a*): *Quæ vernacula erat & Syra Hieroſolymitana dicta eſt, quam ore ſuo Redemptor noſter conſecravit, Syra iſta lingua ad turbas loquendo*. Et quoque huic ſententiæ adhæſerunt Maſius, Boderianus, Troſtius, Tremelius, Buxtorfius, cæterique; Waltono autem (*b*) arriſit, Chriſtum uſum fuiſſe Syriaca non quidem Antiochena, quæ ſtricte Syriaca vocatur, neque Hebræa pura, ſed lingua vulgari, ſive Chaldæo-Hieroſolymitana, ea ſcilicet dialecto qua conſcriptæ comperiuntur paraphraſes Onkeli & Jonathanis: quod ſuadere nititur, tum quia ſicut hi duo Paraphraſtæ paulo ante Chriſti tempora ſcripſere, ita iſtorum ſermo tempore Chriſti erat vernaculus; tum etiam, Chriſtus in Cruce verba ex Pſalm. XXII. non ut in Syriaca Novi Teſtam. verſione extant, nec ut in Hebræo Textu, ſed ſermone Hieroſolymitano qui in vulgari uſu erat. Sed quam inania iſta ſint, atque frigida, ſatis intelligere poteris ex ſuperiore paragrapho, ubi affatim probavimus ſomniatam antiquitatem Targumim num. 294. & ſeqq., ſicut quoque num. 313. poſteriorem ſtropham abjecimus.

327. Cæterum qui contendunt, illud idioma Hebraicum preſſius deſignare, quod Chriſto & Apoſtolis vernaculum erat, ſtatuentes vel quod fuerit Hebræo-Chaldaicum, vel Hebræo-Syriacum, vel Chaldæo-Hieroſolymitanum, aut Antiochenum, vel alio modo, ni fallor, periculo errandi ſeſe facillime exponunt. Eo namque tempore non una eademque lingua incolæ Hieroſolymitani loquebantur: quamquam ma-

(a) *Cathol. Præſcript. lib. 4. controv.* IX. *art. un. pag.* 291. *col.* 1.
(b) *Proleg.* XIII. §. 5. *p.* 391. *col.* 2.

Digitized by Google

maxima ex parte Hebræi erant origine, permulti autem alii ex Græcis, & ex Latinis ibi verſabantur; uſqueadeo, ut congruum ac expediens viſum fuerit Pilato, ut hoc triplici idiomate titulus Crucis deſcriberetur; proditur quoque, Libros Novi Teſtam. alios Hebraice, alios Græce, alios Latine primitus deſcriptos, quorſum iſta niſi propter multitudinem Hebræorum, Græcorum, & Latinorum qui Hieroſolymæ habitabant? Neque Græci illi, & Hebræi unum vernaculum ſermonem in ore habebant, ſed unuſquiſque juxta dialectum illius Provinciæ, unde duxerat ortum, quod haud obſcure eruitur ex verbis Actorum, ubi fit mentio eorum, qui ſtupebant, quum unuſquiſque audiebat Apoſtolos, Galilæos patria, loqui ea lingua, in qua natus erat: *Stupebant* (a) *autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt, & quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ... & advenæ Romani, Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei*. Quod ſi tanta erat ſermonis Hebraici diverſitas, quemlibet intelligere arbitror, quam difficile ſit definire eam dialectum, quæ tempore Chriſti apud Hieroſolymitanos vulgaris erat, inter cæteras tenebat primas, & Chriſto vernacula.

328. Non me fugit Criticorum ſyſtema, quo ex characteribus, phraſibus, dictionibus, litterulis, & quoque traditionibus Judæorum contendunt introſpicere, & enudare non tantum vernaculam Chriſti, ſed quoque peculiarem dialectum in ſingulis regionibus orientalibus vigentem primis Eccleſiæ ſeculis, ſpecioſa quadam dicendi facultate, definientes quoque varios puritatis & impuritatis gradus, quos decurſu temporis eæ linguæ ſubierunt: ſed quam craſſe fallan-

(a) *Act. Apoſt. cap.* II. *v.* 7.

Digitized by Google

fallantur, imperitis quoque facientes fucum ſummatim, ne latius evager, me expediam. *Principio* omnia orientalium volumina, quæ nobis in præſentiarum ſuppetunt, ipſis Criticis teſtibus, vitia ubique ſpirant, & variantes lectiones: *ſecundo* tam characteres quam dialecti earundem linguarum, tot ſeculorum fluxu paulatim pro communi fato deflectentes, non leviter hodie ab antiquis diſcrepant: *tertio* grammaticæ, quæ modo in ſcholis traduntur, minime valent tantum adjumentum ſuppeditare, ut incumbentes eiſdem aſſequantur eam dialectum, quæ Prophetarum & Apoſtolorum temporibus in uſu erat (*a*): quod Judæi tandem rerum ſuarum antiquarum imperiti fuerint, jam antea ex Morino num. *306.*, & ex Iſaaco Voſſio num. *316.* planum feciſſe confido; ex tot igitur dubiis levibuſque principiis, quid quæſo certi aut veriſimilis poterunt Critici elicere, noſque pariter utiliter docere? quomodo ipſorum conjecturæ hiſce infirmis momentis ſubnixæ, non erunt maxima ex parte ad meras fabulas amandandæ? quomodo defectu ſe tenente ex vitiis voluminum, aut ex imperitia grammatices, aut ex anilibus Judæorum traditionibus, ut plurimum mirifica palatia ſuper arenam non ædificabunt? Hinc miror ſane Waltonum, qui feraciſſimo acumine diſtinguit nobis (*b*) tres Chaldaicæ, vel Syriacæ linguæ dialectos, *Babylonicam* omnium puriſſimam, in qua Daniel & Eſdra, dicit, edocti erant, *Hieroſolymitanam* magis corruptam & Chriſto, Apoſtoliſque vernaculam, & *Antiochenam*, *Comagenam*, ſive *Maroniticam*, quam Chriſtiani ſibi quaſi propriam fecerunt. Rurſus face accepta a Farajo & ſuo Domino Pocokio, immediate tres alias dialectos linguæ Syriacæ venditat, quarum elegantiſſimam fuiſſe percenſet *Aramæam*, iſti proximam *Palæſtinam*, omnium tandem impuriſſimam *Chaldaicam Anabathæam*. Modo (*c*) cum ſuo longe doctiſſimo Ludo-

(a) *Id abunde enucleabitur* §. II. *cap. V.*
(b) *Prolegom.* XIII. §. 3. *p.* 390. *col.* 1.
(c) *Loco cit.* §. 4. *col.* 2.

Digitized by Google

Ludovico de Dieu vult Syriacam, & Chaldaicam unam & eandem linguam eſſe. Modo (*a*) ex obſervatione ſui magni Grotii concludit, Chriſtum haud uſum fuiſſe idiomate Antiocheno, ſive ſtricte Syriaco, ſed Chaldaico Hieroſolymitano; & tandem, ne aliud otii, & temporis conſumem, pro explorato non ſemel venditat, dialectum Hieroſolymitanam, quæ tempore Chriſti currebat, eam eſſe quam hodie exhibent paraphraſes Chaldaicæ.

329. Quot commenta, bone Deus, quot ſomnia, quot deliria! Hic non agitur de linguarum Orientalium peritia, de qua nonnulli thraſones ſe obtinuiſſe uſque ad Cœlum gloriantur; ſed de diſtinguendis minutiſſimis dialectis, quæ ſexdecim retro ſeculis in uſu erant in ſingulis Orientalium provinciis, ne dicam Civitatibus, quo quid obſcurius, atque definitu difficilius nonniſi mente motus non agnoſcet. Unum addam: ſi paraphraſes Chaldaicæ ſaltem poſt tria ſecula a Chriſto nato (quo intermedio tempore Hieroſolymitana Civitas graviſſimas ſubiit viciſſitudines) congeſtæ ſunt, quomodo fiet credibile dialectum, qua uſi ſunt Chriſtus, & Apoſtoli, eam eſſe quam Targumim exhibent nobis? Relictis itaque tam incertis atque vaniſſimis perſcrutatiunculis Criticorum, id unum pro certo habeo, nativam vernaculamque Chriſti Domini fuiſſe Hebraicam, quamquam haud nefas putarim dicere: Incarnatam Dei ſapientiam relative ad dialectum eorum, quos alloquebatur ſive ex Græcis eſſent, ſive ex Latinis, ſive ex Samaritanis, Syris, Chaldæis, Antiochenis, Alexandrinis &c. pro data opportunitate divina ipſius verba adaptaſſe, ut cuique, nullo interprete medio, myſterium ſacratiſſimi Adventus ſui pateſaceret.

330. CIRCA ANTIQUITATEM Syriacæ verſionis nullum, quantum ſcio, eruditorum comperio, qui adprobarit ſententiam, quam relatione Syrorum tradidit Gabriel Sioni-

(a) §. 5. *p.* 391. *col.* 2.

ta: nimirum Scripturam ſaltem quoad Pentateuchum & Libros Joſue, Judicum, Ruth, Job, alioſque qui ante Salomonem fuere a Sacris Scriptoribus editi, intervenientibus precibus Hirami Tyriorum Regis, in linguam Syram translatos fuiſſe tempore Salomonis; reliquos vero Libros tam Veteris quam Novi Teſtamenti tempore Abgari Regis Syriæ ſtudio & labore S. Thaddæi, vel aliorum Apoſtolorum; quare Waltonus non abs re hujuſmodi Sioniticam credulitatem refellit (*a*) obſervans, quod ante Chriſtum natum præter ſolam verſionem Septuaginta nulla alia verſio erat, quum tantum iſtius veteres recordentur, & ignoremus quoque apud quos ſervata fuerit præfata Salomonis verſio: non apud Judæos, utpote qui eam non agnoſcunt, non apud Chriſtianos, quorum nomen multis poſterioribus ſeculis inauditum. Rurſus, denegat reliquos Libros a S. Thaddæo, vel aliis Apoſtolis Syro ſermone elaboratos fuiſſe, quia bene didicit a Bellarmino (*b*): *Quod ſi id verum eſſet, nulla eſſet cauſſa cur de hujuſmodi editionis auctoritate . . . dubitaretur*: quia tamen eodem ſemper præjudicio abreptus conciliandi auctoritatem cuilibet verſioni Orientali, ut facilius deprimeret Vulgatam veterem Latinam, idcirco minime dubitavit concedere Syriacam verſionem ab Apoſtolicis viris factam, uſque adeo Syriacæ verſioni primum locum ultro libenterque tribuerit inter omnes alias verſiones poſt Chriſtum editas: *Ab Apoſtolicis*, inquit (*c*), *vero viris factam concedo*: & antea (*d*): *Extat vetuſtiſſima translatio veteris Teſtamenti ex Hebræo, & Novi Teſtam. ex Græco, quæ omnes poſt Chriſtum factas antiquitate ſuperat*. Et quoniam Arias Montanus ſcripſit, de Veteris Teſtamenti Libris Syriacis non adeo laborandum, eo quod ex iis fragmentis, quæ extant, non ex Hebraica, & primæva lingua, ſed ex Græca ab Ori-

(a) *Proleg.* XIII. §. 15. *p.* 396. *col.* 2.
(b) *Lib.* II. *de Verbo Dei cap.* IV. *col.* 77. *E.*
(c) *Loc. cit. pag.* 397. *col.* 2.
(d) §. 8. *p.* 393. *col.* 2.

Digitized by Google

Origene permixta verſione translata ſunt, *quibus*, ita in Montanum Waltonus invehitur (a), *verbis duplici errore erravit . . . tum quod non aliam habuiſſe Syros verſionem ſcribat, quam quæ ex Græco facta eſt ; tum quod, ut magis deprimeret hanc verſionem, dicat factam eſſe ex Græca . . . quorum neutrum verum eſſe ſatis probatum eſt*. Si qua tamen intelligentia valeo, longe minus erraſſe (ſi ita eſt) mihi videtur Arias, qui antiquiſſimam verſionem Syriacam ex Hebræo inficias ivit, atque ſeductor iſte qui tanta confidentia aſſeruit illud ſatis probaſſe, pro re tamquam explorata ſerena fronte quoque obteſtans, non aliam quam iſtiuſmodi Apoſtolicam verſionem Syriacam ſuæ Polyglottæ inſeruiſſe ; mora itaque non interpoſita ad ipſam rem feſtinanter accedamus.

331. Nullam penitus rationem video, quæ Syros Apoſtolorum ævo excitare potuiſſet ad petendam, vel ex ſe ſe concinnandam proprio idiomate verſionem Scripturæ. Communis opinio eſt eo tempore, & antea in Oriente, iis potiſſimum in locis, ubi vigebat Religio Judaica, vel Chriſtiana, vernaculum idioma fuiſſe, vel Hebraico-mixtum, vel Græcum; quod plane eruitur ex facto illorum divinorum voluminum, qui vel ſermone Hebraico-mixto, vel Græco primitus editi ſunt: Orientales itaque, qui Judaicam, vel Chiſtianam Religionem profitebantur, nullum opus habebant verſione Syriaca; quod ſi oppoſueris ſaltem eos colonos, qui ſtricte Syriaco ſermone loquebantur indiguiſſe, dupliciter inſto: *primo* eccur non antea proviſum eiſdem fuit? eadem quippe ratione etiam ante Chriſti adventum coloni Syriaci debuiſſent hujus voti compotes fieri, ſicque Waltonus haud recte ſententiam Sionitæ rejeciſſet: *ſecundo* pro colonis, aliiſque de vulgo, qui neque Hebræum Textum, neque verſionem viralem intelligebant, erant Interpretes, qui lingua vernacula Scripturas interpretabantur, ut dictum eſt in ſuperiori paragrapho num. 286. & ſeqq., & ea lege

M 2 qua

(a) *Loc. cit. p. 395. col. 1.*

qua ſinguli noſtri Parochi, lingua populo ſuo Italo, vel Germano, vel Hiſpano, Gallo &c. vernacula, Dei epiſtolam patefaciunt, & eundem Chriſtum id feciſſe ipſe affirmat, ut modo innuam.

332. Prolatum reſtauro: Si qua fuiſſet neceſſitas, vel utilitas vertendi Apoſtolorum ævo ſacras litteras Syriaco ſermone, maxime in Antiochia, ubi ad voluntatem Waltoni aliorumque nugatorum, ſermo ſtricte Syriacus ſonabat; quare vult (*a*), verſionem iſtam haud ſcriptam fuiſse dialecto Hieroſolymitana ſed Antiochena; verum ii qui Antiochiam tunc temporis incolebant Græce & non Syriace loquebantur: *Divinant*, fatur Riccardus Simonius (*b*), *qui aut aliquem ex Evangeliſtis, aut Chriſtianum quendam Antiochenum hujus Syriacæ verſionis Auctorem agnoſcunt, tunc enim temporis vulgaris erat in civitate Antiochena lingua Græca*. Immo ſermo Græcus in toto oriente erat vulgaris: *A quo tempore*, habet Bernardus Lamy (*c*), *Alexander Magnus Rex Macedonum imperium Orientis invaſerat, quod eo mortuo inter præcipuos Duces ejus diviſum eſt, ſermo Græcus toto Oriente in Ægypto, quam & ſibi ſubjecerat Alexander, cœperat uſitatus eſſe . . . Itaque quum Evangelium promulgatum eſt, jam Græca lingua totum orbem notum pervaſerat* (*d*). Et ſpecialiter de Syris credendum eſt eo tempore Græco ſermone fuiſſe uſos, ut qui ab Alexandro Magno Græcorum Imperatore, teſte Fabricio Boderiano (*e*), annos ſuos numerant uſque hodie.

333. Heinc riſum cohibere non valeo, quum poſt Sionitam fatur Waltonus (*f*): verſio Syriaca *ut ſemper in ſumma veneratione, & auctoritate habita erat apud omnes populos*

(a) §. 17. *p.* 398. *col.* 1.
(b) *Cap.* XIII. *Hiſtor. Crit. Verſion. Novi Teſtam. pag.* 162.
(c) *Apparat. Biblic. lib.* II. *cap. X. p.* 395.
(d) *Legeſis enucleata num.* 251. *& ſeqq. ubi diſertius de re hujuſmodi.*
(e) *In Præfat. Novi Teſtam. quæ extat Tom. V. eorundem Bibliorum.*
(f) *Proleg.* XIII. §. 18. *p.* 398. *col.* 2.

Digitized by Google

los qui Chaldaica, ſive Syriaca utuntur lingua, ſic publice in omnibus eorum Eccleſiis antiquiſſimis, conſtitutis in Syria, Meſopotamia, Chaldæa, Ægypto, & denique in univerſis Orientis partibus diſperſis ac diſſeminatis accepta, & lecta fuit. Et paulo poſt, quod omnes Orientales ſacra tempore Chriſti celebrarint lingua Syriaca, vel Syro-Chaldaica; ſicut & Apoſtolos eadem lingua primas liturgiarum formulas inſtituiſſe. Certe ſtomachum movet: quis enim Criticorum ut Waltonus tam ſerio graviterque adſerit, & non levibus monumentis probat, in Oriente ante & poſt Chriſtum, tam in Synagogis quam in Eccleſiis verſionem Viralem in publico uſu fuiſſe? annon pro hac ſententia ſuffragatorem appellat (*a*) Joſephum Scaligerum teſtantem: *Græcam per totam Aſiam, Græciam, & Ægyptum lectam fuiſſe in Synagogis?* annon, prælectam pariter Hieroſolymis apud Helleniſtas in Synagogis ibidem affirmat? eundem Dominum Jeſum Chriſtum in Synagogis uſurpaſſe, populo deinceps lingua vernacula Syriaca explicando? *Legem*, quoque eo loci habet, *& Prophetas ex hac verſione* Virali *ſingulis Sabbatis lectos fuiſſe?* & id intelligendum *non de ſolis Judæis Judæam habitantibus, ſed de omnibus per univerſum orbem diſperſis?* item (*b*) *ſola illa Septuaginta, ut quæ in uſu publico erat tam in Synagogis quam Eccleſiis, & adhuc ſola in Eccleſiis Græcorum legitur hodie manſit?* item (*c*), *Novum Teſtamentum Græcum inter omnes nationes ab ortu ſolis ad occaſum, ubicumque Chriſti nomen invocatum eſt, publice & privatim perlectum erat, & omnium manibus terebatur?* & tandem, *omnes fere ubique Græcam callebant, pauciſſimi Hebræam: unde plurima deſcripta habebant exemplaria Græca, pauciſſima Hebraica?* Certe hac in parte Waltonus ipſis quoque verſipellibus Hæreticis fa-

ctus

(a) *Proleg.* IX. §. 14. *p.* 322. *col.* 1.
(b) *Proleg. cit.* §. 19. *p.* 325. *col.* 2.
(c) *Proleg.* VII. §. 15. *p.* 283. *col.* 2.

ctus eſt inconſtantiæ prodigium. Neque velim ſuſpiceris, id dumtaxat Waltoni, aliorumque Criticorum teſtimonio nobis conſtare, quinimmo omnes fere probatiſſimi veteres tam de Synagoga, quam de membris Chriſti ſuo calculo teſtantur (*a*); & per conſequens ſi ante & poſt Chriſtum in toto Oriente tam in Synagogis, quam in Eccleſiis verſio Viralis conſecrabatur, falluntur certe Recentiores, & Waltonus, qui ſuis conjecturis nimis indulgentes, nihilque paſſim ſibi conſtantes, ad Apoſtolorum tempora referunt modo uſum Textus Hebraici, modo Textus Samaritani, modo Targumim, modo verſionis Syriacæ.

334. Dictu quidem & auditu mirabile! Duo lumina Chriſtianæ Religionis SS. Hieronymus & Auguſtinus, qui initio ſeculi quinti ſanctitate & doctrina clarebant, & de Scripturis, ritibus, & Liturgiis, quæ eo tempore apud Chriſti Eccleſias tam Orientales, quam Occidentales erant in more, minime ignari, ne dicam ad plenum edocti; ubi primus minutatim diſtinguit tam præcipuas regiones Orientis, quam exemplaria verſionis Viralis, quæ ibi ſuo tempore celebrabantur; & Auguſtinus fatur eandem verſionem taliter ab Eccleſia receptam fuiſſe, eaque Chriſtianos uti, ut ipſorum plerique ignorarent, utrum aliqua alia Scriptura fuiſſet (*b*); noſtri Critici e contra, tametſi quam longiſſime remotiores ab Apoſtolorum ævo, & conſequenter multo minus de rebus Eccleſiæ veteris inſtructi, adhuc nullam fere ediderunt verſionem Orientalem, cujus publicam lectionem mira dicendi facultate non retulerint ad priſca Eccleſiæ tempora. Facto quoque conſtat, veteres Patres & Scriptores Eccleſiæ Orientalis ſolam verſionem Viralem ſuis commentariis illuſtraſſe: ita Juſtinus, Irenæus, Origenes, Athanaſius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandri-

(a) *Vide exarata cap.* III. *n.* 183.

(b) Hanc tamen quæ Septuaginta eſt, ſic recepit Eccleſia, eaque utuntur populi Chriſtiani, quorum plerique, utrum alia ſit aliqua, ignorant. *Auguſt. lib.* XVIII. *de Civit. Dei cap.* XLIII. *Tom.* VII. *col.* 525. *B.*

Digitized by Google

drinus, & Hieroſolymitanus, Theodoretus, aliique: ſi Syriaca erat in uſu, quare ex Septuaginta, & non ex Syriaca Scripturarum teſtimonia aſſumpſerunt? quare Judæi ex Chriſtianorum odio Hebræum & Græcam verſionem, & non etiam Syriacam conſtuprarunt? Si verſio Syriaca ante Hieronymianam ætatem publico uſu conſecrabatur, limpide ne, an turbide fluebat? Si turbide, cur neminem legimus, qui de corruptelis eam accuſarit, aut a vitiis contractis perpolierit? Si limpide, ut quid Hieronymus ad normam iſtius ſuam non emendavit?

335. Hieronymus meminit, Evangelium Matthæi translatum fuiſſe in Græcum a quodam ſibi ignoto, & iterum a Pamphilo Martyre Græciæ ſtudioſiſſime donatum, quove Pamphili codice Eccleſia Berœæ urbs Syriæ ſuo tempore utebatur: *S. Matthæus*, ſcribit (*a*), *Evangelium Chriſti Hebraicis litteris verbiſque compoſuit, quod quis poſtea in Græcam tranſtulerit, non ſatis certum eſt. Porro ipſum Hebraicum habetur uſque hodie in Cæſarienſi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr ſtudioſiſſime confecit: mihi quoque a Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, deſcribendi facultas fuit*. Tradit quoque omnes Eccleſias regionis Syriæ tunc temporis legiſſe codices Septuaginta ab Origene elaboratos, & evulgatos ab Euſebio & Pamphilo: *Mediæ*, inquit (*b*), *inter has*, puta Alexandriam & Ægyptum ex parte meridionali, & Conſtantinopolim uſque Antiochiam ex ſeptentrionali *provinciæ*, quæ complectuntur Arabiam Petræam, Palæſtinam, & Syriam ex plaga orientali, *Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius, & Pamphilus vulgaverunt*. Quod ſi dixeris Antiochiam olim fuiſſe Syriæ Metropolim, idem Hieronymus tradit eo loci, in Eccleſia Antiochena celebrari verſionem Viralem, licet ex ejus verbis non certo conſtet utrum

Pam-

(a) *Lib. de Script. Eccleſ. num. 5. Tom. I. pag. 267.*
(b) *Præfat. I. in Paralip. Tom. III. pag. 685. C.*

Pamphili, aut Luciani, quod pro re noſtra nihil certe intereſt. *Conſtantinopolis, uſque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat*. Non tantum igitur rationem nullam video, quæ excitare potuiſſet Syros ad petendam vel concinnandam Apoſtolorum ævo verſionem Syriacam Veteris Teſtam., ſed inſuper multis argumentis colligitur, eos aduſque ſaltem Hieronymianam ætatem ſolam verſionem Viralem pro Scripturæ Textu fuiſſe publice uſos.

336. Neque etiam veriſimile videtur eam verſionem, cui Syri poſt certa ſecula a Chriſto nato cœperunt publice aſſueſacere, quæque *ſimplex* vocatur, ex Hebræo, & non potius ex Septuaginta Græca fuiſſe expreſſam; & id longe credibilius videtur ſi non Judæus ſed Chriſtianus fuerit illius primus Auctor. Namque pro comperto habemus verſionem Latinam non quidem ex Hebræo fonte, ſed ex virali Græca primitus hauſtam eſſe; ſatis quoque demonſtraſſe opinor num. 250. & ſeqq., eandem ab aliquo, vel aliquibus ſi non Chriſti ejus certe Apoſtolorum diſcipulo ſive diſcipulis fuiſſe elucubratam; credibilius itaque eſt quod primus Auctor Syriacæ ſe conformarit exemplo Auctoris Italæ, non quidem ex Hebræo, ſed ex eadem Græca, pro religioſo more, Syriacam concinnando. Neque putandum Auctorem Italæ pro arbitrio incubuiſſe verſioni Græcæ, ſed probabilius, quia ſibi animo occurrit uſus Synagogæ ab eodem Chriſto haud immutatus, & Eccleſiarum Orientalium ab ipſis Apoſtolis fundatarum, quæ non quidem Hebræum, ſed verſionem Septuaginta in privatis publiciſque lectionibus, necnon in liturgiarum formulis adhibebant: hæ quoque rationes, eſt facile creditu, Auctorem Syriacæ excitarint non ex Hebræo, ſed ex Græca, univerſali uſu & ſumma veneratione tunc habita, ad ſuam adornandam verſionem. Ergo (ita laqueo me capere forte putabis) Hieronymus male ſe geſſit, quum novam verſionem, quam hodie habemus, non ex Græca ſed ex Hebræo expreſſit; at ſi in memoriam revocaveris, quæ notavimus alibi, ipſe potius

tius laqueum, in quem incidiſti, declinaveris.

337. Et ſane abunde oſtendimus Hebræum Textum Veteris Teſtamenti, Græcum Novi, verſionem Viralem, & verſionem Italam Hieronymiano tempore inſignibus ſcatuiſſe ſordibus, adeout nullus penitus terebatur manibus Bibliacus codex quavis lingua deſcriptus, qui peculiares conſtuprationes non ſpiraret; heinc vir ſanctiſſimus & doctiſſimus Hieronymus ad Scripturas reparandas divinitus excitatus opus habuit, haud ad normam ſolius verſionis Septuaginta (ſicut antea fecerat) novam verſionem Latinam emendare, ſed etiam conſulere Textum Hebræum, Samaritanum, editiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Exapla Origenis, Commentaria, aliaque Scripta Veterum (*a*); quam ſane agendi rationem primus Interpres Latinus minime compulſus fuit tenere, quoniam iſtius ætate ea puritate nitebat verſio Viralis, qua ab ipſis Septuaginta interpretibus edita fuit, & ab eodem mundi Servatore noſtro Jeſu uſu ſuo adprobata, & conſecrata; & hoc non obſtante neque taliter Hieronymus ſe addixit Hebræo, ut nuſpiam ab eo diſceſſerit, immo vero pluries haud relinquere dubitavit, ſe coaptando verſioni Virali, ubi novit iſtam, vel non multum diſcrepare ab Hebræo puro, vel ſacros Interpretes nonnulla addidiſſe ob decoris gratiam, & Spiritus Sancti auctoritatem, vel ubi Hebræum ſequendo, potius carnalem quam ſpiritualem Interpretem egiſſet (*b*): Itaque religioſiſſima methodus Hieronymi minime nobis obeſt, immo perſtringit, atque damnat ſyſtema laſcivientium Criticorum, qui omnia ad normam hodierni Hebræi examinare, & probare contendunt.

338. Momenta in oppoſitum, modo expendamus, oportet. *Primum* Waltonus petit ex Gregorio Scholiaſte Syro,

Tom.II. N cujus

(a) *Legeſis conſignata cap.* 1. *num.* 126.
(b) *Hæc diſertiuſcule enucleata comperies cap.* 1. *num.* 128. & 129.

cujus nullo citato loco hæc verba refert: Interpretes illi, qui miſſi erant ab Adi, *ſive* Thaddæo Apoſtolo, & Abgaro Rege Aurhi ad Palæſtinam, traduxerunt Scripturam ab Hebraica ad Syriacam; quibus Waltonus, *in quanta vero exiſtimatione erat hæc verſio oſtendit idem Scholiaſtes pſal.* 15. *quod licet Armeni e Græco tranſtulerint*, *cum Syriaco tamen poſtea contulerunt exemplar eorum*, & *illud ſingulis in locis cum Syriaco concordare fecerunt*. *Secundum* in Bibliotheca Ducis Florentiæ extant Syriaci MSS. quorum quidam ſuperant ætatem mille annorum. *Tertium* ex lectionibus variis Keri & Ketib a Maſorethis annotatis, plane conſtat ante illorum tempora confectam eſſe Veteris Teſtam. verſionem, quum illas negligat Syrus Interpres. *Quartum* nihil probare argumentum Bellarmini erutum ex ſilentio antiquorum Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum, quum nullam Verſionis-Syriacæ mentionem faciant, quia *eodem*, inquit, *argumento probaret*, *Targumim non circa Chriſti tempora extitiſſe*, *quia earum nullus veterum meminit*, *nec Origenes*, *nec ipſe Hieronymus* . . . *addo etiam*, *Veteres Scriptores* & *Latinos* . . . *Syriacam linguam ignoraſſe*, *nec multum neceſſariam duxiſſe linguarum Orientalium cognitionem*. Hinc teſtimonio Gennadii fretus denegat Hieronymo peritiam linguæ Syriacæ; & tandem ut oſtenderet Bellarminum longe erraſſe, citat Hieronymum, Baſilium, Ambroſium, Procopium, Theodoretum, Auguſtinum &c., qui viſi ſunt meminiſſe Syriacæ verſionis.

339. Utinam & hujuſcemodi momentis pleroſque credulos Waltonus non ſeduxiſſet ad ſuam amplexandam ſententiam. Ad *primum* itaque, Gregorius Scholiaſtes adeo obſcuri nominis eſt, ut in catalogis veterum Scriptorum minime ejus mentio habeatur. Jacobus Le Long in ſplendidiſſimo ſuo catalogo Scriptorum Biblicorum minime ejuſdem Gregorii recordatur, quamquam ipſum Jacobum non latuerit; quandoquidem agens de Scriptura Syriaca MSS. quæ ſervatur

in

in Bibliotheca Bodlejana (*a*), fert, quod ad marginem aſperſæ ſint variantes lectiones præfati Gregorii. Rurſus teſtatur hunc Gregorium nomine Barhebræum Miſrianum de ſecta Jacobitarum fuiſſe: Item, Gregorius iſte, qui in catalogo MSS. Bibliothecæ S. Laurentii Florentiæ (*b*) appellatur Gregorius Barhebræus Abulfaragius, de craſſo convincitur mendacio, quoniam tradit Thomam Heracleenſem Epiſcopum Germaniciæ elucubraſſe Verſionem Syriacam, non obſtante teſtimonio ipſius Thomæ, qui tantum fatetur ſe verſionem adornatam emendaſſe: haud igitur Scholiaſtes Syrus tantæ nobis auctoritatis eſſe debet, ut quæ ex eo Waltonus exſcripſit ad fabulas non amandemus. *Ad ſecundum* pleraque equidem MSS. pro antiquiſſimis jactantur, quæ re tamen vera ſi ad criſim revocaverimus detegentur eſſe longe ſerioris ætatis (*c*); & dato quod præfata MSS. Syriaca Bibliothecæ Florentiæ reapſe tam ſint vetuſta, neque, ut modo dicam, Waltonianæ hypotheſi ſolatium præſtant.

340. *Ad tertium* nimia levitate Waltoniana conjectura laborat, quoniam ex quo verſio Syriaca non continet annotationes Maſoretharum minime eruitur, eam eſſe Maſorethis antiquiorem; ſed tantum, ut dicamus cum Riccardo (*d*): Apud Syros nullos fuiſſe Maſorethas, qui ſicut Judæi punctis vocalibus lectionem Textus determinarint; dicamus etiam hanc profecto eſſe cauſſam tantæ varietatis, quæ reperitur in Syriacis exemplaribus: *Quum*, inquit, *apud Syros nulli fuerint Maſorethæ, qui ſicut Judæi punctis vocalibus lectionem Textus determinaverunt, non mirum eſt, quod tanta ſit in illorum exemplaribus varietas*. Et tranſmiſſo tandem quod hujuſmodi verſio Maſorethas præceſſerit, neque conſequens eſt Apoſtolorum tempore editam, & ex

N 2

(a) *Codice* 3130. *Biblioth. Sac. cap.* II. *Tom.* I. *p.* 95. *col.* 2. *D.*
(b) *Qui ibi ſervatur plutina* 1. *cod.* 9.
(c) *Vide inferius dicenda* 415. *& ſeqq.*
(d) *Apud Le Long. Biblioth. cap.* II. *de Biblia Syr. p.* 93. *col.* 1. *D.*

Digitized by Google

ex tunc apud Syros lectitatam: Maſorethæ enim, ut communis fert opinio in Tiberiade laborabant circa annos Chriſti 478. vel 480., quid ergo impedit quominus ſtatuamus adſpexiſſe lucem circa quartum ſeculum, & longe poſtea, nimirum poſt Hieronymianam ætatem, in quibuſdam Syris Eccleſiis in publicum uſum receptam? Tandem haud clauſis oculis, quod de Maſorethis Recentiores Scriptores produnt, pro inconcuſſo adoptamus; legeſis quæ exponemus paragrapho tertio quinti cap., & quod verius videbitur prudenter eligas.

341. *Circa quartum*, in anteceſſum ſedulo notemus intereſt: Ven. Bellarminus (*a*), ut oſtenderet quam rite ſuam fidem denegabat Syris arbitrantibus, editionem Syriacam Novi Teſtam. a S. Marco fuiſſe traditam Eccleſiis Syriæ & Ægypti, aſſerit: ***Nullam prorſus mentionem extare apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium, Athanaſium, Theophilum, Epiphanium, Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum, Joannem Damaſcenum, alioſque Patres, qui vel in Syria, vel in Ægypto aut Epiſcopi, aut Presbyteri fuerunt, & vel de variis Scripturarum editionibus accurate diſputarunt, vel certe multa de Scripturis Sanctis poſteritati ſcripta reliquerunt.*** Quo prælibato redeamus ad Waltonum, qui jactitat tot veterum teſtimonia, vel loca protuliſſe, ut plene conſtaret *quantum a vero aberrent, qui aſſerere audent apud nullos Scriptores veteres verſionis Syriacæ mentionem ullam fieri* (*b*). Veteres enim, quos ipſe laudat, mentionem dumtaxat faciunt nonnullarum lectionum Vet. Teſtam. (*c*); Bellarminus ex diverſo, loquitur de ſilentio veterum relate ad verſionem Syriacam novi Teſtamenti: ubi igitur Waltonus falſus

(a) *Lib.* II. *de Verbo Dei cap.* IV. *col.* 77. *B.*
(b) *Proleg.* XIII. §. 17. *p.* 398. *col.*2.
(c) *Veteres a Waltono citati ſunt Baſilius, & Ambroſius memorantes Syrum ſuper Geneſim, Procopius in Exodum, Theodoretus in Jonam & in pſalmos, Chryſoſtomus in pſalmum XCIV. Auguſtinus diſſerens de annis Mathuſalem, Diodorus, Euſebius, & Melito in Geneſim.*

Digitized by Google

ſus eſt, alios perperam a vero aberraſſe criminatur. Neque ex his veteribus eruitur ſaltem Syriacam Veteris Teſtam. tunc fuiſſe publice uſitatam, quoniam ut nuper deprompſimus nulla erat neque utilitas, neque neceſſitas hujuſmodi verſionis utendæ, & e contra conceptis verbis Hieronymus teſtatur, in tota Syria ſuo tempore celebrari verſionem Græcam: ut igitur iſthæc, quæ primo intuitu diſcordare videntur, ponamus in concordiam, haud divinari exiſtimo quum dicam, idcirco præfatos veteres quandoque citaſſe Syrum quoad Vetus Teſtamentum, vel ut oſtenderent quomodo lectio illa, quam Latine vel Græce expendebant, lingua Syriaca ſonaret, vel quia nomine Syri intelligebant Hebræum (*a*), vel ad ſummum extare tunc verſionem aliquam Veteris Teſtam. Syro ſermone expreſſam, tamen apud Rectores Eccleſiarum Syriæ tam levioris auctoritatis fuiſſe, ut ad uſum publicum minime deducere exiſtimarint, contenti potius ea verſione Virali, quam a majoribus quaſi per manus acceperant; licet tamen parum, vel longe poſt Hieronymianam ætatem, ſive eadem, ſive in meliorem formam redacta, paulatim uſurpari cœperit.

342. Quod ſi ſcrupulum tibi commoverit teſtimonium Hieronymi, qui loquens de Ephrem Syro videtur, juxta intellectum Waltoni, recordari verſionis Syriacæ præſcindendo a vetere, vel novo Teſtamento, age & refer animum, ad veritatem nudam. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum (*b*) hæc habet: *Ephrem... multa Syro ſermone compoſuit, & ad tantam venit claritudinem, ut poſt lectionem Scripturarum publice in quibuſdam Eccleſiis ejus ſcripta recitentur*. Waltonus poſt verba iſta *lectionem Scripturarum*, addit de ſuo, *ideſt lingua Syriaca editarum*, ſed quam gratis, haud obſcure colligere poteris ex præfatis. Quemadmo-

(a) *Vid. num.* 313. 325. & 345.
(b) *Num.* 126. *Tom.* I. *p.* 318.

Digitized by Google

admodum apud Judæos Chaldaice loquentes intraverunt interpretationes ſcriptæ ſive Targumim, ita Chriſtiani, qui Syriace loquebantur & Textum Græcum non intelligebant, aſſuefecerunt poſt lectionem Græci recitare interpretationem Ephremi Diaconi, & magis ita accidiſſe conſtat, tum quod Diaconibus, ſive Levitis proprium erat juxta vernaculam populi expendere Textum propoſitum, ut ex num. 286., tum ut obſervat Riccardus (a), *revera videtur Ephrem ... Græcam Linguam calluiſſe, quippe qui Græcorum aliquot in primis Irenæi teſtimonia citet*, tum quod alii veteres qui Syriam incoluere nullam penitus verſionis Syriacæ mentionem faciunt, quinimo teſtantur Græcam habuiſſe in uſu. Et ipſe fateor nonnulla ſcripturæ loca Syro ſermone legi apud opera Ephremi, & Jacobi Niſibenſis, id vero non accidit, quaſi ex aliqua jam extante verſione Syriaca aſſumpſerint, bene vero, ut quemadmodum in gratiam ſuorum Gentilium ſuas operas Syriace conſcripſerunt, ita recte judicarunt eadem lingua illa exprimere; quemadmodum non pauci verbi Dei præcones in more habent, eodem ſermone V.G. Italo, quo prædicant, proferre quaſdam Scripturæ ſententias, licet minime ex verſione Itala, quam forte nuſpiam inſpexerunt, ſuſceperint.

343. Inconveniens quod a paritate Targumim deducit neque pro tantillo Bellarminum vexat, ut qui de antiquitate Paraphraſium, utrum ſcilicet confectæ fuerint ante, vel poſt Hieronymi ætatem, nullum penitus verbum habet, & e contrario excitat nos, atque compellit, ut hoc ſuo argumento multo fortius ipſum pervellamus. Etenim ſi cauſſa probandi antiquitatem Syriacæ aſſumit teſtimonia, vel citat loca multorum Veterum Scriptorum tam Græcorum quam Latinorum, quomodo eadem in pagella dicere audet: *veteres Scriptores Græcos & Latinos .. Syriacam linguam ignoraſſe?*

(a) *Cit. lib.* II. *cap.* XIII. *p.* 80.

raſſe? Si oſtendendæ antiquitatis Syriacæ provocat ad veteres Scriptores Græcos & Latinos, quomodo poſtea iſtorum ſilentium ſpernit, quum alibi acriter defendit antiquitatem Targumim? ſi nemo veterum omnium & Recentiorum, ut Hieronymus in Libro quem inſcripſit de Nominibus Hebraicis, diligentiſſime notavit omnes voces, Syriacas ab Evangeliſtis *Hebraice* vocatas; ſi Syriam incoluit, quomodo non veretur deſponſare purum putum commentum Gennadii, aſſerentis: *Hieronymum linguæ Syriacæ ignarum fuiſſe* (*a*)?

344. Ut vero exactius, quod in præſentia tenet nos, exponatur, Pocockius (*b*) fatur, Thomam Heracleenſem concinnaſſe Syriacam verſionem; ſed Euſebius Renaudot (*c*) dicit, præfatum Heracleenſem ſecta Jacobitam, vel Dioſcorianum, qui florebat ſeculo VII., nullo modo fuiſſe alicujus verſionis Auctorem, ſed dumtaxat in corrigenda verſione Syriaca, juxta vetuſtos & Græcos codices, qui ſervabantur in Monaſterio S. Antonii Ægypti, operam impendiſſe, unde habetur verſio Syriaca, quæ nuncupatur Editio Heracleenſis: quodque ſatius evincitur commentum Pocockii ex Catalogo MSS. ſervato in Bibliotheca S. Laurentii Florentiæ, cujus verba huc attinentia exſcribit Le

Long

(a) *Vide benevole lector, quem te vellem veritatis & pietatis amatorem, quam mirabiliter Hæreticus iſte cæteroquin jugis lectionis, & eruditus, ſuas inter indigeſtas ſcrutationes hallucinatur, proſternitur, & volvitur.* Abſque Chriſto, *veram tot tenebrarum cauſſam jamdudum indicavit percelebris S. Hieronymus in Cap. II. Iſaiæ Tom. IV. p.* 41., nec ſapiens quis eſſe poteſt, nec intelligens, nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus: *tuum itaque eſto judicium; quam graviter detrahant veritati Religionis orthodoxæ, & Reipublicæ literariæ qui deſponſatis Waltonianis contradictionibus, ſuis quoque publicis ſcriptis eas inſeruerint, pro veris & inconcuſſis venditantes; qui poſthabitis Auctoribus Catholicis petunt inſtrui & inſtitui a Judæis, ab Hæreticis, a pſeudo-Catholicis a doctrina Romanæ Sedis aberrantibus, ſicque docentibus abſque Chriſto; & conſequenter nec ſapientes ſunt, nec intelligentes, nec conſiliarii, nec fortes, nec eruditi.*

(b) *In Præfat. Gener. Comment. in Joelem.*

(c) *Apud Le Long Biblioth. Sac. Cap.* II. *Sect.* III. *p.* 93. *col.* 1. *A.*

Digitized by Google

Long citatus (*a*). Maſius (*b*) vult verſionem Syriacam Vet. Teſtamenti, quam dicit fuiſſe ex Hebræo concinnatam a Theodoro Syro, in more eſſe apud Eccleſias Syrorum omnium, ut quæ præ cæteris authentica; ſed *aberravit ſane*, inquit idem Renaudot (*c*), *Maſius; hic quippe Theodorus . . . eſt Epiſcopus Mopſueſtenus, Interpres per* antonomaſiam *dictus, non quod ſacras tranſtulerit litteras, ſed quod eas commentariis ſuis expoſuerit. A Neſtorianis inter Patres Græcos numeratur*. Celeber atque florens Aſſemanus Maronita (*d*) conjicit totam Sacram Scripturam, vel illius partem, e Græco in Syriacum fuiſſe redditam a Jacobo Epiſcopo Edeſſeno cognomento Commentatore: *id enim*, inquit, *Syrorum complures præſtitere, ut Philoxenus Mabugenſis, Thomas Heracleenſis, & Mar Abba Chaldæus;* quam adverſus conjecturam tam dicta, ut ipſe vides, quam dicenda militant. Dominicus Gravina (*e*): *Dicendum ergo eſt cum aliis . . . nec quando & a quo fuerit translatio*, ſubaudi Syriaca, *facta, determinate ſciri poſſet . . . eſſe tamen poſteriorem ætate Hieronymi . . . . veriſimile putat Bellarminus*.

345. Clariſſimum Gotti comperio, qui viſus eſt præ cæteris rem acu tangere, utpote qui minime contentus teſtimonio Syrorum, de quibus ait: *quidquid dicunt Syri inter incerta videtur rejiciendum*, cenſet auctoritate aquilini D. S. Auguſtini: Syriacam Veteris Teſtam. elucubratam fuiſſe ab aliquo docto Chriſtiano, & quidem valde ipſo Auguſtino antiquiore: *Quis autem*, habet (*f*) *revera fuerit hujus verſionis Auctor, nullus uſquemodo certo invenire valuit. Quoad verſio-*

(a) *Pag.* 100. *col.* 1. *A.*
(b) *In proœm. Comment. Bar Cephæ de Paradiſo.*
(c) *In ſuis obſervationibus, quas miſit Jacobo Le Long hæc teſtanti loc. cit. p.* 95. *col.* 1. *D.*
(d) *Pag.* 493. *Bibliothecæ Orientalis.*
(e) *Catholic. Præſcript. Controv. IX. ar. un. p.* 291. *col.* 2.
(f) *De Verit. Relig. Chriſt. Cap.* III. §. III. *n.* XXI. *p.* 68.

verſionem Vet. Teſt. nihil aliud ſtatui poteſt, niſi quod facta fuerit ab aliquo docto Chriſtiano viro, ut vidimus ex Auguſtino (a). *Vir autem iſte doctus Auctor verſionis Syriacæ quum etiam tempore Auguſtini eſſet ignotus, argumento eſt, eum valde antiquum fuiſſe*. Verum ſi quod præjudicium non me tenuerit, bona tanti viri pace, opinor Auguſtinum datis verbis minime intellexiſſe Auctorem Syriacæ, bene vero indicaſſe doctum illum Chriſtianum Syrum, a quo olim S. Baſilius audiverat expoſitionem hujus loci; *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, lingua Syriaca ſonare, *Spiritus Domini fovebat aquas*. En Baſilii verba (*b*): *Quomodo hic Spiritus aquis ſuperferebatur? dicam tibi non meum ſermonem, ſed viri cujuſdam genere Syri, qui tantum aberat a ſapientia ſeculi quantum veræ doctrinæ proximus habebatur... dicebat enim Syrorum vocem facundiorem eſſe, & propter Hebraicæ linguæ cognitionem, Scripturarum magis ſermonibus intuliſſe. Senſus itaque dicti illius hoc modo eſt*. Superferebatur Spiritus, *hoc eſt*, fovebat, & vivificabat. Hucuſque Baſilius. Si interrogaveris de docto iſto Chriſtiano Syro, reſpondeo eſſe S. Ephremum natione Syrum, ſanctitate doctrinaque clarum, & tandem D. Baſilio loco nŏn longe diſſitum, ſicut & ætate coævum (*c*). Jam vero nuper expoſuimus S. Ephremum haud Scripturas Syro ſermone tranſtuliſſe, ſed unice Commentariis Syriacis illuſtraſſe: quodque ſatius colligitur ex hoc Baſiliano loco. Si Ephrem elucubraſſet Syriacam verſionem, minime Baſilius re-

(a) *Nimirum num.* XVII. *cit. paragraphi ubi profert hanc Auguſtini ſententiam ex Lib.*I. *De Gen. ad litt. cap.*XVIII. Illud, quod per Græcam & Latinam linguam dictum eſt de Spiritu Dei, quod ſuperferebatur ſuper aquas, ſecundum Syræ linguæ intellectum, quæ vicina eſt Hebrææ (nam hoc a quodam docto Chriſtiano Syro fertur expoſitum) non ſuperferebatur, ſed fovebat potius intelligi perhibetur.

(b) *Exam. lib.* II. *p.* 1052. *col.* 2. *B.*

(c) *S. Ephrem cognomento Doctor Syrorum, obiit anno Chriſti* 379. *S. Baſilius Epiſcopus Cæſareæ in Palæſtina ſive in Syria eodem anno* 379. *extremum diem vidit.*

Digitized by Google

retuliſſet verba , quæ ex ore Ephremi auſcultarat : *Dicebat* , & iterum , *ſenſus enim dicti illius* , ſed quæ legiſset in verſione ab Ephremo, ſive ab alio mandata litteris: ut quid enim uti potius teſtimonio vocis, cui non facile adhibetur fides, & non ſcripti majorem apud omnes ſemper auctoritatem præſeferentis? Si Baſiliano tempore verſio Syriaca extitiſſet, cur in ſua Cæſarienſi Eccleſia, ad ejuſdem Syriæ regionem ſpectante , Græcam viralem & non Syriacam conſecravit? cur Græcam & non Syriacam Commentariis expoſuit? Ultraquamquod ubi doctus ille Syrus verba iſta *fovebat*, *vivificabat* referebat ad ſermonem Syrum, Hieronymus tribuit ſermoni Hebraico (*a*), ideoque momenta ex iſta voce & conſimilibus petita, minime concludunt exiſtentiam verſionis Syriacæ ante Hieronymum. Facta igitur collatione inter verba Auguſtini & Baſilii, ſicut meridiana luce affulget, Auguſtinum ſeſe coaptaſſe Baſilio, ita hæc Auguſtini intercalaria: *nam hoc a quodam docto Chriſtiano Syro fertur expoſitum*, argumento minime ſunt, verſionem Syriacam fuiſſe editam ab aliquo docto Chriſtiano Syro , ipſo Auguſtino valde antiquiore; ſed dumtaxat quod illud *ferebatur* poſitum a Septuaginta ſenioribus , quidam doctus Chriſtianus Syrus, D. Baſilio teſte, expoſuit *fovebat*.

346. PROPIUS AD SYRIACÆ INTEGRITATEM, quam quorſum Waltonus periclitatus fuerit extollere, cuique perſpectum faciunt ſequentia ipſius verba: *Quod*, inquit (*b*), *de Judæorum paraphraſibus Chaldaicis diximus*, *multo magis de Chaldaica ſive Syriaca Chriſtianorum verſione dicendum*, *maxime de antiqua ſive ſimplici : ut in ſpeculo faciem nativam Textuum originalium ſine fuco oſtendit*, *ſic eorundem integritatem teſtimonio ſuo confirmat*. Quibus majorem, ni fallor, integritatem & auctoritatem huic tribue-

re

(a) Pro eo quod in noſtris codicibus ſcriptum eſt *ferebatur* ; in HEBRÆO habet *Merahefet*, quod nos adpellare poſſumus *incubabat*, ſive *confovebat*. *Hieron. de Quæſt. Hebraicis Tom.* III. *p.* 853. C.

(b) *Proleg.* XIII. §. 20. *p.* 399. *col.* 2.

re videtur, quam verſioni Virali, & Vulgatæ correctæ, quum hujuſmodi epithetum ſpeculi nativam faciem originalium oſtendentis, neutri vel per umbram adaptarit. Sed ut ſummatim deprehendas quam perfunctorie hance ſtropham confinxerit, jam ex præfatis habes verſionem Syriacam, eam etiam quæ ſimplex vocatur, non ante ſed vix, ſi verum eſt, circa Hieronymianam ætatem confectam fuiſſe, & per conſequens erutam ab originalibus paſſim corruptelas ſpirantibus; quoniam, ut alibi diximus (a), circa initium ſecundi ſeculi Judæi in ſacros codices Hebræi Textus, & Viralis verſionis impias manus injecerunt; igitur qua lege Syriaca ſimplex eruta ex Apographis depravatis poſſit nativam faciem originalium oſtendere, viri quique docti ferant judicium. Hoc momentum meum non eſt, ſed ipſius Waltoni, aliorumque Criticorum, qui ut nos perſtringerent ad aſſerendum, fontes haud corruptos eſſe ante Hieronymum, paſſim objectant dicentes: ſi ante Hieronymi tempora Hebræus fons corruptus fuiſſet, proculdubio iſtius corruptelæ in Hieronymianam verſionem transfuſæ fuiſſent (b). Neque reddas mihi vices, utendo reſponſione quam eo loci ipſe conſignavi, quoniam quis fuerit primus Auctor Syriacæ, utrum Chriſtianus vel Judæus, utrum Catholicus vel Hæreticus, utrum doctus vel imperitus de rebus potiſſimum Theologicis, nos penitus latet; & conſequenter nullum nobis momentum ſuppetit, ut quæ Hieronymo ibi rite tribuimus, adaptare quoque valeamus primo interpreti Syriacæ verſionis.

347. Præterea ſi ad voluntatem Waltoni Syriaca ſimplex, quam in ſua Polyglotta deſcripſiſſe jactitat, oſtendet ut in ſpeculo nativam faciem Textuum originalium plane erravit; quum eidem tantam non tribuerit authentiam, quantam haberent Archetypa ipſa Prophetarum, & Apo-

(a) *Cap.* I. *num.* 117. & 118.
(b) *Vide cap.* I. *n.* 124.

& Apoſtolorum ſi modo adeſſent. Erravit quoque, dum tam impenſe monet alios ad diſpicienda pleraque exemplaria fontium, Occidentalium & Orientalium verſionum, Commentariorum veterum, antiquiſſimorum MSS. &c. ad hoc ut valeamus examinare, & probare genuinam aliquam lectionem Vulgatæ; quemadmodum otioſi & imprudentis eſt ſummis laboribus, vigiliis, & expenſis quærere id, quod hiſce prætermiſſis faciliter obtineri poteſt, vel inter tenebras vultum alicujus inquirere, quum ſpeculum præſto ſit, quodque nativam faciem illius fideliter repræſentet: ſatis foret ſola inſpectio Syriacæ, ut ipſiſſimam lectionem a ſacris Scriptoribus conſignatam facile, & ſecure inveniremus. Erraviſſent quoque Origenes, Hieronymus, quum non ſolum Syriacam prætermiſerint, ſi vere tunc extitiſſet, ſed nec pro noſtro ſolatio meminiſſe dignati fuiſſent. Magis tamen Waltoni inconſtantiam comperies, ſi ad lancem adpenderimus hæc alia illius verba, quæ eo loci habet (*a*): *Non negandum tamen, aliquando in verſione Syriaca verba quædam deficere..., aliquando redundare..., & ex Librarii plerumque errore, hoc explanationis gratia paraphraſtice*. Si verſio Syriaca ipſo teſte ab originalibus aliquando deficit, aliquando exundat, & interdum pergit more Paraphraſis, quomodo eorundem faciem non utcunque, ſed *nativam* oſtendet? nativam forte faciem Autographi repræſentabit exemplar illud, quod ab eo modo deficit, modo exundat, modo circa alia exſpatiatur? Item, vitia, quæ eſſe agnoſcit in verſione Syriaca, haud leviora iis ſunt, quæ in verſione Græca ineſſe affirmat; aut igitur hæc impediunt ne verſio Viralis dicatur oſtendere faciem nativam Hebræi Textus, aut non? ſi primum, ergo nec Syriaca oſtendet faciem nativam originalium; ſi ſecundum, eccur hujuſmodi encomium verſioni quoque Septuaginta non concedit? Item, detrahit Vulgatæ noſtræ, perperam putans, in plurimis diſcordare a fontibus

per

(a) §. *penul. p.* 400. *col.* 2.

Digitized by Google

per additionem, per omiſſionem, & per tranſpoſitionem (a); quis heinc non miretur quum modo, ut extolleret auctoritatem Syriacæ, non obſtantibus eiſdem ſordibus immo craſſioribus, vult, Syriacam oſtendere nativam faciem originalium? Renuit plene parere Vulgatæ, quia ipſius Auctor fuit errori obnoxius, & quia non ipſa Prophetarum & Apoſtolorum verba ea exhibet: modo tametſi neque Interpres Syriacæ fuerit ab errore immunis & forte tam parvæ auctoritatis, ut nequidem mereatur exoſculari veſtigia triumviralis S. Hieronymi, ad quem unice Vulgatam noſtram ſuo loco referemus; tametſi neque Prophetarum & Apoſtolorum verba verſio Syriaca præſeferat (b), adhuc ei lubet hanc præferre translationibus vetuſtis, ut ſunt verſio Græca & Latina, ſubdens (c): *Hebræum enim & Græcum Syriaca ſequitur, quos magis exacte refert, quam ulla ex vetuſtis translationibus*. Minime per ipſum Hieronymiana verſio repræſentat ut in ſpeculo nativam faciem originalium, tametſi nobis certo conſtet de eximia doctrina & ſanctitate Auctoris, de tempore quo edita fuit, & de perpetuo uſu ad quem Eccleſia retulit: modo allegatum epithetum ſpeculi appingere non dubitat verſioni Syriacæ, quamvis nihil certi habeamus de iſta, neque ſcilicet quoad tempus, neque quoad Auctorem ejuſque qualitates, neque quoad uſum, neque quoad exemplaria ex quibus fuit expreſſa: quandoquidem exceptis quibuſdam ſubobſcuris monumentis unius

(a) *Proleg. X. §. 9.*

(b) *Quod verificatur etiam de iis Apoſtolis, qui dicuntur aliquos Libros, quos pro Canonicis habemus, ſermone Syriaco ſcripſiſſe, quoniam ut obſervat Simonius lib. I. Hiſt. Crit. Vet. Teſt. cap. XV. p. 79.* Eſt tamen aliquod diſcrimen inter Syrum idioma, quo Chriſti ævo Hieroſolymitani utebantur, & Syrum quod ſic hodie vocamus, & in uſu erat in Syria antequam illam Omar tertius Calipha armis occupaſſet. Deinde iſthæc lingua in plures alias dialectos dividi adhuc poteſt, tum quoad pronunciationem, tum quoad phraſeologias. Neſtoriani V. G. qui Babylonem incolunt, aut qui per Indias ſparſi, ſuos in ea lingua accuratius, & elegantius Libros ſcriptos habent, quam Jacobitæ aut Maronitæ. Videſis n. 461.

(c) *Loc. cit. p. 399. col. 2.*

Digitized by Google

unius, vel alterius probati veteris, cæterum omnia noſticulæ ſunt, quas pro laternis turba Criticorum hodie venditat. Is itaque, cui veritas placebit, de Waltoniana doctrina, quam plerique Recentiores adoptarunt, ferat judicium.

348. Cæterum demus, verſionem Syriacam a primis Eccleſiæ ſeculis adſpexiſſe lucem, a ſuo primo Auctore tanta ſinceritate & integritate editam, ut in ſpeculo faciem nativam Archetyporum repræſentaret, ex eo jam tempore publice in Eccleſiis Syris lectitatam, & tandem a veteribus expoſitam, quid tum ſi forte hodierna eandem antiquam puritatem ſpirabit, adeout integritatem fontium, quos hodie habemus, teſtimonio ſuo, quemadmodum arridet Waltono, tuto confirmet? Non me, quippe qui imperitus linguarum, ſed eos velim audias, qui licet defectu exacti criterii, quod ſervare prætererunt magis vel minus quoad antiquitatem Syriacæ concordent. cum Waltono, aliter tamen ſentire videntur de integritate hodiernæ, & eo magis quod validius ſemper evadat ab adverſariis teſtimonium. Cornelius a Lapide (*a*): *Ephrem*, inquit, *Syrus, qui Syriace ſcripſit, aliter citat ſententias, quam modo habeantur in verſione Syriaca*: & quatuor exemplis hujuſmodi diſcrepantiæ prolatis, ſubdit: *plura talia ibidem & alibi habet S. Ephrem diverſa a moderna Syriaca, quæ plane arguunt ipſum alia antiquiore verſione Syriaca eſſe uſum*. Andreas Mullerus affirmare non fuit auſus, hodiernam Syriacam eam eſſe, quam Veteres commentati ſunt. *Damus*, inquit (*b*), *ſane antiquiſſimis temporibus lectos eſſe ſacros* Libros, *ſed noſtros eſſe, in quos e.g. Jacobus Syrus Niſibenſis, & Ephrem commentatus eſt; vel eos, quos Græci Latinique Patres citant, equidem non auſim affirmare, uti Waltonus facit*. Iſaac

Voſ-

(a) *Proleg. in Eccleſiaſticum cap.* III. *p.* 23. *col.* 2. E.

(b) *In Diſſert. De Syriacis Librorum Sacr. verſion. p.* 26. 27. 28. *apud Le Long cit. p.* 94. *col.* 1. *A.*

Digitized by Google

Voſſius (*a*): *Si quis loca, quæ a prædictis PP.*, nimirum Theodoreto, Chryſoſtomo, aliiſque *adducuntur, committat cum hodierna verſione Syriaca, plurimum illam a veteri diſcrepare inveniet. Hinc clarum fit, diverſis temporibus, diverſas quoque apud Syros extitiſſe verſiones. Hodiernum quod vulgo legitur exemplar vix puto quinque, aut ſex ſeculis eſſe antiquius.* Riccardus Simonius (*b*): *Exemplar illud verſionis Syriacæ* in Polyglotta Pariſienſi *ex Hebræo contextu ſumptum eſt, & quibuſdam in locis ad Græcum LXX. reformatum; itaut non omnino exhibeat antiquam illam verſionem, quam Syri ſimplicem appellavere.* Item (*c*): *Profecto inconſtantiſſima eſt hæc verſio, ut ut ad Hebræum exacta exiſtimatur, qualis quidem in Polyglotta Anglicana extat. Plurimum a primæva ſua ſimplicitate degeneravit, ac tantum abeſt ut aliarum editionum norma eſſe debeat, ut in codicibus Syris hodiernis nil niſi confuſio & perturbatio reperiatur.* Hujus tamen perturbationis cauſſam hiſce verbis antea (*d*) indicarat: *Poſtremo quod male adeo Veteris Teſtam. Syriaca verſio ſibi conſtet, incuſanda hac in parte nimia Syrorum in emendandis pro arbitrio codicibus ſuis, & alicubi ſuarum aliarum verſionum ad Septuaginta editionem exactarum ſenſum præferendo libertas, itaut abſque ullo judicio, neſcio, quam verſionum commixtionem ediderint.* Bellarminus (*e*): *Quod ſi editio Syriaca ætate horum PP. poſterior eſt, ut ego quidem mibi certo perſuadeo, non poteſt ejus auctoritas tanta eſſe, ut cum editione Græca, aut Latina merito comparari poſſit, ut interim illud omittam, quod non deſunt etiam quædam in ea editione, quæ viris doctis, & piis non admodum placeant.* Ut alios tandem miſſos faciam, Vincentius Gotti (*f*): *Verſio Syriaca Novi Teſtamenti . . . quo tem-*

(a) *Cap.* XXVIII. *Diſſert. de Septuag. Interpr. p.* 89. & 90.
(b) *Apud Le Long cit. p.* 103. *col.* 1. C.
(c) *Lib.* III. *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. cap.* XXIV. *p.* 123.
(d) *Lib.* II. *cap.* XVI. *p.* 82.
(e) *Lib.* II. *de Verbo Dei cap.* IV. *col.* 77. C.
(f) *Nuper cit. n.* XXII. *p.* 69.

tempore prodierit certo ſciri non poteſt, *ſicut nec an verſio Syriaca*, *quam hodie in Polyglottis habemus*, *ſit eadem ac illa*, *quæ primo edita fuit*, *& in antiqua Eccleſia recepta*. Quod ſi poſtea* tot Recentiorum calculo patet hodiernam Syriacam, nec cum ea concordare, qua veteres uſi ſunt, immo confuſionem nonniſi ſpirat & rerum perturbationem, prudens lector definiat, quanti auctoritas hodiernæ Syriacæ æſtimanda veniat.

349. Potiſſimum momentum, quo auctoritatem hodiernæ Syriacæ Waltonus commendat, exponamus oportet. *Generaliter*, inquit (*a*), *hæc verſio* (Syriaca) *cum Hebræo convenit*, *etiam ubi Vulgata Latina*, *vel aliæ verſiones ab Hebræo diſcrepant . . . quod plane oſtendit Hebraicos codices ita olim habuiſſe quum facta fuerat hæc verſio:* itaque ex convenientia, quam reperiri teſtatur inter Hebræum, & verſionem Syriacam, argumentatur integritatem & auctoritatem utriuſque. Aſt hujuſmodi argumentationem omni vi deſtitutam agnoverimus, ſi obſervetur allegatam convenientiam profectam fuiſſe, non quidem ex ipſiſmet veteribus codicibus Hebraicis & Syriacis (*b*), ſed ab eodem Waltono aliiſque immoderatis Criticis, qui ut majorem auctoritatem eiſdem conciliarent, ſicque validius traducerent Vulgatam Latinam paſſim ab hodierno Hebræo diſſentientem, præfatæ impoſturæ introducendæ magnopere inſudarunt: eo ferme pacto quo pervicaces Judæi ut Regem gloriæ crucifigerent, & triumphum Reſurrectionis ejuſdem infuſcarent, minime dubitarunt eos teſtes afferre in medium ſtudio probandi adinventas calumnias, & blaſphemias, quos antea corruperant pecunia. Et quantum ad præſens attinet minime aliis indigemus, ipſius Waltoni conatus, quæ nobis inſervient; abunde ſuppeditant, commonſtrantque, Waltonus itaque

(a) *Prolegom.* XIII. §. *penult. p.* 400. *col.* 1.

(b) *Si Critici religioſiſſima fide typis mandaſſent manuſcripta Textuum & verſionum ſicuti fuerunt ipſis tradita, nimia diſcordantia compugnarent ad invicem*, *uti dicemus n.* 471.

que (*a*) inſimulata Syriaca verſione edita in Polyglottis Pariſienſibus a Gabriele Sionita, (in quantum multi & graves defectus in ea occurrunt, partim ex lacunoſis MSS. quibus dicit Sionitam fuiſſe uſum, partim ex confidentia qua ex proprio ingenio Sionita multa ſupplevit, aut non correxit) jactabundus pergit, affirmans ſe omnibus præfatis defectibus in Polyglotta Londinenſi providiſſe, quia nimirum non ex propriis conjecturis, ſed ſecundum antiquiſſima exemplaria MSS., ab Uſſerio, Pocockio, aliiſque id genus Neotericis accepta, quæ deficiebant in Syriaca Pariſienſi in ſua Londinenſi ſuppleverit, reſtituerit depravata, additis quoque integris verſiculis, capitulis, immo Libris Scripturarum, qui ante ipſum nullimode Syro ſermone viderant lucem. Quo prælibato procedit extollere Syriacam, confidenter aſſerens convenientiam hujus cum Hebræo, & quod magis admirationi eſt, non veretur adjicere paragrapho penultimo: *facile cuivis conſtare poſſet* (hujuſmodi convenientia) *qui Biblia noſtra leget, & Textum* (Hebræum) *cum hac verſione conferet*. Vide ergo quo decipuloſa hominis iſtius cura progreſſa fuerit! Ipſe præ aliis digeſſit nobis convenientiam inter Hebræum & Syriacam (*b*), & poſtea vult, ut hujuſmodi convenientia nobis ſit teſtimonio ad concedendam auctoritatem tam Hebræi, quam Syriacæ hodiernæ: ſi hujuſmodi momentum, quo plerique Recentiorum etiam utuntur, alicujus eſt ponderis, quique eruditi videant.

350. Neque Waltoni dicteria, in gratiam Syriacæ verſionis evulgata, hic finem habent. Licet ex adſerta convenientia Syriacæ, ſive alterius verſionis cum Hebræo, eruat in-

(a) *Proleg. cit.* §. 8. *p.* 394. *col.* 1.

(b) *Non inficiamur, in Syriaca verſione Waltonum etiam reliquiſſe nonnulla quæ diſcordant ab Hebræo hodierno, ut Gen.* IV. *v.* 8. VI. *v.* 3. VIII. *v.* 7. *Exodi* XII. *v.* 40. *Deuteron.* XXVII. *v. ultimo. Sed cauſſam, qua Waltonus coactus fuit talem relinquere diſcrepantiam, is facile intelliget, qui recordatur hujus fabulantium regulæ, miſcendi ſcilicet falſa veris, ut ſic fabula veriſimilitudinis ſpeciem præſeferat.

tegritatem hodierni Hebræi adverſus Vulgatam aliter habentem; prohibet tamen ut ex diſcordantia verſionum ab Hebræo corruptionem Hebræi inferamus. *Hæc vero* (ſubaudi differentim Syriacæ ab Hebræo, &) *cum aliis verſionibus harmonia, non arguit Hebraici Textus depravationem vel corruptionem, prout arguunt Epicurei & Athei, ſed variantem tantum codicum antiquorum lectionem, videlicet Interpretes illos aliter legiſſe in codicibus, quos ſequuti ſunt; idque in rebus levioribus, quæ ad fidem & mores non ſpectant, quam legunt codices Hebræi hodierni* (a). Annon iſta manifeſtiſſime produnt, Waltonum ejuſque aſſentatores omnia pro arbitrio definire? Si convenientia verſionum cum Hebræo hodierno eſt cauſſa ut inferant, potius Vulgatam eſſe vitioſam quam Hebræum, cur poſtea differentia earundem cum Hebræo & harmonia cum Vulgata argumento non erit, ut inferamus potius Hebræum, quam Vulgatam ſcatere vitiis? ſi per ipſos, ex quo verſio Syriaca convenit cum Hebræo circa locum Gen. III. v. 15. *Ipſe*, vel *Ipſum conteret caput tuum*, dicunt, eſt error in Vulgata habente *ipſa*, ut quid poſtea renuunt concedere Hebræum complecti vitium, quum Geneſeos IV. v. 8. nullimode habet *Egrediamur foras*, quæ lectio non tantum in Vulgata, ſed etiam in Syriaca, in verſione Septuaginta, & in Targumim legitur? Quo quidem evidentis incohærentiæ vitio minime nos laboramus, quum ſentimus, atque tenemus, neque convenientiam, neque diſcrepantiam Orientalium verſionum ab Hebræo, vel a Vulgata correcta ſatis oſtendere integritatem, aut corruptionem ejuſdem Hebræi, vel Vulgatæ Latinæ; quoniam excepto ſolo exemplari Vulgatæ veteris, cæteri Bibliaci Contextus, qui hodie circumferuntur, quoad effectum ſtabiliendi germanam & canonicam SS. Scripturarum lectionem, nonniſi incertitudinem & confuſionem pariunt, propter defectus provenientes, tum ex hodierna linguarum imperi-

tia

(a) *Proleg. cit.* §. *penult. p.* 400. *col.* 1.

Digitized by Google

tia, tum ex ipſis Bibliacis codicibus, tum tandem ex ipſis Criticis (a). Ea de re nec convenientia Hebræi cum Syriaca, vel quovis alio Bibliaco Contextu probat legendum fore *Ipſe* vel *ipſum*, neque diſcrepantia Syriacæ ſive alterius verſionis ab Hebræo, probat vel reprobat hanc lectionem Vulgatæ *Egrediamur foras:* ſiquidem idcirco in priori loco cum Vulgata legendum eſt *ipſa*, quià ab Apoſtolorum temporibus (quum nimirum ex immaculata verſione Septuaginta ortum duxit Latina verſio) uſque hodie ita ſemper Eccleſia legit; ſicut etiam pro authentica & divina agnoſcimus lectionem *Egrediamur foras*, non tantum quia Syriaca, ſive alia Orientalis verſio eam referunt, ſed primo & potiſſimum, quia Eccleſia ſemper conſecravit, quemadmodum haud pauci Eccleſiæ Patres (b) amico voto ſuffragantur (c).

351. *Prout*, ſubdit Waltonus, *argumentantur Epicurei & Athei*: at ubi? quandonam Epicurei & Athei ſomniarunt præfatum argumentum adverſus Judæos, vel Chriſtianos proferre? Nuſpiam Deiſtæ viſi ſunt accuſare Hebræum fontem, ut alicui verſioni auctoritatem conciliarent; quoniam eorundem ſyſtema, ut cuique de rebus eruditis inſtructo innoteſcit, eſt audacter inficiari exiſtentiam & auctoritatem divinarum Scripturarum, tam apud fontes, quam apud omnes verſiones, ſe ſe proteſtantes nullis adſtringi legibus Scripturæ quocunque ſermone conſcriptæ. Porro licet Waltonus aliique Critici non denegent cum Deiſtis exiſtentiam, & auctoritatem Scripturarum, ſi tamen ſummatim ſpectemus eorundem ſyſtema, plane Deiſtis vires addunt, *primo* quia nullum penitus exemplar Scripturæ agnoſcunt pro immaculato & integro; *ſecundo* eas tantum Scriptura-

 rum

(a) *De hujuſmodi deſectibus agemus cap. ſequenti* §. III. IV. *&* V.

(b) *S. Ephrem in cap.* IV. *Gen. Tom.* I. *p.* 41. *D. S. Cyrillus Alexand. cit. antea n.* 283. *S. Hieronymus in cap.* XLIX. *Iſaiæ Tom.* IV. *p.* 195. *G. S. Ambroſius Lib.* XI. *de Abel & Cain cap.* VIII. *Tom.* I. *p.* 159. *D.*

(c) *Conſuleſis quæ exponemus num.* 432. *& ſeqq.* 482. *& ſeqq.*

rum oracula eſſe volunt authentica, quæ pertinent ad fidem & mores; *tertio* nullam ferme lectionem Scripturæ dimittunt ſine dubiis attinentibus ad germanitatem ejuſdem; tandem propter alias rationes, de quibus agimus præſenti Demonſtratione (*a*). Nos e contra quum ſolam Vulgatam a S. Sede perpolitam tanquam integrum authenticumque divinæ Scripturæ exemplar Deiſtis proferemus, opus eſt, conticeſcant. Non enim nobis ut noſtris adverſariis opponere valent varietatem Bibliorum, interpretum, & interpretationum; quoniam ſicut ſolum & unicum Vulgatæ correctæ exemplar agnoſcimus pro verbo Dei integro & authentico, cæteros autem Contextus fontium & verſionum quoad eas tantummodo partes adoptamus, ſecundum quas eidem Vulgatæ multipliciter ſuffragantur, & nullimode refragantur; ita ſi quam varietatem inter Vulgatam & alios Contextus rite objectaverint, nihil penitus obſtabit nobis: & per conſequens in illud abſurdum, de quo vitando Waltonus monet alios, ipſe ipſiuſque ſectatores reapſe incurrunt.

352. Ad illud tandem: *ſed variantem tantum* (arguit) *codicum antiquorum lectionem, videlicet Interpretes illos aliter legiſſe in codicibus, quos ſequuti ſunt*, ſane ad præfocandum potius inſervit ſuum Auctorem. Namque ſi ad voluntatem Waltoni veteres codices variabant, multo magis variabunt hodierni, quod etiam ipſemet alibi obſervavit inquiens (*b*): *Codices, quo antiquiores eo primis Autographis propiores, & per pauciores deſcriptiones a primis fontibus derivantur: quo enim ſæpius unum ex altero exemplar deſcribitur, eo facilius errata irrepere poſſunt:* quod ſi poſtea hodierni codices magis variant, multo minus veteribus poterunt nos tutos reddere de una definita lectione: rurſus ſi de certa ac individua lectione non tuto ca-

(a) *Apud num.* 100. 174. 383. *& ſeqq.* 430. 459. 466. 518. *& alibi.*
(b) *Proleg.* VI. §. 6. *p.* 273. *col.* 1.

cavent nobis, unde poſtea ex iſtis tantam certitudinem ipſe aſſumit, ut pro explorato tradat integritatem fontium hodiernorum, & ſecure accuſet Vulgatam de vitiis, ex quo non congruit variantibus hodiernorum codicum lectionibus? Recole etiam, quæ diximus cap. I. hujus Demonſtrationis, non ex ſola variante codicum antiquorum lectione Hebræum hodiernum ſcatere ſordibus, ſed quoque dolo & Judæorum malitia: ubi quoque ſolutum pariter tenes hoc ultimum, *idque in rebus levioribus, quæ ad fidem & mores non ſpectant*, quoniam multipliciter ibi deprompſimus, non omnia hodierni Hebræi vitia conſiſtere in levioribus mendis atque labeculis, ſed inſuper in rebus gravioribus, fidei, & morum (a).

353. Neque arbitreris velim in rebus levioris momenti Syriacam abundare vitiis, ab ea enim abſunt notabiles Sacræ Scripturæ partes, nimirum duæ Epiſtolæ Joannis ideſt II., & III., Secunda Petri, una Judæ, Apocalypſis, Hiſtoria mulieris adulteræ, verſiculum illud: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo &c.* Et quamvis ſtudio exaltandi Orientales verſiones ſupra Vulgatam Latinam, e caſtris Hæreticorum in aciem prodierit Elias Hutterus, qui Syriaco iſta donavit, quanti autem ſit hujuſmodi Hutteriana verſio facienda, qualiſve ſit auctoritatis ſatis habeo dicere: nulli Catholicorum licere ſine ſpeciali Sanctæ Romanæ Inquiſitionis facultate, vel ludendi cauſa eam legere. Rurſus pleraque obſervant viri de Romana Eccleſia optime meriti in Syriaca contineri, quæ favere videntur variis Hæreticorum erroribus: quare ubi Bellarminus laudatus inquit: *Non deſunt etiam quædam in ea editione Syriaca, quæ viris doctis, & piis non admodum placent*, Vincentius Gotti ſpeciali obſervatione judicat (b) ex Syriaca inferri errorem Pelagii

(a) *Legeſis potiſſimum num. 77. & ſeqq., etiam num. 518. & ſeqq. ubi ex inſtituto eventilabimus famigeratam cantilenam omnium Criticorum de Scripturis pertinentibus & non pertinentibus ad fidem & mores.*

(b) *De Verit. Chriſt. Relig. cap.* III. §. III. *n.* 24. *p.* 70.

Digitized by Google

lagii effutientis, non per propagationem, ſed per imitationem peccatum Adæ transfuſum fuiſſe in poſteros, & Calvini auferentis bonis operibus cooperationem noſtri liberi arbitrii. Ubi Simonius inquit, in Syris hodiernis codicibus nil niſi confuſio reperitur, & Waltonum haud *diligenter* (a) *ſatis Syram verſionem Veteris Teſtamenti legiſſe*, *alioquin non illam propoſuiſſet tamquam normam exactam*, *juxta quam originale Hebræum juſtificari*, *ac defendi poſſit*, Dominicus Gravina (*b*) monet: *Hæc editio* Syriaca .... *per editionem noſtram corrigenda*: cui ita concinnit præfatus Gotti, *immo caute legenda*, *& per noſtram Vulgatam corrigenda*.

354. Si objectaveris vel uſum Eccleſiarum Orientalium, quæ verſione Syriaca in publicis privatiſque lectionibus utuntur, vel teſtimonium Franciſci Lucæ Brugenſis aſſerentis (*c*): *Hoc teneo indubitanter*, *Syriacum Novi Teſtamenti Textum vetuſtiſſimi exemplaris Græci*, *& quidem ex primis loco habendum*, *ac venerandum eſſe*. Ad primum repono quæ de uſu & auctoritate Textus Græci diſerte expoſui (*d*). Quare ſi intelligas loqui de Syris Eccleſiis Romanam fidem profitentibus, pro certo habeo iſtas poſſidere veras integras, & authenticas Scripturas, non quidem in eo ſolo codice Syriaco quo utuntur, ſed in omnibus ſimul & undique collectis Bibliacis exemplaribus; atque ita religioſe credendum, præfatum codicem nihil complecti quod Romanæ fidei vel Vulgatæ correctæ aperte adverſetur, quum ſupponamus ad fidem Vulgatæ caſtigatum & reformatum, uti eveniſſe ſcimus in emendatione Arabicæ, & dicemus num. 366. Si de Syris Eccleſiis, quæ Romanæ Sedi non parent, *non erubeſcerem*, lubet hic quoque referre & adaptare verba Eminentiſſimi Gotti (*e*), *concedere* hujuſmodi Syro-Ec-cle-

(a) *Lib.* III. *Hiſt. Vet. Teſtam. cap.* XXIV. *p.* 123.
(b) *Cathol. Præſcript. lib.* IV. *contr.* IX. *p.* 291. *col.* 2.
(c) *Prolegom. in Quatuor Evang.*
(d) *Cap.* II. *num.* 173. *& ſeqq.*
(e) *Loc. nuper cit. num.* 173.

Digitized by Google

cleſias *ſicut carent vera fide*, *carere itidem authentica Scriptura*. Ad Brugenſem, ſcopus ipſius non eſt præfatis verbis affeverare integritatem, & authentiam Textus Syriaci novi Teſtamenti, ſed duntaxat monere, quod ſi aliquando videatur locus aliquis Vulgatæ Latinæ minus clarus aut commodus, tunc ut facilius feliciuſque intelligatur, Syriaci inſpectio & collatio, præ cæteris Bibliacis contextibus Novi Teſtamenti, præſtet. Cæterum nemo ut Brugenſis auctoritate œcumenici Concilii Trident. motus, religioſa obſervantia Vulgatam Latinam veterem magni facit, adeout pro minus recto habuerit in Textu Vulgatæ, quem in ſuis Commentariis expoſuit, quid vel minimum ex ea detrahere, addere, vel immutare, non obſtante quod ante correctionem Sixtinam maxima ſaltem ex parte præfatum opus elucubrarit (a): expediens quoque judicavit, ne Lectorum animi variis Scripturarum lectionibus turbarentur, & confunderentur memoriæ, uni verſioni & quidem Vulgatæ veteri omnes addictos eſſe debere: *Inter*, accipe ipſius verba (b), *verſiones autem Latinas, Veterem Vulgatamque potius quam aliam quamvis propoſuimus, moti auctoritate œcumenici Concil. Tridentini, quod hanc in publicis lectionibus & expoſitionibus pro authentica habendam definivit. Quæ ſi quid aliquando minus clare, aut commode vertere videatur, præſtat hoc ex Commentario intelligere, quam quavis alia addita Lectorum animos turbare, memoriaſve confundere. Expedit enim verſioni uni omnes addictos eſſe*. Prætereundum tamen non eſt, Brugenſem nullam penitus adhibuiſſe criſim ſuper antiquitate Syriacæ verſionis, & aliena potius quam ſua fide ſcripſiſſe: *Syriacum Novi Teſtamenti Textum vetuſtiſſimi &c.* & conſequenter mirum non eſt, ſi plus æquo interdum fuerit in Syriaca delectatus.

(a) *Eruitur ex ejuſdem Præfatione ad Lectorem Tomo primo Comment. præfixa.*

(b) *In Prolegom. Comment. num. 3. Tom. I. p. 2.*

355. UTILITATI tandem Syriacæ operam navemus reſtat: quocirca omnia percenſere, & inſectari gratuita adſerta, quæ Waltonus, ut credulos alliceret, aggerit, quum otium non ſuppetat quod in hiſce minimis eventilandis conſumam, me penitus piget: id itaque unum, quod quandam veritatis ſpeciem habere videatur, ad trutinam revocabo. *Ut Textuum*, inquit (*a*), *originalium veſtigiis preſſius inſiſtit Syrus Interpres quam verſiones aliæ, ſic ob linguæ affinitatem Hebræam magis emphatice & proprie exprimit .... Hoc agnovit Baſilius Hexam. in verba Geneſeos* 1. 2. Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas, *ubi Syrus ut Hebræi vocem exprimeret, eandem vocem forma Syriaca retinuit, ideſt* incubabat *ſive* fovebat *ut avis ſupra pullos*. Hactenus Waltonus, qui nonnullis aliis conſimilibus exemplis ſuo cerebro commentis, maximam tandem concludit eſſe utilitatem Syriacæ verſionis. Hinc ne longius ſermonem protraham, nugatur profecto quum autumat: Syrus Interpres preſſius inſiſtit veſtigiis originalium, tum quia Syriaca dialectus Interpretis eſt diverſa ab ea quæ currebat tempore Chriſti, & Apoſtolorum, tum etiam non eſt hodie Syriaca verſio, quæ allegatam Interpretis inſiſtentiam oſtendat quum nulla earum ſibi conſtet, & propter nimiam Syrorum in emendandis ſuis codicibus libertatem, obſervatum eſt, iſtos adhæſiſſe modo exemplari Hæbreo, interdum Græco, interdum Arabico, interdum etiam Latino; propterea Riccardus merito inquit: *In codicibus Syris hodiernis nil niſi confuſio, & perturbatio reperitur*; & Joannes Millius (*b*): *Syriaca ipſa novi Teſtamenti verſio quod attinet, haud ea certe Græcis ſuis adeo accurate ſemper, & velut adamuſſim conveniunt, ut ex iis intelligi poſſit quid legerit Interpres. In nonnullis pro verſione exhibet Syrus Commentarium .... in aliis omittit textus Græci non modo partes quaſdam minutiores, ſed & inſignio-* ra

(a) *Proleg.* XIII. §. *penult. p.* 400. *col.* 1.
(b) *Prolegom. in Novum Teſtam. Græcum* §. N. T. *Syriace pag.* 128.

ra quandoque vocabula . . . in aliis inſerit, addit, mutat . . . in aliis Græca reddit omnino perperam ac præter ſententiam loci. Utrum iſta probent vel denegent, Syrum interpretem preſſius inſtitiſſe veſtigiis originalium, tuum eſto judicium.

356. Libenter concedo linguam Syriacam eſſe Hebrææ affinem, & propius præ Græca, & Latina ad Hebræam accedere, verum id nihil auctoritatis, integritatis, vel utilitatis Syriacæ confert; quoniam ex ſuperius liquatis neque ex integris, neque ex ſolis originalibus expreſſa eſt, neque ſola linguarum cognatio confluit ad integritatem, & auctoritatem alicujus exemplaris. Demus tamen hodiernam Syriacam ex integris, & ſolis originalibus fuiſſe expreſſam, nec etiam affinitas, quam cum Hebræo habet, tantum nobis adjumenti, & lucis exhiberet, ut poſſemus examinare, probare, aut caſtigare aliquam Vulgatæ lectionem; quandoquidem Scripturæ fontes non carnaliter & Judaice, ſive ſecundum ſtrictum linguarum rigorem interpretandi ſunt, ſed ſpiritualiter, & Chriſtiane, ſive ſecundum doctrinam, & traditionem Romanæ Eccleſiæ: heinc eodem Divi Baſilii teſtimonio, quo Waltonus abutitur, adverſus ipſum bene uti putamus. Excepit utique magnus Eccleſiæ doctor interpretationem Scripturæ ex Syro ſermone deductam; ſed non tantum propter affinitatem Syriacæ cum Hebraica, ſed inſuper quia compertum ſibi erat, virum illum genere Syrum, (qui dicebat ſenſum Hebræi eſſe Geneſ. 1. v. 2. *fovebat* & *vivificabat*) tantum abfuiſſe a ſapientia ſeculi *quantum veræ doctrinæ* proximus *habebatur* (a): & tandem minime Baſilius, vel Ambroſius & Auguſtinus, qui etiam dictum illius Syri ſuo calculo probarunt, fuerunt auſi vel per umbram detrahere lectioni in Eccleſia receptæ, ut no-

(a) *Legeſis dicta num.* 345.

Digitized by Google

ſtri Critici pro more habent (*a*); ſed dumtaxat religioſe credere, & judicare, quodvis Dei oraculum plura complecti interpretationum ſacramenta. Itaque ſi autumetur Syriacam verſionem utilitati nobis eſſe, in quantum ex Syriaca clarius Vulgatæ ſenſum aſſequi poterimus, & ex divinis oraculis plurima promere ſacramenta, ſicut etiam quoad ea capita, quæ num. 133. ex doctiſſimo Cano expoſuimus, tunc profecto & noſtras ultro libenterque dabimus manus.

357. Tandem quum editio Syriaca in titulis, ac ſectionibus capitum mentionem faciat jejuniorum, venerationis crucis, orationum pro defunctis, vigiliarum, memoriæ Sanctorum, aliarumque id genus rerum, quas Hæretici tanquam a recentioribus Romanis Pontificibus, aliiſque Eccleſiarum Catholicarum Rectoribus noviter adinventas, odio & ludibrio habent; hanc ob rem plerique doctiſſimi viri Orthodoxi exiſtimant Syriacam, quoad præfatos Romanæ Eccleſiæ ſacros ritus, magno nobis adverſus Hæreticos ſuffragio eſſe poſſe, & utilitati, utpote quæ de mendacio Hæreticos aperte evincat. Verum, ut animo res occurrit inge-

(a) *Quamquam* Merachephet, *quod eſt in Hebræo, rite poſſit Latino ſermone reddi vel* ferebatur, *vel* incubabat; *quia tamen Chriſti Eccleſia ab initio conſecravit in publicis privatiſque lectionibus* ferebatur, *non autem* incubabat, *idcirco nuſpiam in verſionem Græcam viralem, aut Latinam ſive veterem Italam, ſive Hieronymianam, Geneſ. cap. I. v. 2. inſertum fuit, aut lectum:* fovebat, *ſive* vivificabat, *ſive* incubabat. *Quod plane colligitur ex Patribus Græcis & Latinis, Hieronymo anterioribus & poſterioribus. Tertullianus de Baptiſmo cap.* III. *Tom.* III. *p.* 388. *B. & lib. contra Hermog. Tom.* III. *p.* 419. *B.* Spiritus Dei ſuper aquas ferebatur. *Hilarius in Pſal.* CXXIII. *Tom.* I. *p.* 449. *A.* Et ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas. *Ambroſius lib. I. Exameron. cap.* VIII. *p.* 11. *L. Item p.* 12. *G. aliiſque in locis:* Et ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas. *Baſilius in Examer. Homil.* XI. *p.* 96. *col.* 2. G. Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. *Auguſtinus quæſt.* CXXXIV. *in Geneſ. Tom.* III. *p.* 411. *A. Item lib. de Geneſi ad litter. eod. Tomo p.* 96. *G.* Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. *In eandem lectionem confluunt Clemens Papa, Cyprianus, Nemeſianus, Teophilus Antiochenus, Damaſcenus, Athanaſius, Eucherius, Gregorius Niſſenus aliique multi (apud Gloſſam Magnam D. Aſcanii Martinengi a p.* 360. *uſque ad* 392.) *uno calamo ſcribentes:* Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Digitized by Google

ingenue fatear, id unum ſcio, quod ſi nonnulli Hæretici minime irridere dubitant argumenta, quæ petuntur a Catholicis ex Libris Deuterocanonicis, ex eo quia a ſuo canone Scripturarum explodunt; quanto magis ludibrio non habebunt titulos capitum verſionis Syriacæ, quos nobis quoque conſentientibus certo conſtat, adſcititios eſſe, ab Interpretibus Syris pro arbitrio appoſitos, & nullimode ad Scripturam canonicam pertinere? ea de re malim, ut Catholici cum Hæreticis differentes nuſpiam in medium proferant argumentum ex præfatis titulis, ne ſcilicet ſuo facto probent, quod per calumniam nobis illi inſultant clamitantes, Doctores Catholicos paſſim argumentari nugatorie, & cum vitio petitionis principii. Forte & alia validiora monumenta deſunt, quibus præfatos ſacros ritus rectius atque exactius commonſtrare poſſimus. Cæterum bona tot virorum pace dicta velim, meliori judicio collum atque faſces ultro libenterque ſubmittendo.

§. V.

De integritate verſionis Arabicæ.

358. Arabia nobilis Aſiæ pars ſinu Perſico, Mari rubro, & Indico propemodum circumſepta, & per eam partem, quæ Syriam tangit Aſiæ connexa. Geographi communiter partiuntur in *Felicem*, ubi aurum, gemmæ, & aromata, in *Petream*, qua mediante dividitur ab Ægypto, & in *Deſertam*, quæ a confinibus Hieruſalem verſus Perſiæ ſinum ſe extendit. Circa annum Chriſti 600. exorto famoſo impoſtore Mahumete (*a*), cujus infanda doctrina in Korano,

 ſive

(a) *Arabes Muſulmani figunt principium ſui Imperii & Religionis die 16. Julii ann. Dominicæ Incarnat. 622.; quo die Mahumetes fugit Medinam, ad declinandam ſibi promeritam perſecutionem ortam ex nova Religione, quam conflarat ex Judaiſmo, Arianiſmo, & Paganiſmo, initque prima dies Æræ Arabi-*

Digitized by Google

ſive Alcorano lingua Arabica, & propriatim dialecto Koraiſita tunc ad Arabiam pertinente, quæ ſibi vernacula erat, expreſſa, una cum falſa Religione, & victricibus armis Arabicam linguam propagavit. Ii itaque Chriſtiani, & Judæi qui incolebant Palæſtinam, Syriam, Armeniam, Aſiam minorem, Perſiam, Indiam, Ægyptum, Numidiam, aliaſque regiones, quemadmodum cœperunt Turcis inſervire, ita & Arabice loqui: ex quo poſtea ortum eſt, ut noſtri Critici inter veteres Scripturarum probatas verſiones, Arabicam quoque percenſeant.

359. Circa antiquitatem hujus verſionis quot capita tot ſententiæ. Auctor Polyglottarum Pariſienſium ſtudio conciliandi fidem aliquam huic verſioni, quam una cum cæteris Bibliacis Contextibus expoſuit, videtur ejus initia arceſſere a temporibus, quæ præceſſerant Hieronymianam ætatem, inquiens (a): *maximam mutuatur commendationem, quod S. Hieronymi ſeculo, quidam e ſacris Libris hac lingua* (Arabica) *ſcripti reperirentur, quorum auxilio Librum Job*

Arabica, quam Hegiram, *ſive fugam Arabes vocant. Tunc iniquus impoſtor agebat an. vitæ* 54., *&* 13. *ab incepta ſuæ impietatis prædicatione. Poſt Mahumetis mortem, quæ contigit an.* 631., *Saraceni ejus aſſeclæ, ſenſim pedetentimque, Heraclio imperante, ſibi ſubdiderunt Palæſtinam, Syriam, & Ægyptum*. Nulla, *fert Morinus Part.* II. *Lib.* II. *Exercit.* XVIII. *cap.* V. *p.* 526. *col.* 1. *D.*, natio tantos unquam progreſſus, & tam brevi tempore fecit bellando, quantos iſta: *quæ certe divinitus deſtinata fuit ad caſtiganda Chriſtianorum Orientalium peccata. Etenim Zeno, ejuſque ſucceſſor Anaſtaſius, ejuſdemque Miniſtri ſæculares temere ſe ſe immiſcuerant rebus mere Eccleſiaſticis dijudicandis, Heraclius pertinaciter protegebat Monothelitarum Hæreſim, Epiſcopi parvi faciebant Apoſtolicos Canones, promoventes indignos ad ordines & Eccleſiaſtica officia & beneficia, minores Eccleſiaſtici, quibus curæ erat veritate doctrinæ & morum candore, prælucere ſecularibus, quoad doctrinam & mores potius ſcandalo erant; univerſus tandem Orientalis Chriſtianus populus præter crebras ſeditiones, rebelliones, odia, bellaque inteſtina, quibus proprias vires debilitarat, violenti quoque propenſioni carnalis voluptatis ſe ſe dereliquerat. Hinc juſto Dei judicio, Mahumetani inſtar turbinis, brevi annorum intervallo, totam ferme Orientalem Eccleſiam pervaſerunt: ſicque oportuit, ut ii Chriſtiani qui ſine lege vivebant, legibus porcorum ſubjicerentur.*

(a) *In Præfatione earundem Polyglottarum.*

Digitized by Google

Job . . . reſtituit : etenim Hieronymus fatur (*a*) : *Hæc autem Translatio* (Libri Job) *nullum de veteribus ſequitur Interpretem ; ſed ex ipſo Hebraico Arabicoque ſermone*, & *interdum Syro nunc verba*, *nunc ſenſus*, *nunc ſimul utrumque reſonabit* . At prætermiſſis iis, quibus Waltonus (*b*) rejicit præfatam ſententiam, dicendum cenſeo : ex Hieronymi verbis eruitur tunc Librum Job reperiri Arabico ſermone conſcriptum, non autem verſionem Arabicam Bibliorum, quam Pariſienſes, & poſtea Waltonus inſeruerunt Polyglottis; & idcirco egregio S. viro ſtudio fuit conſulere Librum Job etiam Arabice conſcriptum, ut exactius eundem Librum ad Latinum verteret ; quoniam Arabica dialecto fuerat primitus a Spiritu Sancto dictatus . Neque ob id velim ſuſpiceris, ſaltem quoad Librum Job tunc Arabicam extitiſſe, quandoquidem Arabica præfati Libri toto cælo, ſi modo adeſſet, diſtaret ab ea, quam hodierna verſio Arabica exhibet . Eruditiſſimus Theologus Joannes Morinus loquens de tempore, quo Arabes hodierni cœperunt Arabice legere & ſcribere, teſtatur, contigiſſe paulo ante Mahumetis ortum (*c*); & quamvis præclarum hocce inventum tum innotuerit Arabibus, magna tamen cum negligentia longo tempore ab eiſdem excultum fuit, donec Imperator Calipha Albugiafar Almanſor viros litteratos admodum

(a) *Præfat. I. in Job Tom.* III. *p. 690. D.*
(b) *Proleg.* XIV. §. 17. *p.* 408. *c.* 1.
(c) Sero autem admodum gens illa Barbara ſcriptura uti cœpit . Id contigit paulo ante Mahumetem exortum, ut ex Arabum Hiſtoriis demonſtrat Eduardus Pocockius, in notis ad Gregorium Albufarajum quem Latine edidit . Iſta ille p. 153. ex Ebn Chalican eximio Arabum hiſtorico : *Illud de cujus veritate minime ambigitur apud eruditos eſt, primum Scripturæ Arabicæ repertorem fuiſſe Moramerum filium More Ambarienſem: ab Ambarienſibus in reliquam Arabiam manaſſe hanc artem . . . .* Refert enim idem hiſtoricus Ebn Chalican, quum Alcoranus evulgari cœpit, non repertum in univerſa regione Yaman qui Arabice legere vel ſcribere poſſet : Mahumetem præterea neutrius peritum fuiſſe, unanimi conſenſu fatentur Hiſtorici. *Hactenus Morinus Lib.* II. *Exercit.* XVIII. *Cap.* V. *n.* 7. *p.* 528. *col.* 2. *C.*, *cui Waltonus aliique Critici recentiores adſtipulati ſunt .*

modum officio, & beneficiis proſequens, introduxit apud Arabes non tam uſum recte legendi & ſcribendi Arabice, quam etiam omnium ſcientiarum genera (*a*); & per conſequens ſicut hodierna Lingua Arabica nihil ferme convenit cum ea, qua Liber Job primitus deſcriptus fuit, plane in Præfatione Bibliorum Pariſienſium haud recte commendatur ex teſtimonio Hieronymi Arabicæ verſionis antiquitas, ſive etiam auctoritas.

360. Hottingerus e contra (*b*) editionem verſionis Arabicæ non altius arceſſit, quam a temporibus Abulfedæ, qui ad voluntatem ipſius vitam ingreſſus an. Hegiræ 372. Chriſti 1223. Quam opinionem, Jacobus Le Long (*c*) teſtatur Hottingerum accepiſſe ex Præfatione Eduardi Pocockii in variantes lectiones Arabicas (*d*). Euſebius Renaudot (*e*) vult, Abulfedam floruiſſe anno Chriſti 1345., & longe ante Abulfedam Scripturam Sacram fuiſſe in Arabicum idioma converſam. Et prætermiſſis aliorum placitis, ſi interrogaveris quænam hac ſuper re ſit Waltoni ſententia, me non ſatis intelligere fateor. Namque interdum aſſerit, & probat, verſionem Arabicam minime factam ante Religionem Mahumetanam; quandoque ejuſdem editionem deferre videtur aduſque tempora Concilii Nicæni; interdum ſolito præjudicio abreptus, quod varietas lingua-

(a) Scientiarum ſtudium apud Arabes tantum cœpit imperante Calipha Albugiafar Almanſor, qui imperium iniit anno Hegiræ 137. Chriſti 750. Hic viros litteratos admodum coluit, & ſuis opibus ſuſtentavit. Ab eo tempore in multa ſecula floruerunt apud eos omnia ſcientiarum genera, atque ut ipſis nihil ignotum eſſet, Græcorum, Latinorumque Libros in linguam ſuam tranſtulerunt. Hinc etiam manavit Grammatices ſtudium, ad illud urgentibus nationibus exteris Victorum ſuperſtitionem certatim amplexantibus, & ſibi dominantium gratiam aucupantibus. *Ita Morinus laudatus p. 530. col. 1. C.*

(b) *Diſſertat.* III. *de Translation. Bibliorum in ling. Vernac. p.* 110.

(c) *Biblioth. Sac. ſect.* V. *p.* 111. *col.* 2. *E.*

(d) *Contenta apud Tom.* VI. *Polyglot. Londinen.*

(e) *Tom. I. p.77. Hiſtor. Patriarch. Alexandr. apud Le Long cit. p. 112. col. 1. C.*

guarum ducat neceſſitatem habendi Scripturas vario ſermone deſcriptas, vult, Arabicam verſionem eo tempore fuiſſe elucubratam, quo lingua Arabica Mahumetanorum cœpit eſſe vernacula apud Judæos, & Chriſtianos a Turcis devictos, puta circa annum Chriſti 641. Tandem probabile exiſtimat confectam fuiſſe, vel circa tempora Saadiæ, qui, ſecundum eundem Waltonum edoctum a Cl. Morino, celeberrimus fuit apud Judæos Arabes circa an. Chriſti 900., vel non multo antea. En Waltoni verba (*a*): *Plane conſtat, verſionem Arabicam apud eas* (Eccleſias Orientis) *factam eſſe poſtquam lingua Arabica per victorias & Religionem Mahumetanam per Orientem propagata fuerat, & in multis locis facta eſſet vernacula, unde neceſſarium erat Scripturas in hanc linguam, ut ſibi notam, verſas comparare. Hic* (*b*) *itaque Saadias Gheonum unus apud ſuos celeberrimus circa annum Chriſti* 900. *Vetus Teſtamentum ex Hebræo in Arabicum, litteris vero Hebraicis, tranſtulit in uſum Judæorum. Utriuſque* (*c*) *vero* (Syriacæ & Arabicæ) *antiquitas, ex verſiculi illius* 1. *Joan. v.* 7. *abſentia colligitur . . . quod ſane magnæ vetuſtatis argumentum eſt, quum poſt damnatam Arii hæreſim hic verſiculus, qui tunc in multis exemplaribus deſiderabatur, in omnibus ſuppletus eſſe videtur.* Quibus in aperto vides, quam ſit definitu difficile tempus illud, quum primum facta fuerit Arabica verſio, & quidem non ſine gravi ratione: ſiquidem quum iſtud negotium maxima ex parte, ne dicerem unice, pendeat ex relatione Judæorum (qui ut abunde deprompſimus ſuperiori paragrapho tertio non tantum laborant nimia ignorantia rerum ſuarum, ſed inſuper ad fabellas fingendas multum procliviores) idcirco quid veriſimilius videatur paucis ſubjiciam.

361. Aliter loquendum de Judæis, & aliter de Chriſtianis

(a) *Proleg.* XIV. §. 18. *p.* 408. *col.* 2.
(b) *Loc. cit.* §. 15. *p.* 407. *col.* 1.
(c) *Eodem loci* §. 23. *p.* 411. *col.* 1.

Digitized by Google

nis, qui nimirum a Mahumetanis devicti linguam Arabicam uſurparunt. Probabile eſt, Judæos circa ſeptimum ſeculum a Chriſto nato, ſibi Arabicam verſionem veteris Teſtamenti confeciſſe; quoniam plerique ipſorum Juſtiniani temporibus dimiſerant uſum verſionis Septuaginta, & fluxu temporis pro voluntate ſuorum ſeniorum, varios Bibliorum codices ſibi conſarcinarunt, utentes modo Targumim, modo verſione Syriaca, modo Talmude; & per conſequens ſi juxta varietatem linguarum, quas uſu addiſcebant, varias uſurpabant Scripturarum verſiones, veriſimile eſt, eoſdem dediſſe operam Arabicæ verſioni, quum cœperunt Arabice loqui. Quod vero Chriſtianos ſpectat, qui tunc temporis incolebant Syriam, Palæſtinam, Meſopotamiam, Africam, & victricibus armis Turcarum pariter ſervierunt, nullum hactenus comperi legitimum monumentum, quod ſatis ſuadeat, eoſdem loco verſionis Viralis ſubſtituiſſe Arabicam: & eo magis quod vix circa initium quintidecimi ſeculi invenitur apud noſtrates, qui hujus verſionis mentionem faciant. Illa tandem conjectura Waltoni, qua ex abſentia verſiculi Joannis ab Arabica argumentatur fuiſſe confectam ante damnatam Arii Hæreſim, a quovis vel parum inſtructo facile refelletur; tum quia Arabica Mahumetana methodo conſcripta, de qua loquimur, Nicæni temporibus prorſus inviſa; tum etiam quia præfatus verſiculus non habetur in verſione Arabica, quam ipſi Chriſtiani Neoterici ediderunt; & tandem, ſi ſola abſentia illius verſiculi argumento eſſet, ut ad tempora Nicæni referremus editionem Arabicæ, jam omnia ſymbola confecta a recentioribus Arianis, & quæ non complectuntur *homouſion*, ſive *conſubſtantialem* habenda forent pro vetuſtiſſimis, quo quid inſulſius nemo tam ſocors, qui non intelligat.

362. AD INTEGRITATEM Arabicæ hodiernæ exponendam devenimus. Si qua hodie eſt verſio Arabica, quæ inter cæteras majorem integritatem & auctoritatem ſpiret, maxime ea, quæ adjudicatur R. Saadiæ, vulgo *Fiumenſis*

ex

ex urbe *Fiumi* in Ægypto: qua de cauſſa hæc editio præ aliis impreſſa fuit in Ægypto juxta Euſebium Renaudot (*a*), anno 1585. aut 1586.; vel ſecundum Joan. Morinum (*b*), excuſa Theſſalonicæ, vel potius Conſtantinopoli an. 1546.: & inſuper ex hujus editionis codice, qui ſervatur in Bibliotheca Colbertina cod. 900., exſcripta eſt Arabica primo apud Polyglotta Pariſienſia, poſtea in Londinenſibus: item Critici paſſim Saadiam laudibus & encomiis proſequuntur, Erpenio eum vocante Judæum uſquequaque doctiſſimum & celeberrimum: & tandem teſte Roberto Wakfeldio (*c*): *Hæc translatio in Africa ubique legitur, eamque Hebræorum peritiſſimi ſequuntur, & allegant tanquam authenticam, utpote ab homine litterarum, & traditionum, atque rerum Hebraicarum peritiſſimo profectam.*

363. Jam vero, opus eſt videamus, quam integritatem hujuſmodi Saadiana verſio ſpiret. Erpenius (*d*) fatur: *Saadias longius plerumque a verbis & phraſibus Hebraicis recedit, & Paraphraſtem ſæpius, quam Interpretem agit*. Hottingerus (*e*): *Hic Interpres modo Onkeloſum, modo LXX. Interpretes, modo etiam ingenium ſuum prorſus Judaicum, & ad Scripturæ genuinum ſenſum detorquendum natum ſequitur*. Daniel Huetius (*f*): *Ab Hebraiciſne, an a LXX., an ab Onkelo traducta ſit Saadiæ interpretatio dubitarunt nonnulli, ea eſt hominis in convertendo licentia & levitas, paſſim ſiquidem divagatur, & ultra cancellos excurrit, ut Paraphraſten facile non Interpretem poſſis agnoſcere. Ad Hebraica tamen compoſitam eſſe editionem hanc nulli non attento fiet perſpicuum*. Riccardus (g): *Hæc Saadiæ interpretatio Paraphraſeos potius, quam* ver-

(a) *Tom. I. de perpetuo Eccleſ. conſenſu circa Euchariſt. p.* 540.
(b) *Apud Le Long Biblioth. Sac. cap.* II. *ſect. V. p.* 115. *col.* 2. E.
(c) *In Diſput. de ſratris uxore non ducenda apud Le Long cit.*
(d) *In Epiſt. dedic. Pentateuchi Arabici.*
(e) *Lib.* I. *Theſauri Philolog. cap.* VII. *ſect.* VII. *apud Le Long cit. p.* 116. *col.* 1. *A.*
(f) *De clariſ. Interpr. p.* 105. *apud Le Long. cit.*
(g) *Cap.* XIV. *Diſquiſ. Crit. de var. Bibl. edit. p.* 105. *apud Le Long cit.*

verſionis ſimplicis nomine inſigniri debet, quia contextus ſui verbis non ita preſſe adhæret Interpres. Mutat etiam interdum nomina propria, & ut ab omni antecœpta opinione liber non erat, mentis ſuæ ſenſa potius, quam ipſummet Contextum haud infrequenter exprimit. Vincentius Gotti (*a*): *Prima verſio & antiquior . . . a R. Saadia, ut vulgo creditur, & hæc ex Hebræo Textu facta eſt, ſervato Hebraico Charactere, quamvis alicubi Onkeloſum ſequatur, & Paraphraſis potius ſit, quam verſio, ut obſervarunt eruditi.*

364. Quod ſi poſtea Saadiana verſio, cui primæ partes referuntur, allegatis vitiis abundat, quid de tot aliis Arabicis verſionibus, quarum ſine aliquo Lectorum fructu meminit Waltonus, dicendum ſit, quiſque pro ſuo judicio definiat. Præter verſionem Saadiæ laudat verſionem Pentateuchi charactere Hebræo in Mauritania olim editam, de qua dicit *preſſius verbis Hebraicis inſiſtit, & totidem fere Arabicis exprimit* (*b*); adeout iſtam Scaliger Saadianæ prætulerit; & tamen ut deprehendas, quam fidem fluxam Waltonus hoc in negotio gerat, id unum ſat eſt obſervare, quod non iſtam, ſed Saadianam Alexandrinam in ſua Polyglotta exſcripſiſſe fatur; ſi iſthæc vere exactior erat, cur non iſtam expoſuit? Rurſus quum celeber Tirinus permulta vitia in Arabica verſione eſſe affirmarit, non veretur per ſolemnem calumniam idipſum huic docto Theologo tribuere, cujus nuſpiam ipſum pœnitebit: *De nævis*, effutit (*c*), *quos in utraque* (*d*) *eſſe vult Tirinus, non multum labo-*

(a) *De verit. Relig. Chriſt. cap.* III. §. IV. *n.* 25. *p.* 71.
(b) *Proleg.* XIV. §. 15. *p.* 407. *col.* 1.
(c) *Loc. cit.* §. 18. *p.* 409. *col.* 1.
(d) *Duplicem Waltonus cum aliis vult eſſe verſionem Arabicam Veteris Teſtamenti apud Chriſtianos Orientales, Syriacam unam ſive Antiochenam, alteram Ægyptiacam ſive Alexandrinam, nimirum a regionibus, ubi in uſu erant; ſed Euſebius Renaudot vir multiiugis doctrinæ, & in Linguarum Orientalium peritiſſimus, in Epiſtola quam ſcripſit Jacobo Le Long affirmat,* Diſtinctionis illius verſionum Antiochenæ & Alexandrinæ vix ulla occurrit apud Orientales Chriſtianos memoria. Et Waltonus ipſe aliena potjus fide quam ſua ſcripſit &c. *Hæc feruntur ab eodem Le Long p.* 111. *col.* 2. *A.*

laborandum eſt; quum omnes verſiones deprimat ipſe cum ſuis, ut Vulgatam Latinam in ſolio ponat, quum tamen in Vulgata nævos etiam plurimos fuiſſe, & adhuc eſſe probatione non egeat. Sed quam perperam audenterque id protulerit ex modo depromptis teſtimoniis Criticorum etiam illius Erpenii, quem pro ſe citat, abſque eo quod ſermonem protraham, cuique legentium ſatis ſuperque fiet perſpectum. Nec Simonius, tametſi immodicus Criticus, æquo animo auſcultavit (*a*) hujuſmodi Valtoniana ſenſa, qua de cauſſa ſcribere habuit: *Nimio ſcilicet operis ſui ſtudio verſiones Arabicas præter meritum* (Waltonus) *laudat; nec ſane tantam illis, ſi eas attente legiſſet, auctoritatem tribuiſſet ... Interim Tirinum reprehendit Waltonus, quod eas vitioſas eſſe aſſerat*. De nævis quos in utraque eſſe vult Tirinus &c. *Mirum profecto Waltonum comparare Vulgatæ vitia cum vitiis Arabicarum verſionum, ut illius exemplo eas tueatur. Jam igitur ſui ipſius memor non eſt, & earum laudum, quibus antea Vulgatam, & ejus auctorem Hieronymum extulit. Merito quidem Tirinus verſionem Arabicam vitioſiſſimam eſſe ait, ac immerito Waltoni ea de cauſſa vapulat*.

365. Prætereo hic vel minimam mentionem facere inſignium vitiorum, & pene innumerabilium, quæ in Arabica occurrunt, quorumque nonnulla Critici ſuppeditant, potiſſimum ipſe Simonius (*b*); ſicut etiam cauſſam ab ovo deſcribere prætermitto, unde nuſpiam Arabica immunis a vitiis fluxerit. *Scribæ Arabes*, idem Simonius (*c*), *originale in dubiis conſulere non valentes in errores innumeros, quos in excuſis codicibus notare poſſis, lapſi ſunt:* & alibi (*d*); *nequaquam vero a ſolis Interpretibus ex ſcriptoribus Arabicæ verſionis vitia originem ducunt: verum etiam a Grammaticis, qui puncta Textui Arabico addidere*. Satius æſtimo duorum,

 quo-

(a) *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. lib.* III. *cap.* XXIV. *p.* 123.
(b) *Lib.* II. *Hiſt. Crit. cap.* XVI. *pag.* 85. *& ſeqq.*
(c) *Lib.* III. *paulo ante cit.*
(d) *Lib.* II. *cit. p.* 87.

Digitized by Google

quorum unus Hæreticus, Orthodoxus alter, teſtimonia percenſere, ut alienis potius quam meis verbis res innoteſcat. Eduardus Pocockius habet (*a*): *Chriſtianum quendam Aleppenſem ſecta Melchitam conquerentem aliquando audivi: non reperiri penes ipſos Arabicæ exemplar Bibliorum, quod æquali filo contextum partibus inter ſe congruis apteque diſpoſitis conſtaret*; & rurſus ſermonem habens de exemplari Arabico in Polyglottis Pariſienſibus & Anglicanis cuſo: *Ejuſmodi eſt, quod e diverſis atque inter ſe multum diſcrepantibus laciniis contextum ſit, ſive id agente qui ipſum deſcriberet, ſive (quod magis veriſimile) quod ipſi ad manum non fuerit omnium librorum ab uno aliquo concinnata verſio, adeout neceſſe habuerit, quo integrum ſibi corpus conflaret, partes parum ſibi conſtantes, utpote e diverſis fontibus, diverſis ſeculis, & a diverſarum ſententiarum hominibus profectas connectere*. Euſebius Renaudot (*b*): *Verſiones hujuſmodi* (Arabicæ), *quæ totam Scripturam continent, non ſunt ab eadem manu, ſed collectæ a librariis, qui verſas ſæpe conjunxerunt, & valde interpolarunt*. Item commemorans Arabicas verſiones, quæ apud maximam Chriſtianorum orientalium partem leguntur in Eccleſiis, & a Theologis citari ſolent. *Tot*, inquit (*c*), *ſunt quodammodo editiones, quot codices, tanta eſt inter eos, qui in Pariſinis Bibliothecis, & qui in Vaticana ſunt, diverſitas; quia ſcilicet dum quicumque in alium incidit, ſuum emendare conatus eſt, quum diverſiſſimæ ſint apud Arabes Veteris Teſtamenti translationes Arabicæ... Hæc obſervanda viſa ſunt, quod viri apud Anglos eruditiſſimi, qui Polyglottorum Bibliorum Prolegomena aut notas conſcripſerunt, non videantur diverſitatem illam verſionum Arabicarum ſatis agnoviſſe, aut de illis recte judicaſſe*.

366. Decretorium tandem mihi eſſe videtur momentum, quod

(a) *Præfat. in variantes lection. Arabicas apud Tom.* VI. *Biblior. Polyglottor. Anglic.*

(b) *Euſebius Renaudot apud Le Long cit. p.* 111. *col.* 2. *B.*

(c) *Apud Le Long cit. p.* 113. *col.* 1. *D.*

quod multiplici ex capite non tantum ad præſens argumentum, ſed ad ipſum quoque totum ſuſceptum plurimum facit. Quum Sergius Riſius Archiepiſcopus Damaſcenus Maronita deprehendiſſet non pauca errata ac defectus ſpiraſſe Arabicam, qua Eccleſiæ Orientales orthodoxæ utebantur, una cum aliis Orientalibus Eccleſiarum Rectoribus magna ſupplicatione poſtulavit ab Urbano VIII, ut juberet recognitionem, correctionem, & novam impreſſionem verſionis Arabicæ, & quidem ad ſuorum populorum utilitatem. Quorum votis Pontifex benigne annuit, quumque rem totam S.Congregationi Cardinalium de propaganda fide commiſiſſet, an. 1625. adhibitis Theologis, & variarum linguarum præſertim Arabicæ peritis, nec non exactioribus exemplaribus Arabicis collectis, demandatum opus ſummo cum ſtudio, animique ardore, eodem anno inceptum fuit, & abſolutum quoad Vetus Teſtamentum an.1647., quoad Novum an. 1650.. Sed quoniam Correctores multa ad normam fontium hodiernorum, & non Vulgatæ Clementis tum a mendis jam perpolitæ recognoverant, & inſuper Joannes Baptiſta Giattinus in Præfatione faſſus eſſet, Arabicam recognitam non prorſus correſpondere Vulgatæ Latinæ; idcirco juſſu prædictæ Congregationis decretum fuit, ut ab Abrahamo Ecchellenſi, & Ludovico Maraccio ſuſciperetur nova illius emendatio, quæ quidem poſtea ad Vulgatam Latinam correctam omnino exacta fuit, atque perfecta an.1664., & in lucem edita an. 1671. (a). Ex quibus hæc conſectaria manifeſte enaſcuntur: *primo* veteres Arabicas verſiones tum MSS. tum cuſas, ſive a Judæis, ſive a Chriſtianis confectas erroribus atque vitiis abundare, alioquin nec Riſius, & alii Eccleſiarum Orientalium Rectores emendatiorem a Romana Sede poſtulaſſent, neque Romana Sedes ipſorum votis ſatisfeciſſet: *ſecundo* vitiis quoque abundare Arabicas, quæ

(a) *Iſthæc ex iis, quæ percenſet Jacobus Le Long loc. cit. p. 124. carptim exſcripſi.*

quæ habentur in Polyglottis potiſſimum Anglicanis; ut quid enim tot impenſæ, tot curæ, totque labores ac ſolicitudines etiam plurimorum Cardinalium, Prælatorum ſecularium & regularium in adornanda nova exactiori Arabica, ſi quæ in Polyglottis extabant ſatis fuiſſent? *tertio* de mente Romanæ ſedis, non quidem ad normam hodiernorum fontium, ſed ſolius Vulgatæ correctæ, verſiones omnes quavis lingua conſcriptas, quæque apud Chriſti Eccleſias celebrantur, examinandas atque probandas eſſe; quandoquidem præfata Congregatio vetuit Arabicam ad normam fontium concinnatam, & ſolam Arabicam Vulgatæ recognitæ fideliter reſpondentem publici juris fecit, atque pro Scripturæ Textu Eccleſiis Orientalibus propoſuit.

367. Tandem quam perperam & non ſine Lectoris moleſtia Waltonus, tum linguæ, tum verſionis Arabicæ utilitatem commendet, ex eo quiſque colligere poteſt: *primo*, quod *Arabica lingua*, inquit Simonius (a), *remotior quidem ab Hebræa, quam Syra aut Chaldæa: ſecundo* recentior eſt non tantum verſione Græca & Latina, ſed inſuper cæteris verſionibus Orientalibus: *tertio* eam, quam Chriſtiani ſub Mahumetanis exiſtentes ſibi primitus confecerunt, nonniſi ex Græca, aut Latina hauſerunt: *poſtremo* deprompta diſpoſitio Sacræ Congregationis nihil penſi tribuit Arabicæ, quum totam ad perpendiculum Vulgatæ recognitæ ſubjecerit. Itaque exceptis iis utilitatibus, quas alibi (b) ex clar. Cano expoſuimus, quaſque ex lingua & verſione Arabica oriri poſſe gratis animis agnoſcimus; circa alias, de quibus nimia prolixitate Waltonus differit, Simonii verba refricabo. *Poſtremo nimio ſcilicet operis ſui ſtudio verſiones Arabicas præter meritum* Waltonus *laudat*.

§.VI.

(a) *Hiſt. Crit. Vet.Teſt. Lib.* II. *cap.* XVI. *p.*87.
(b) *Cap.* I. *num.* 132. *& ſeqq.*

§. VI.

De integritate Verſionis Æthiopicæ.

368. Quamquam Waltonus (*a*) de hujuſmodi monuerit verſione pauca ſe dicturum, utpote de qua pauci ſunt, qui aliquid ſcriptum poſteritati reliquerint, minime tamen labori pepercit, ut ad confirmationem hodiernorum fontium etiam Æthiopicam verſionem advocaret. Qua de re quum Joſephus Scaliger ſtatuiſſet, non ante Juſtiniani tempora fidem Chriſti fuiſſe in Æthiopia (*b*) receptam, & inſuper Scripturam Æthiopico ſermone conſcriptam recentem eſſe, peſſimaque fide traductam, ita in Scaligerum dure acriterque invehitur: *Temeraria & injuſta videtur Joſephi Scaligeri de hac verſione, quam vix ſatis intellexit, cenſura*. Waltoni itaque opinio eſt: *primum* fidem Chriſti Æthiopibus prædicatam, & plantatam fuiſſe ab Eunucho Candacis Reginæ Æthiopiæ (*c*) per S. Philippum ad fidem converſo; nec uſpiam ab hujuſmodi avita fide Æthiopes defeciſſe, ſed in hunc uſque diem in eadem perſeverare: *ſecundum* quod ſi fidem Chriſtianam ab Apoſtolorum temporibus Æthiopes receperunt, *quum Eccleſia ſine Scripturis eſſe non poſſit*, quumque etiam nullam aliam Scripturam ex ullis hiſtoriarum monumentis ipſos habuiſſe probari poſſit, *hinc ſane*, concludit (*d*), *probabile videtur a primis naſcentis Eccleſiæ Æthiopum*

(a) *Proleg. XV.* §. 10. *p.* 416. *col.* 1.

(b) *Quam modo vocamus Abiſſiniam, juxta tabulam geographicam P. Buffier, ſitam in gradu ſexageſimo longitudinis, & decimo latitudinis noſtri poli arctici*.

(c) Quod utique Reginæ nomen gentilitium erat, non proprium. Nam quæ in Æthiopia interdum dominari ſolebant mulieres, *Candaces* appellabantur: quemadmodum ante Alexandrum, Ægypti Reges dicebantur *Pharaones*; & poſt eum *Ptolomæi*: ſicut & Imperatores Romani dicti ſunt *Cæſares*, ut conſtat ex Plinio, Strabone, & Dione. *Fraſſenus Diſquiſit. Biblic. lib.* II. *cap.* V. §. III. *p.* 289.

(d) §. 12. *p.* 417. *col.* 2.

pum incunabulis, *verſionis bujus originem accerſendam eſſe: tertium*, ſcribit (a), *Verſionem hanc Textum ſatis fideliter plerumque reddere*, *verumque ejus ſenſum exprimere*, *obſcura quoque loca illuſtrare*, *itaut ex bujus cum antiquis collatione multum lucis Textui oriri poſſit*. Quocirca ſi tam Veteres, quam Recentiores de verſione Æthiopica pauca ipſo teſte poſteritati reliquerunt, id nobis non erit leve indicium, ut conjiciamus ex tam laciniosis, quæ hoc in Prolegomeno exponit, pleraque ex ſatis liquato ſuo præjudicio in efferendis Orientalibus Contextibus, duxiſſe originem; & idipſum cauſſa nobis eſſe, ut in hiſce probandis aut refellendis ſummatim agamus.

369. Itaque circa *primum* haud aſpernabilibus monumentis demonſtrat Waltonus, ab Apoſtolorum temporibus Æthiopes dediſſe nomen Chriſtianæ fidei, laudans præ cæteris teſtimonium Irenæi dicentis, allegatum Eunuchum miſſum fuiſſe in regiones Æthiopiæ, ad Evangelica dogmata, quæ ipſe credidit, illis prædicandum: Hieronymi quoque de eodem Eunucho ſcribentis, *ex diſcipulo fit magiſter*; & tandem Nicephori, & Dorothei tradentium eundem egiſſe Apoſtolum per Arabiam felicem, in inſula Taprobana, & in univerſa Erythra, ibique martyrio coronatum, atque ſepultum. Cumque Scaliger idcirco tenuiſſet non ante Juſtinianum Imperatorem fidem Chriſti fuiſſe in Æthiopia receptam, quia ex Eccleſiaſtica Hiſtoria eruitur, Adad Regem Auxumitarum anno XXV. imperii Juſtiniani ad iſtum miſiſſe legatos, & impetraſſe Epiſcopos, qui omnium primi Chriſtianiſmum in Æthiopia publicarunt; reponit Waltonus, id verificari non quidem de omnibus Æthiopibus, quorum multi ante Juſtiniani tempora juxta canonem Apoſtolicum ſanctificabant Sabbata una cum die Dominico, alioſque ritus etiamnum ſervant, qui ab ipſis Apoſtolis fluxerunt, & ante Juſtiniani imperium apud alios Chriſtianos ob certas cauſſas exo-

(a) §. 10. *p.* 416. *col.* 2.

exoleta; ſed dumtaxat de Auxumitis, de quibus in Hiſtoria fit mentio ſpecialis: atque ita ſi iſthæc, uti Waltonus exponit, vera ſunt (quum in eiſdem adcurate librandis & pendendis tempus mihi non ſuppetat, & maxime quod nobis non officiunt, ut proxime exponemus) non eſt cur dubitemus, quoad hanc partem Waltono commodare conſenſum.

370. E contrario circa *ſecundum* veriſimilius Waltonus fallitur, eique opponimus tam Veteres, quam Recentiores. Nullus namque Veterum hujuſmodi verſionem Æthiopicam ſubodoratus eſt; quod ſi objectaveris me argumento mere negativo niti, memorare, quæ de conſimili negotio in ſuperioribus paragraphis protulimus potiſſimum nu. 333. Tempore Chriſti & Apoſtolorum lingua Græca per totum Orientem erat vernacula, & conſequenter dato quod a primis Eccleſiæ ſeculis Æthiopes fidem Chriſti ſuſceperint, minime argumento eſt, ex tunc Æthiopicam verſionem habuiſſe originem; ſed potius eos lectitaſſe verſionem Græcam Alexandrinam, ex qua poſtea expreſſa fuit Æthiopica, ut communiter traditur: utique vernacula Æthiopicorum diverſa erat ab ea, quam præſefert verſio Septuaginta; erant tamen Eccleſiarum rectores, qui lingua vulgo intelligibili verbum Dei patefaciebant. Principium illud *Eccleſia ſine Scripturis conſiſtere non valet*, quo interdum nos quoque uſi ſumus, præter alibi dicta, paulo infra diſquiremus. Inter recentiores Vanslebius (*a*) ex quodam Æthiopico Martyrologio MSS. affirmat Æthiopicam verſionem ſupparem eſſe S. Athanaſio, qui obiit an. Chriſti 373., confectamque ab Abbate *Selama* Abyſſinorum Apoſtolo, quem iidem Abyſſini alio nomine *Fremonatos*, & Martyrologium Romanum *Frumentium* appellant. Jobus Ludolfus *De Aucto-*

 re,

(a) *Pag.* 20. *conſpectus operum Æthiopicorum apud Le Long Biblioth. Sac. cap.* II. *ſect.* VI. *p.* 129. *col.* 2. *A.*

Digitized by Google

re, inquit (*a*), *& tempore verſionis nihil certi compertum habeo: probabile tamen eſt eam tempore converſionis Abyſſinorum, vel paulo poſt, non vero Apoſtolorum, ut quidam tradiderunt, concinnatam fuiſſe, & quidem a diverſis Interpretibus*. Et loquens de præfata ſententia Vanslebii ſubdit: *Eſt qui ſcribat in Martyrologio quodam Æthiopico S. Frumentium, quem Abba Selama vocari diximus, auctorem verſionis haberi. Id priuſquam videam pro certo non affirmaverim*. Ludovicus de Dieu (*b*) longe ſerius ætate Frumentii confectam eſſe exiſtimat. Igitur de antiquitate Æthiopicæ, ea quæ a Waltono venditantur minime veritati videntur affinia.

371. Quod tandem hodierna verſio Æthiopica ſatis fideliterque reddat Textum, verumque ejus ſenſum exprimat, eſt penitus purum putumque Waltoni commentum, quod ſtatim eruditi deprehendere hac profecto lege valebunt. Ludolfus citatus (*c*) teſtatur: *Hæc editio plurimis mendis ſcatet*, & ſermonem habens de Æthiopica Polyglottorum Londinenſium, cui Waltonus præfuit: *Præcedens exemplar denuo impreſſum fuiſſe Londini in opere Polyglotto, retentis mendis veteribus, & novis ſuperadditis, multis etiam in locis interpolatum, quia biante & mutilo exemplari uſi fuerunt editores*. Wolphius (*d*): *Æthiopica verſio, qualis eſt in Polyglottis Londinenſibus, tantis adhuc ſcatet mendis, ut non caput perlegas, in quo, non aliquod ſed multa deprehendas menda, affirmat Joan. Henr. Hoener. in obſervat. Philologico crit. §. 2. qui & promittit ſe in illis mendis tollendis elaboraturum eſſe, eo vero loco cauſſas tot errorum, & ſpecimina quædam affert*. Hiſce præivit Scaliger affirmans, eodem Waltono teſte: Libros Æthiopicos fuiſſe mala fide tra-

(a) *Lib.* III. *Hiſt. Æthiop. cap.* IV. *apud Long cit. p.* 128. *col.* 1. *A.*
(b) *In Appendice ad Evang. Matth. apud Walton. Proleg. XV.* §. 11. *p.* 417. *col.* 1.
(c) *Apud Le Long p.* 131. *col.* 2. *E.*
(d) *Apud Long. cit. p.* 132. *col.* 1. *B.*

Digitized by Google

traductos. Hæc brevitatis ſtudio ſat erunt ad hoc ut prudens & diſcretus Lector obſervet, quantum a vero aberrarit Waltonus, quantumque Æthiopicæ ſit fidendum quoad illuſtrandum, vel confirmandum hodiernum Textum, ubi a Vulgata recognita diſcrepet.

§. VII.

De integritate Verſionis Perſicæ.

372. Antiquitatem Perſicæ verſionis Waltonus colligit (a) tam ex Hiſtoria Eccleſiaſtica referente multas Eccleſias olim, nimirum circa tempora Nicænæ Synodi, ibi fundatas, pleroſque Epiſcopos pro confeſſione fidei martyrio coronatos, quam ex ſolita conjectura de Scripturis neceſſario habendis, juxta uniuſcujuſque populi vernaculum idioma: *Quum*, inquit, *tot inter Perſas eſſent Eccleſiarum principes, tantuſque Chriſtianorum numerus; quis credet ipſos Scripturas in propria lingua non habuiſſe? præſertim quum in omnibus fere gentibus hiſce temporibus, hoc in uſu fuerit*. Verum quod ſpectat antiquitatem Fidei Chriſti apud Perſas, ipſemet Waltonus fatur: nihil de generali hujus gentis converſione legi, ſicut & ex Hiſtoriis conſtare, nullum Regum Perſarum Chriſtianum fuiſſe; quamquam exploratum ſit ex Hieronymo in Chronico, aliiſque veteribus, perſecutionem in Chriſtianos Perſas excitatam fuiſſe a Sapore Rege Perſarum, anno ſeptimo Conſtantis, & Conſtantii Imperatorum; adeout inter Eccleſiæ perſecutiones locum quartumdecimum hæc teneat. Quod vero adtinet ad antiquitatem verſionis Perſicæ, memento nuper dicta num. 370.: antiquitatem fidei apud gentem aliquam, haud argumento eſſe, ut tuto inferatur par antiquitas verſionis Bibliorum, & maxime in Oriente, ubi primis Eccleſiæ temporibus Græca ubique vigebat,

(a) *Proleg.* XVI. §. 6. *p.* 420.

Digitized by Google

gebat, & conſecrabatur verſio Septuaginta. Nolo ſilentio præterire, quod hic, & alibi mihi objecto eſſe poſſet: ſi antiquitas fidei non ſecum ducet antiquitatem verſionis, cadent profecto, quæ in favorem verſionis Latinæ, ſuffragio plurimorum recentiorum eadem conjectura nitentium, ipſe adſerui num 250.; at levi momento id tibi erit, ſi obſerves, quod ubi ſolus Joannes Millius viſus eſt inficiari verſionem Latinam, ab aliquo vel aliquibus Chriſti, vel Apoſtolorum diſcipulo, vel diſcipulis elucubratam fuiſſe, e contrario vix unus, vel alter Criticorum ſuo calculo probat præconceptas opiniones Waltoni circa vetuſtiſſimam Orientalium verſionum ætatem. Inſuper quod Latina Bibliorum editio a primis fidei Chriſtianæ temporibus arceſſenda ſit, conſtat quoque Epiſtolis encyclicis, a primitivis Romanis Pontificibus Latino ſermone conſcriptis: item Auguſtinus conceptis verbis, quoad ea quæ ibi conſignavimus, nobis ſolatium præſtat: *Ut enim*, inquit (*a*), *cuique PRIMIS FIDEI TEMPORIBUS in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari*, ſemota tamen de verſione Perſica, Æthiopica, & conſimilibus præfata conjectura, quidne veteris firmique monumenti ſupererit Waltono? Adjecit utique: *De Perſica nominatim idem teſtantur Theodoretus, Hieronymus, & alii;* aſt ſi quæ loca fuerint, ubi Theodoretus, Hieronymus, aliique de antiquitate verſionum loquantur, ea profecto, quæ a Neotericis ſuſpectiſque Catholicis, ut probarent vernaculas verſiones apud veteres Chriſti Eccleſias in uſu fuiſſe, paſſim proferuntur, quæque fideliter Jacobus Le Long verbatim fideliterque percenſet in Præfatione Bibliothecæ Sacræ (*b*); ſed in præſentia cum eodem Le Long tantum dicere habeo: *Plurimas olim immo gentium pene univerſarum*

(a) *Lib.* II. *de Doctr. Chriſt. cap.* XI. *Tom.* III. *col.* 25. C.

(b) *Præfixa Tom. I. p.* XII. *ubi conſignat duo teſtimonia Joan. Chryſoſtomi, itidem Hieronymi, itidem Euſebii Cæſar., unum Theodoreti, Ven. Bedæ, Auguſtini, & Anaſtaſii Sinaitæ.*

Digitized by Google

rum vernaculas translationes extitiſſe , ex priſcis Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis , evincere contendunt quidam tam Catholici quam Proteſtantes . . . ; verum multo minore numero, quam quot ex his locis (veterum) *volunt inferri . Ad poſtrema denique teſtimonia deſumpta ex Euſebio Cæſar. & Anaſtaſio Sinaita ; ſed non inde conficitur , quod velle videntur illi Scriptores* (Catholici , & Proteſtantes) *quodque ratio credere non ſinit , nullam fingi poſſe nationem Chriſtianis imbutam doctrinis , in cujus idioma Textus ſacer non fuerit translatus . Qui hæc teſtimonia adducta attente legerint , meo de illis judicio , uti ſpero , ſubſcribent* . Et tandem loquens (*a*) de teſtimonio Theodoreti , ſubdit : *non agitur de Sacræ Scripturæ verſionibus , ſed de dogmatibus Chriſtianæ Religionis* (*b*).

373. Tametſi Waltonus loc. cit. nemine compellente , & præter morem fateatur , dubitari multum , an reliquiæ antiquæ verſionis Perſicæ hodie extent ; & inſuper minime diffiteatur verſiones Perſicas , quas jam habemus Pentateuchi , Pſalmorum , & Evangeliorum , recentiores eſſe ; at , ni fallor , eo magis inexcuſabiliter aberrare videtur , dum paulo ante ſtatuit : verſiones Scripturæ vel quarundam ejus partium , quæ in hac lingua Perſica extant , maxime utiles eſſe , & paulo poſt idipſum iterat : *Ex hujus* , inquit , *Paraphraſis cum aliis verſionibus collatione , multum utilitatis exurgere , facile perſpiciet lector Chriſtianus ; quum Textum Hebræum plerumque feliciter exprimat , veramque lectionem locique ſenſum conſenſu ſuo corroboret* . Et ſane , ſi Perſica quam hodie habemus recens eſt , quomodo tempore non abutemur , eandem conſulendo & conferendo cum aliis Contextibus , ad hoc ut veram lectionem , verumque ſenſum Hebræi eliciamus ? annon verſiones , ipſo pluries judice & teſte , quo antiquiores eo ſunt utiliores ; ut quid igitur operam perdere atque oleum circa Perſicam a recentio-

(a) *Cap.* II. *ſect.* III. *p.* 137. *col.* 2. *C.*
(b) *Conſule dicenda num.* 377. & 379.

tiore Judæo Jacobo Tavvoſo, ſive Tavuſio vel Tutio, confectam; quum pene innumerabilia nobis adſint exemplaria longe vetuſtiora atque exactiora Bibliorum, & quidem non ab inimicis crucis Chriſti conſarcinata, ſed adornata a viris doctis, & piis? Adde, quod non Interpretationem, ſed Paraphraſim ipſe vocat hujuſmodi Tavvoſi Perſicum pentateuchum: itaque quod huic tribuit, ſatius ſi tribuiſſet verſionibus religioſorum, ideſt Carmelitæ & Jeſuitarum (de quibus modo dicam) utpote qui non Paraphraſten, ſed Interpretem agunt. Dicit, Perſica Paraphraſis pentateuchi Textum Hebræum plerumque feliciter exprimit; at quid mirum ſi editori ad normam hodierni Hebræi eam efformare arriſit? ſubdit, *veramque lectionem locique ſenſum conſenſu ſuo corroborat;* at vel novitius dialecticus de aperto vitio circulatoriæ argumentationis Waltonum arguet: ſiquidem, idcirco commendavit Perſicam, quia feliciter exprimit Hebræum; modo contendit roborare integritatem Hebræi, quia Perſica cum Hebræo conſentit: vide quam patenter Hæreticus iſte ineptiat.

374. Sed magis inepta ſuperſunt. Quum quidam Luſitanus Carmelita nomine Petrus a Matre Dei, peritiſſimus, juxta Angelum de la Braſſe (*a*), linguæ Perſicæ in Civitate Sphahanenſi elaboraſſet verſionem Perſicam Pſalmorum, ſicut & aliam concinnarunt quidam Jeſuitæ; Waltonus (*b*) nedum paſſus eſt, vel unam iſtarum in ſua Polyglotta adoptare, ſed inſuper hiſce verbis eas taxat: *Plurimis erroribus & ſolœciſmis utraque ſcatet:* ſi cauſſam inquires, cur hujuſmodi theta illis adfixerit? *non ex Hebræo*, ſubdit, *fonte traducta, ſed ex Vulgata Latina, cujus veſtigia exacte premunt. Inter multos errores unum hunc nominare ſufficiat, qui nullo modo excuſari poteſt, ſed inſignem inſcitiam, vel oſcitantiam, vel audaciam Interpretis prodit pſal.* 138. *Juxta*

(a) *In Præfat. Pharmacopææ Perſicæ p.* 38.
(b) *Loc. cit.* §. 8. *p.* 421. *col.* 1.

ita Hebræum v. 15. *reddit Vulgata ut* 70. Non eſt occultatum os meum a te; *Perſici iſti Interpretes utrique ſolam Vulgatam conſulentes, illud* os, *non pro* oſſe, *ſed pro* ore *accipientes, ita Perſice reddiderunt ut Lectori riſum moveant.* Sed utinam & hæc ipſe fando ridiculum non ſe ſe exhibuiſſet: quandoquidem id penitus vitio vertit præfatis Interpretibus, propterquod ſunt laude digni, ac commendandi. Quum enim Romana Eccleſia conſtanti plurimorum ſeculorum uſu Vulgatam Latinam veteris Interpretis, & non hodiernum Hebræum pro germano Scripturæ Textu habuerit, idcirco non ex Hebræo, ſed ex Vulgata vetere Perſicam verſionem Pſalmorum jure merito illi reddiderunt; quinimmo ſi ſecus feciſſent, præter tot vitia, quæ ex hodierno Hebræo hauſiſſent, & pro Spiritus Sancti ſenſibus in ea verſione venditaſſent, judicio quoque Romanæ Eccleſiæ ſe ſe audacter oppoſuiſſent: ubi igitur Waltonus falſo laborat ſuppoſito, pro conceſſo tenens Hebræum hodiernum eſſe integrum, hodiernam Hebraico-Arabicam linguam eſſe medium idoneum ad ſtabiliendam genuinam lectionem, & Vulgatam ſpirare vitia, Interpretes illi ſententiam directe oppoſitam amica conſenſione erudite, pie, & facto commonſtrarunt. Veniam ad errorem, apud ipſum exiſtentem: eas quippe voces in Perſica verſione illi ſubſtituerunt, quæ fideliter reſpondebant Vulgatæ legenti: *Non eſt occultatum os meum*, præſcindendo ab eo quod denotet ſignificatum, vel *oſſis*, vel *oris*: quod plane adſulget non ex Perſicis characteribus, quæ pro ſuo arbitrio Waltonus eo loci conſignat, adfigitque illis; ſed ex autographis eorundem Interpretum, aut exactioribus exemplaribus: hoc primum forte mendacium erit, quod odio Vulgatæ, ejuſdemque ſuffragatorum Hæreticus iſte fabricarit? Ultraquamquod, tempore quo Perſicam præfati Religioſi elucubrarunt, adeo apud Latinos Commentatores perſpicuum erat, illud *os* ſumi debere pro *oſſe*, & non *ore*, ut nullimode opus habebant inſpectione Græcorum codicum, ut quibuſdam Auguſtini ver-

verbis (de quibus diſertius, atque commodius infra 543.) hoc in loco Waltonus ſuadere contendit.

375. Pro more tandem laudat verſionem Perſicam Evangeliorum Academiæ Oxonienſis, judicans omnium antiquiſſimam eſſe, atque optimam, ob idque ſuæ Polyglottæ inſeruit; ſed ut videas quam ſuſpectum ſit ejus judicium, quamque inutiliter præfatam verſionem ediderit, ex duobus aliis Criticis, quorum idem Waltonus non parvam rationem habet, eruere poteris. Thomas Gravius habet (*a*): *Perſicæ bujus interpretationis Auctor*, qui ex Syriaco Perſica evangelia tranſtulit, *interdum Syriacas voces, haud ſatis animadvertendo, hallucinatur, & impingit . . . Crebro liberius ſpatiatur, & Paraphraſten magis quam Interpretem agit, multa de ſuo explicationis cauſſa adjiciens . . . multa Evangelico Textui aſſuit & adjungit, quorum in Græcis & Syriacis codicibus, neque vola, neque veſtigium eſt*. Et Hottingerus (*b*) variis exemplis demonſtrat, Auctorem prædictæ verſionis interdum tam a Syriacis, quam a Græcis recedere, nonnunquam liberiorem eſſe, multa de ſuo addere, mutare nomina appellativa in propria, & vice verſa, phraſeſque Mahumeticas ad Chriſtianiſmum referre. Quibus non tantum erues, quid de Perſica verſione dicendum ſit, ſed inſuper quot innumerabilibus vitiis, inſignibuſque erroribus, tum quoad integritatem Scripturarum, tum quoad ſubſtantiam Religionis, Polyglotta Londinenſis ſcateat; quæ non alio ſcopo elucubrata fuit, niſi ut in ſolio ponerentur hodierni fontes, & Vulgata Sixti & Clementis, quoad auctoritatem intrinſecam, æquaretur illis etiam verſionibus, quorum Auctores non ſolum de Romana fide, ſed de eodem quoque Chriſto noſtro Servatore, peſſime ſentiebant. Jam intellexiſti, quomodo Waltonus pentateuchum a Tavuſio

(a) *Præfat. in variantes lectiones Perſ. apud Long Biblioth. Sac. cap.* II. *art.* II. *ſect.* I. *p.* 133. *col.* 2.
(b) *Diſſert.* III. *de Translat. Bibl. in ling. vernac. p.* 112. *& ſeqq.*

Digitized by Google

vuſio Judæo Perſice redditum laudibus proſequatur, ejuſdemque inſpectionem hortetur, ob id in ſua Polyglotta exponere minime præteriens; Perſicam vero Pſalmorum, a Catholicis viris elucubratam, accuſat, reſpuit, ludibrio habet, & quod mirum, neque per ſomnium recordatus eorum, quæ in Præfatione ejuſdem Polyglottæ utroque pollice conſignavit: *Judæi*, inquit ſub initium, *teſte Apoſtolo velamen habent ſuper corda ipſorum poſitum quum legitur Moſes, & in cortice hærent, ad medullam non penetrant, unde facti ſunt, ut loquitur idem S. Auguſtinus, bajuli, & capſarii noſtri, qui libros Veteris Teſtamenti pro nobis portant, & inſtar cæcorum, qui ſpecula polita manibus geſtant, in quibus alii multa vident, ipſi nihil*. Si hæc vera ſunt, uti PP. & Doctores Chriſtiani uno eodemque ore fatentur, cur poſtea eorundem Judæorum interpretationes & commentaria, tam in Prolegomenis, quam in Polyglotta magni facit, laudibuſque effert? Merito Romana Sedes iſthæc aliaque præ oculis habens, Waltonianam Polyglottam, ſex immanibus voluminibus conſtantem, & vix in lucem editam æternis tenebris damnavit.

§. VIII.

De antiquitate verſionis Copticæ ſive Ægyptiacæ, & Armenicæ.

376. Tametſi verſiones omnes Orientales plus æquo commendare Waltono ſtudio fuit, ut Riccardus quoque animadvertit, ſcribens (a): *Pro more eorum, qui quum aliquid aggrediuntur, ipſum præter modum commendant, ſic & Waltonus, qui veteres pleraſque Scripturæ verſiones edebat, impenſe admodum eas laudat;* de integritate autem, & auctoritate Copticæ, Armenicæ, cunctarumque minoris mo-

(a) *Lib.* III. *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. cap.* XXI. *p.* 103.

Digitized by Google

menti, nil penitus affirmare auſus eſt; ſed dumtaxat ſtuduit currenti calamo ſuadere vetuſtiſſimam antiquitatem, cui profecto non pauci ex Neotericis concinunt. Lingua Coptica alia non eſt, teſte Euſebio Renaudot (*a*), quam ipſa vetus lingua, qua Ægyptii utebantur, antequam Alexandri Magni ſucceſſores, qui linguam Græcam reddiderunt ibi familiarem & vulgarem, dominarentur. Porro non ſemel depromptum eſt, aduſque Hieronymianum tempus, verſionem Septuaginta Heſychii per Ægyptum conſecratam fuiſſe; atque ita ante ea tempora, nullimode excogitare valemus exiſtentiam verſionis Copticæ, ſive Ægyptiacæ. Namque Hebræi tantum, & non Ægyptii, ante adventum Servatoris divinis litteris navabant operam; poſtmodum conſtitutis per Ægyptum Chriſti fidelibus, Ægyptios proclivius, credendum eſt, verſionem Viralem excepiſſe, ut quæ in ſua inſula Pharos mirabilibus ſignis a ſenioribus, & ſtudio ſui clariſſimi Regis Ptolomæi Philadelphi, concinnata fuerat. Quo prælibato haud ſatis video, qua lege Waltonus (*b*) ſcribat: *Coptica ſive Ægyptiaca circa tempora Concilii Nicæni facta eſt*: & Riccardus (*c*): *Præſtat mea quidem ſententia, veteres Scripturæ verſiones Coptica lingua ſcriptas diligenter inquirere*.

377. Verum enim vero, quamquam Athanaſius Kircherus (*d*) ex quodam Martyrologio Coptico teſtetur, Copticam factam fuiſſe circa annum Chriſti 336.; Euſebius tamen Renaudot obſervat, plurima de Coptis a Kirchero conficta fuiſſe: *Hic*, inquit (*e*), *Auctor rerum Copticarum non fuit admodum gnarus, ejus proinde teſtimonio non facile credendum*: & ſane Coptica verſio Ægyptiis Græce tum loquen-

(a) *Lib.* I. *cap.* IX. *p.* 71. *De perpetuo Eccleſiæ conſenſu circa Euchariſt.*
(b) *Proleg. V.* §. 8. *p.* 269. *col.* 1.
(c) *Lib.* II. *Hiſt. cit. cap.* XVI. *p.* 88.
(d) *Cap.* VIII. *Prodr. Coptici cap.* CLXXXVI. *apud Le Long Bibl. Sac. cap.* II. *ſect. V. p.* 140. *col.* 2.
(e) *Apud Long cit.*

loquentibus, & Græca verſione utentibus neque neceſſitati neque utilitati erat, juxta id quod expoſuimus de Syriaca num. 331. Laudatur etiam in oppoſitum Joan. Chryſoſtomus, ut qui Homil. I. in Joan. teſtatur, Syros Æthiopes, Ægyptios, Indos, Perſas, & multos alios populos habere libros ſacros proprio idiomate deſcriptos; ſed quam inepte, ipſamet verba Chryſoſtomi rem manifeſtant: *Verum*, inquit (*a*) *Syri*, *Ægyptii*, *Perſæ*, *Æthiopes*, *&* *innumeræ aliæ gentes*, *DOGMATA ab hoc* (nempe S. Joanne Apoſtolo) *introducta*, *in ſuam transferentes linguam*, *homines barbari philoſophari didicerunt*. Non enim inquit, eos habere libros ſacros, ſive Biblia in ſuam linguam translata, ſed *dogmata*: ea ſcilicet lege, qua populi Eccleſiæ occidentalis, licet ſemper habuerint dogmata Chriſtianæ fidei ad ſuas peculiares linguas, e. g. Italicas, Germanicas, Hiſpanicas, Gallicas &c. traducta, verum nonniſi poſtremis ſeculis apparuere verſiones Bibliorum vernaculæ, & nequidem publico uſu expoſitæ; quoniam juxta Regulam IV. Indicis juſſu Concil. Triden. editi: nemo Catholicorum ſine licentia in ſcriptis Romani Inquiſitoris, vel proprii Epiſcopi, eas legere poteſt. Item opponitur Auguſtinus, qui in Proloquio Libr. de Doctrina Chriſtiana, refert de S. Antonio Abbate Ægyptio, intellexiſſe ſine ulla ſcientia litterarum Scripturas, & memoriter audiendo tenuiſſe; quod non aliter accidere potuiſſet, niſi quia Scripturas in linguam maternam jam traductas, audiverat; imperitus enim erat linguæ Græcæ. Quibus principio dicam, ex ſcopo adverſariorum ſequitur, verſionem Copticam præceſſiſſe ætatem D. Antonii, & per conſequens ſaltem initio tertii ſeculi fuiſſe editam, quum S. Abbas circa annum 255. hanc lucem viderit; quod equidem nullus ipſorum, quantum ſcio, hactenus adſeruit. Præterea, nemo veterum, eorum etiam qui Alexandriam Ægypti incoluere, ut Clemens Alexandrinus,

(a) *Loc. cit. Tom.* III. *col.* 7. *B.*

nus, Origenes, Gregorius Thaumaturgus, aliique, Copticam verſionem ſubodoratus eſt, quinimmo conſtat, Græce ſcripſiſſe, atque fuiſſe loquutos; ſicque ſine fundamento aſſeritur, Antonium Græcæ imperitum fuiſſe. Tandem adverſarii oſtendunt, non ſatis fuiſſe aſſequutos Aquilinam mentem; ſcopus Auguſtini eo tantum tendit, dari nimirum ſanctos viros, qui ſine præceptis tractandarum Scripturarum neceſſariis ſtudioſis earundem, habeant facultatem exponendi ſanctos libros ex ſolo magno Dei dono, inter quos unus fuit Antonius Ægyptius: *Nec*, ita pergit (*a*), *propterea eos qui de prædicto munere exultant ſibi ab Antonio S. & perfecto viro Ægyptio Monacho inſultari debere, qui ſine ulla ſcientia litterarum Scripturas divinas, & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe, prædicatur*: ex quibus nullimode eruitur S. Antonii temporibus extitiſſe Ægyptiacam verſionem.

378. PRO ANTIQUITATE verſionis Armenicæ Waltonus (*b*) citat Sozomenum lib. VIII. Hiſt. cap. XXII., Theodoretum lib. V. de curand. Græc. affectibus, Sixtum Senenſem, & Angelum Rocca, & fatur, elucubratam fuiſſe a S. Chryſoſtomo, quum in Armenia exularet. Joannes Joachaz Scrutetus (*c*) nixus eodem Theodoreti teſtimonio, necnon codicis Armeni Bibliothecæ Regiæ, qui *Sanctilogium* inſcribitur, adornatam dicit a Mieſrobo celebri Eremita, & diſcipulis ejus Joanne Ekelenſi & Joſepho Balnenſi, quod ineunte ſeculo V., mortuo Chryſoſtomo circa an. 410. evenit. Riccardus Simonius (*d*) editam a quibuſdam inter Armenos Doctoribus Græcæ linguæ peritiſſimis, præſertim a Moſe Grammatico dicto, & Davide Philoſopho, vel ut ipſi Armeni ſtatuunt, Auctorem fuiſſe quemdam Eremitam nomine Meſrop. Alii tandem ex Gregorio Alexandriæ Patriar-

(a) *Loc. cit. Tom.* III. *col.* 3. *A.*
(b) *Proleg. V.* §. 6. *p.* 269. *col.* 1.
(c) *Pag.* 160. *Diſſert. de antiquit. Ling. Armen.*
(d) *Lib. II. Hiſt. cit. cap. XVI. p.* 89.

Digitized by Google

triarcha (*a*), qui claruit anno Chriſti 620., referunt Chryſoſtomum novum Teſtamentum, & Pſalmos Davidicos in linguam Armenicam tranſtuliſſe. Hactenus noſtri Critici, quibus multi ex Doctoribus quoque Romanis, prætermiſſo rerum ſcrutinio, adſtipulati ſunt. Quæ igitur ex fontibus venatus ſum, fide ingenua proferam.

379. Ad Waltonum, Sozomenus (*b*) dumtaxat fert, Chryſoſtomum perductum fuiſſe Cucuſum Armeniæ cum reſcripto Imperatoris, quo illi jubebatur illic habitare; rei autem, de qua ſermonem tenemus, neque per umbram mentionem facit. Theodoretus non aliter certe tradit (*c*): *Hebraici vero Libri non modo in Græcum idioma converſi ſunt, ſed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Perſicam, Indicam, Armenicamque, & Scythicam, atque adeo Sauromaticam, ſemelque ut dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes utuntur*, atque inſtructus fuerat a ſuo clariſſimo præceptore Joanne Chryſoſtomo: porro ex nuper conſignatis liquet, non vernaculas verſiones Bibliorum, ſed dogmata Chriſtianæ fidei apud multas gentes, ex ſententia Chryſoſtomi, introducta fuiſſe. *Adde* Theodoretus præfata ſcripſit ſtudio probandi, quod univerſa terra referta erat Apoſtolica Propheticaque doctrina, adeout hujuſmodi dogmata non in uno terrarum loco, neque a ſolis Eccleſiæ Rectoribus & peritis pro veris tenebantur, ſed ubique gentium, & a ſutoribus quoque, fabris ferrariis, lanificibus, cunctiſque artificibus, quin a fœminis, ancilliſque, & pediſſequis, agricolis quoque, plantarumque conſitoribus, iis tandem deſerta loca incolentibus; quibus certe non quadrat adſertio vernacularum verſionum, a quarum lectione propter imperitiam litterarum arcebantur, bene vero poſitio Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ, quam iſta imperitorum

tur-

(a) *De vit. S. Chryſoſtomi Tom.* VIII. *edit. Savillianæ* §. 59.
(b) *Loc. cit. p.* 779. *B. apud Collect. Græcor. Script. edit. Colon. Agripp.* 1581.
(c) *Loc. cit. Tom.* II. *p.* 1094. *col.* 2. C.

turba, ex ore ſuorum Rectorum & aliorum, materna dialectu intelligebant. Integrum Theodoreti textum prætermitto exſcribere ne in longum abeam; quin potius hiſce magis confirmandis hæc alia Theodoreti malo exponere: *Noſtri*, inquit (*a*), *Piſcatores... cunctis nationibus LEGEM EVANGELICAM detulerunt. Neque ſolos Romanos quique ſub Romano vivunt Imperio, ſed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea Æthiopes, Perſas, Seras, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios, & Germanos, utque ſemel dicatur, omne hominum genus, nationeſque omnes induxerunt Crucifixi leges accipere, non armis uſi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Perſicæ violentia, ſed verborum ſuaſu, oſtenſa legum, quas prædicabant, utilitate*. Si ex teſtimoniis hiſce colligeretur antiquitas Armenicæ, ſicut & aliarum nationum, quarum Theodoretus recordatur, ejuſdem quoque antiquitatis forent verſio Bibliorum Germanica, & Britannica, quod nemo affirmare hactenus viſus eſt. Quidquod nonne Theodoretus Cyrenſem Eccleſiam, quæ eſt in Syria, gubernabat? Si autem verſio Syriaca ſuo tempore extabat cur Græcam viralem, & non illam ſuis Commentariis illuſtravit? cur in controverſiis, quas cum Hæreticis habuit, ſemper Viralem per teſtimonia aſſumpſit? De Sixto Senenſi & Angelo Rocca nihil reponendum duco, quum in præſentia agatur de re adtinente ad antiquam Hiſtoriam, quam circa a ſolis veteribus, ipſis Criticis adſertoribus & tutoribus (*b*), pendere tenemur.

380. Ad Schrutetum, prius hic debuiſſet liquatis momentis oſtendere antiquitatem & germanitatem illius codicis Armeniaci, & poſtea iſtius teſtimonio evulgare rem, cujus nullus penitus aliorum veterum probatorum Scriptorum,

(a) *Loc. cit. lib.* IX. *p.* 1117. *col.* 1. *A.*

(b) *Vid. num.* 210. & *Joannes Clericus volum.* III. *artis Crit. Epiſt. IV. p.* 128. *ſcribit:* Hinc jam liquet, ut uſui ſint Patrum ſcripta, primum diſtinguendum eſſe Hiſtoriam rerum geſtarum, quam ab illis ſolis petere poſſumus.

rum, recordatur. Riccardus non ab alio accepit Armenicam concinnatam fuiſſe a præfatis Moyſe & Davide, quam ab Armeno Epiſcopo Uſcam Dyuſchutano, hic didicit a Clemente Galano (*a*); quam vero frequenter Galanus iſte præjudicio Armenorum abreptus cancellos veritatis excurrerit, ipſe quoque Riccardus bene novit, dum loco citato prope finem affirmat: multa a Galano relata fictitia videri. Quod tandem ſpectat teſtimonium Georgii Patriarchæ reſpondeo cum Le Long (*b*): *Scriptor iſte juxta Photium præter Hiſtoriæ fidem narraſſe quædam viſus eſt. Conſtat etiam ex Palladii dialogo de vita Chryſoſtomi.* Et illuſtr. Thomas Milante (*c*): *Fabulas quamplurimas intexuiſſe Georgium ſinceris Chryſoſtomi actis, quum advertant omnes Critici, præcipue Cl. Savilius, id etiam teſtatur Photius* Codice 96. *Et ne ab Armenica bacce verſione pedem removeamus. Quis unquam modo mica rationis polleat, facile ſibi ſuadebit Chryſoſtomum per biennium fortaſſe Cucuſi commoratum, potuiſſe tam improbum adgredi opus, quum ibi exul manens, ad anguſtias uſque redactus, morbis, iiſque gravibus, oppreſſus ærumnis, & miſeriis in inclementi aere fatigatus ad mortem vix potuerit reſpirare?* Adde quod Georgius ducentis & amplius annis poſt Chryſoſtomi obitum abſque ullo veterum momento id ſcripſit, proindeque qua hominis malæ fidei ipſius teſtimonium flocci faciendum.

381. Ex dictis in hoc capite colliges *primo*, excepta ſola verſione Græca Septuaginta, & Latina vetere nullam aliam ante Hieronymi tempora extitiſſe dicimus vernaculam Bibliorum verſionem, ſed omnes paucis vel multis poſtea annis, aut ſeculis illuxiſſe; quamquam non denegarem vetus Teſtamentum Syriacum, ſive aliqualem ipſius partem circa Hieronymi tempora ſuſcepiſſe initia. *Secundo*, tamet-

(a) *In Hiſt. Conciliationis Armenæ Eccleſiæ cum Romana cap. VII. n.* 112.
(b) *Cit. ſect.* III. *p.* 136. *col.* 2. E.
(c) *In lib. IV. Biblioth. S. Sixti Senenſ. de operib. Chryſoſtomi Tom. I. p.* 415.

Digitized by Google

tametſi omnes populi orientales una cum fide receperint Dogmata Chriſtianæ doctrinæ propriis linguis expoſita, minime tamen ab eodem nimirum tempore verſiones ſuis linguis concinnatas. *Tertio*, licet in toto Oriente, Apoſtolorum ævo, Græcus ſermo ſonabat, id tamen non eſt ita intelligendum, quatenus dialectus verſionis Viralis cuique illarum regionum vernacula foret: indubium eſſe videtur, Græcam dialectum, quæ tunc apud Syros erat in uſu, diverſam fuiſſe ab ea, qua loquebantur Ægyptii, vel Æthiopes, vel Armeni, vel Perſæ &c. ac proinde una cum fide & dogmatibus fidei vernacula ſua lingua expoſitis, innotuere ſimul explicationes Scripturarum, quæ oretenus fiebant a Rectoribus, & aliis miniſtris, quibus incumbebat oves ſibi commiſſas inſtruere de rebus ad ſalutem ſpectantibus.

APPENDIX

De Textuum & Contextuum Biblicorum editionibus; ubi quoque de Manuſcriptis.

382. Bibliaci variantes codices quavis lingua conſcripti, & impreſſi, adeo hac noſtra ætate propagati ſunt, ut non amplius per hyperbolem, ſed vere dici poſſit, ſunt numero innumerabiles. Neque tot innumerabilium Biblicorum codicum ingenti varietate compugnantium hucuſque finis, quinimmo in dies longe amplius multiplicantur, mirumque in modum excreſcunt: taliter ut quum unuſquiſque videatur hodie ſibi habere aliquantulum peritiæ linguæ Hebraicæ vel Græcæ, etiamſi ſit profeſſione ſecularis uxore filiiſque oneratus, & de divina facultate ſcholaſtico-polemica vix, vel nullimode imbutus; adhuc ſtatim elato collo, audacter conſcendit Cathedram Moyſis, abſque populi ſuffragio in Magiſtrum ſe ſe erigit in Iſrael, & poſthabitis vel etiam perperam inſimulatis interpretationibus veterum Patrum, necnon lectionibus Vulgatæ, quam ſacroſancta Tridenti-

dentina Synodus calculo ſuo probavit ; contendit inſignem prætorem agere , minime dubitans pro genuinis Spiritus Sancti ſenſibus venditare , & commendare, quod pro libitu, & ſuo privato ſpiritu comminiſcitur . Quod vero omnem admirationem ſuperat illud eſt , quod hujuſmodi damnoſam agendi rationem haud referre verentur ad majorem Dei gloriam & ſuæ Sanctæ Eccleſiæ utilitatem , paſſim gannientes, eam inſervire ad eliciendos germanos Scripturæ ſenſus, ad religionem illuſtrandam , ad pietatem excitandam in animis, ad inflammandum bonarum ſacrarumque litterarum amorem & zelum . Hæc & alia longe majora audiet, qui verſaverit quatuordecim volumina inſcripta *Critici Sacri* , numeroſo procemiorum ambitu veluti ſatellitio præmunita ; in quibus præfationibus , quas plerique Hæretici ſuis operibus præfixerunt, tam affectato mos Rabbinicus in Scripturis litteraliter interpretandis refertur ad Dei gloriam, & incrementum Chriſtianæ Religionis , ut cuique viro cordato , aut riſum , aut ſtomachum moveat . Ea de re , ut cuique brevi ſermone innoteſcat quouſque pervenerit intemperantia Criticorum ; qui ab ortu Lutheranæ Hæreſis uſque hodie tot ediderunt varia Biblia , & Bibliorum annotationes litterales, quot neque pro decima parte quindecim præcedentia ſecula , quibus floruerat Eccleſia Chriſti occidentalis , pepererunt ; ut pariter affulgeat quantum varietas Biblicorum codicum detrahat Eccleſiæ Chriſti , operæ pretium duxi præcedenti capitulo hance appendicem aſſuere , incipiendo a monumentis quæ allegato Criticorum inducto abuſui refragantur.

§. I.

De monumentis quibus improbatur multitudo Biblicorum codicum inter ſe variantium.

383. Iſthæc profecto varietas multorum Biblicorum co-

dicum cauſſa fuit, ut Hieronymus improbis laboribus novam verſionem aggrederetur: *Verum*, inquit (*a*), *non eſſe quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda reſpondeant quibus? tot enim ſunt exemplaria pene quot codices*. Eadem varietas Damaſum excitavit, ut Hieronymo demandaret emendationem Scripturarum ad hoc, ut una vera emendataque Latina editione propoſita, tot aliæ diverſæ interpretationes, quæ tunc circumferebantur, tollerentur e medio: *Novum*, ita Damaſo Hieronymus reſpondebat, *opus me facere cogis ex veteri, ut poſt exemplaria Scripturarum toto orbe diſperſa quaſi quidam arbiter ſedeam: & quia inter ſe variant, quæ ſint illa, quæ cum Græca veritate conſentiant, decernam*. Auguſtinus quoque pro eadem Latinorum codicum multiplici varietate extirpanda, Hieronymum obſecrabat: *Deſidero interpretationem tuam . . . ut & tanta Latinorum interpretum, qui qualeſcumque hoc auſi ſunt, quantum poſſumus imperitia careamus* (*b*). Item: *Plurimum profeceris ſi eam Scripturam . . . Latinæ veritati reddideris, quæ in diverſis codicibus ita varia eſt, ut tolerari vix poſſit* (*c*). Hac pari lege Concilium Tridentinum inter tot variantes editiones, quas laſcivientes Critici evulgarant, ſolam Vulgatam veterem approbavit.

484. Omni tamen exceptione majus eſt teſtimonium Sixti V., qui rem totam diſertis verbis pulchre reſtaurat, quodque per extenſum exſcribere haud abs re futurum exiſtimo: *Callidiſſimus*, inquit (*d*), *ac nequiſſimus humani generis hoſtis, cujus invidia mortis aculeus, cujus ſuperbia peccandi magiſterium fuit, nullum non movit lapidem ut cæleſtem Divini verbi ſementem, quantum erat, aut naſcentem opprimeret, aut extirparet enatam, aut adultam vitiaret, id vero præcipue omni conatu, ac machinatione tentavit, ut ſacro-* rum

(a) *Præfat. ad Quat. Evang. quæ eſt reſponſio Hieronymi ad Damaſum.*
(b) *Epiſt.* LXXVII. *alias* XIX. *ad Hieron. cap. V. Tom.* II. *col.* 203. C.
(c) *Epiſt.* LXXXI. *olim X. ad eundem Tom.* II. *col.* 161. *D.*
(d) *In Bulla* Æternus ille &c. *ſuis Bibliis editis* 1590. *præfixa*.

Digitized by Google

rum quædam corruptiſſimæ Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas ſub pietatis figura deliteſceret, ac populis ſcoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte ſanies obtruderetur. Quumque non in Hæreticis tantum, ſed in Catholicis etiam quibuſdam, tametſi conſilio diſſimili, ſubortum ſit nimium quoddam nec plane laudabile ſtudium, & quaſi libido Scripturas Latine interpretandi: idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licet nihil tale cogitantes, ex hac ipſa tam incerta, ac multiplici verſionum diverſitate, & varietate ſumpta occaſione ſic miſcere omnia, ac in dubium revocare, & ſi fieri poſſet, rem eo perducere contendit, ut dum Scripturarum verbis diverſi interpretes aliam atque aliam formam ac ſpeciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videretur, ita ut hoc ſeculo valde timendum fuerit, ne in priſcum illud editionum Chaos rediremus, de quo B. Hieronymus inquit: apud Latinos tot ſunt exemplaria quot codices: & unuſquiſque pro arbitrio ſuo addidit vel ſubtraxit, quod ei viſum eſt; & utique non poteſt verum eſſe quod diſſonat... Quare huic morbo Sacroſancta Tridentina Synodus mederi cupiens, ſtatuit ut ex omnibus, quæ circumferuntur ſacrorum Librorum Latinis editionibus, ipſa vetus ac Vulgata, quæ longo tot ſeculorum uſu in Eccleſia probata eſt Editio, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat. Hæc autem Vulgata editio quum una eſſet, variis lectionibus in plures quodam modo diſtracta videbatur. Quarum licet quoad nonnullas, aut veterum codicum, aut Sanctorum Patrum invexiſſet auctoritas, plurimæ nihilominus, vel ex injuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impreſſorum imperitia, vel ex temere emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia, qui Eccleſiæ filii quum ſint, minus tamen Eccleſiæ Doctorum, quam Judæorum Rabbinis morem ſibi gerendum putarunt, vel demum ex Hæreticorum ſcholiis ad marginem

Digitized by Google

captioſiſque fallaciis obrepſerant. Et quamvis in hac tanta lectionum varietate nihil hucuſque repertum ſit, quod fidei & morum cauſſis tenebras effundere potuerit; verendum tamen fuit, ne creſcente magis ac magis in dies addendi, detrahendique temeritate, hæc probatiſſima Scripturarum editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum diſſentientium conſenſionem certiſſimam in rebus dubiis normam eſſe oportebat, pleriſque contra Schiſmatis, & Hæreſis inductio, dubitationum fluctus, involutio quæſtionum, diſcordiarum leges, & piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quod in Septuaginta Interpretum Græca editione B. Hieronymus, in Latina vero S. Auguſtinus olim accidiſſe commemorant. Hactenus celeberrimus Eccleſiæ Paſtor Sixtus V. qui quippe, ut ipſe vides

385. *Primo* tam ſtudium & quaſi libidinem interpretandi Latine Scripturas, quam editionem tot Biblicorum codicum a Vulgata vetere diſcriminantium potiſſimum adjudicat malorum omnium artifici Satanæ, qui Hæreticos excitavit, ac etiam nonnullos Catholicos, licet nihil tale cogitantes, ad tot Latinas verſiones fabricandas, ut cœleſtem Divini Verbi ſementem opprimeret, extirparet, vitiaret. *Secundo* teſtatur, hanc variantium verſionum multitudinem eo collimare, ut nihil certi, rati, firmi, aut inviolabilis auctoritatis ex Scripturis eruere valeamus. *Tertio* ſuo teſtimonio confirmat quod nuper ex ſententiis Hieronymi, Damaſi, Auguſtini, & Concilii Tridentini ſcopo deprompſimus. *Quarto* Copiam tot diverſarum interpretationum ortum duxiſſe ex eo quod ipſarum Auctores, ſive Hæretici, ſive Catholici majorem fidem adhibuerunt Judæorum Rabbinis, quam Doctoribus Eccleſiæ. *Quinto* oportet in Eccleſia Dei unam eſſe Scripturam authenticam, quæ ſit vinculum pacis, unitas fidei, nexus charitatis, diſſentientium conſenſio, certiſſima norma in rebus dubiis; ſicuti e contra multorum Bibliorum diverſitatem miniſtrare inductionem Hæreſis, & Schiſmatis, fluctus dubitationum, in-

vo-

Digitized by Google

volutionem quæſtionum, leges diſcordiarum, atque multiplicem implicationem piarum mentium. *Sexto* hanc fuiſſe cauſſam, iterat, ut Oecumenica Synodus Tridentina unicam & ſolam Vulgatam veterem ſuo calculo authenticam declaraſſet, necnon præcepiſſet emendatiſſimam illius impreſſionem; perpolita nimirum a mendis non quidem veteris interpretis, ut noſtri Critici garriunt, & a quo tam PP. Tridentini, quam inclytus Sixtus longiſſime abſfuerunt, ſed a vitiis, quorum paulo antea mentionem fecerat, nimirum *ex injuria temporum &c.* Non me fugit, Hæreticos potiſſimum Thomam Jameſium, Sixtinum Amama, Waltonum, quibus plurimi ex ſuſpectis Catholicis, quos inter Riccardus Simonius adſtipulati ſunt, de Bibliis hujus Pontificis, & de nuper laudato ejus Diplomate minus digne, ne dicerem male ſenſiſſe; ſed utrum præfati Nebulones nobis auctoritati eſſe debeant ipſe videas: bene noſcunt vaferrimi, ipſorum hypotheſim fuiſſe Sixto V. exoſam, immo conceptis verbis ab eodem obliteratam; item recole quæ obiter innuimus cap. Prodromo num. XXXIX., & tandem varietas & multitudo Bibliorum codicum etiam in Præfatione Bibliorum auctoritate Clementis VIII. editorum improbantur. *Nam*, ita pergit, *ut illud omittamus, quod ex recentibus editionibus non paucæ ad hæreſes hujus temporis confirmandas licenter detortæ videbantur: ipſa certe tanta verſionum varietas, atque diverſitas, magnam in Eccleſia Dei confuſionem parere potuiſſet. Jam enim hac noſtra ætate illud fere eveniſſe conſtat, quod S. Hieronymus tempore ſuo accidiſſe teſtatus eſt: tot ſcilicet fuiſſe exemplaria quot codices.*

386. Quid? Lutherus ipſe qui licet omni conatu ſtuduerit novas ex fontibus peregrinaſque verſiones introducere, accommodans cuilibet ſpiritui privato eandem facultatem interpretandarum Scripturarum, tamen volens nolens utroque pollice conſignavit (*a*): *Si diutius ſteterit Mundus ite-*

(a) *Apud Domin. Gravin. Lib.* IX. *Præſcript. controv.* XII. *art.* III. *pag.* 315. *col.* 1.

Digitized by Google

iterum neceſſarium erit, ut propter diverſas Scripturæ interpretationes, quæ nunc ſunt ad conſervandam fidei unitatem, Concilii (Tridentini) *decreta recipiamus*. Rurſus (*a*): *Quibus* (novis cumulatis verſionibus) *nihil proficitur, niſi quod diſſimilitudo & diſcrepantia lectionum memoriam legentium turbat, & ſtudium remoratur, & in multis locis incertiorem quam fuerat* (Vulgata, quæ eo tempore nonnullis ſcatebat mendis) *admittit*. Item (*b*): *Noſtra ætate tot ſunt Bibliorum verſiones, ut temporis ſucceſſione tam multa fortaſſe ſint Biblia, quam multi ſcioli in Hebraica lingua Magiſtros ſeſe profitebuntur, ubi nec finis, nec modus erit*. Hucuſque Lutherus. Prætereo tandem graviſſimum detrimentum illud, quod Eccleſiæ Dei obvenit ex tot variis non ſolum Latinis, ſed etiam vernaculis Bibliorum editionibus; adeout in quarta Regula Indicis juſſu Concilii Tridentini edita opus fuit diſponere: ut nemo ſine licentia Epiſcopi vel Inquiſitorum lectioni earundem vacaret; poſtmodum Clemens VIII. hujuſmodi facultatem omnibus Epiſcopis & Inquiſitoribus ademit, Romano dumtaxat Inquiſitori reſervando: & tandem Clemens XI. pleraſque propoſitiones, quæ ſuadent & commendant uſum vernacularum verſionum, ea ſolemni celeberrimaque Bulla *Unigenitus*, proſcripſit. Ex tot igitur liquatis monumentis reſtat de ingenti copia Bibliorum codicum a Vulgata correcta diſcordantibus, potius dolendum, utpote quæ nimis confert offundendis veritati Scripturarum tenebris, turbandis piorum fidelium mentibus, & ad diſcindendam tam unitatem Scripturarum, quæ ab uno eodemque Spiritu Sancto profectæ ſunt, quam unitatem fidei circa exiſtentiam Verbi Dei ſcripti, dum quiſque novitius interpres novam ſemper lectionem molitur obtrudere. Famoſum cavillum quo Critici ſuadent, varietatem lectionum nihil detrahere SS.Scripturis, & Eccleſiæ, exponemus n.431.

§. II.

(a) *Præfatione præfixa Tom.* III. *Latin. Wittembergenſi apud Gravin. cit.*
(b) *Apud Gravin. cit. contr. de Haret. verſion. pag.* 424.

§. II.

De numero linguarum in quas Scriptura verſa eſt, necnon Biblicorum codicum tam calamo, quam Typis quavis lingua editorum, juxta Longbianos elenchos.

387. Nec primus certe, nec ſolus Jacobus Le Long Bibliothecam codicum Biblicorum calamo, Typiſque quavis lingua deſcriptorum aggreſſus eſt. Jam prævere Joannes, vel potius Guilielmus Crovvæus presbyter Eccleſiæ Anglicanæ in ſuo Elencho *Scriptorum in ſacram Scripturam*, Joannes Hartley in catalogo Librorum, quem Londini edidit *1699*. Julius quoque Bartoloccius, Philippus Labbeus, aliique: inter omnes autem, qui hujuſmodi ſpartam ſuſcepere Le Long cæteris hactenus præſtat, quoniam laboribus non pepercit, ut eorum Bibliorum, quæ lucem adſpexerant aduſque annum 1721. (quo tempore, ut graviter conjicio, ſuam Bibliothecam abſolvit) quamquam non omnes editiones percenſeat, copioſius tamen & diſertius, quam allegati Auctores, recordaretur. Qua de re pro ſua virili collegiſſe, fatur (*a*), non ſolum præcipuos e manuſcriptis, ſed & omnes Typis mandatos codices Bibliorum, tum ex illis ipſis editionibus, quas vidit, & perſcrutatus fuit in locupletiſſimis Pariſianis Bibliothecis, tum ex plurimis earum, quæ pro celeberrimis & præclariſſimis in tota Europa habentur, tum ex Catalogis ſive evulgatis, ſive nondum editis, quorum copia a viris doctiſſimis ſibi facta fuit, tum ex catalogis officinarum, quos ſupra ducentos ſe verſaſſe dicit, tum tandem ex accuratiſſimis ac fide dignis ſcriptoribus, qui de ejuſmodi argumento, vel dedita opera, vel ex occaſione diligenter ſcripſerunt. Præterea (*b*) apponit indices, in quibus perſtringit ſummatim, quæ

(a) *In Præfat. ſub init. Tom.* I. *pag.* 7.
(b) *Verſus finem Tom.* I. *pag.* 536.

Digitized by Google

quæ per extenſum percenſet in corpore: hinc operæ pretium duco hujuſmodi indices fideliter exſcribere pro iis potiſſimum, quibus Longhiana Bibliotheca non adeſt, ſicque ſummatim ſaltem notitiam habeant Bibliorum quavis lingua editorum, de quibus ille luculenter ediſſerit, necnon experimento comperiant inſatiabilem Recentiorum moroſitatem.

SYSTEMA

388. *Linguarum & dialectorum, in quas verſa eſt Sacra Scriptura.*

LINGUÆ ORIENTALES

Hebraica & congeneres ſex Dialecti.

1 1 Hebraica.
2 2 Chaldaica.
3 3 Syriaca.
11 4 Samaritana.
12 5 Arabica.
13 6 Æthiopica.

Addas.

4 Perſica.
5 Turcica.
6 Armena.
7 Georgiana.
8 Coptica.
14 Malaica.
15 Malabarica.
16 Sinica.
17 Formoſana.

EUROPEÆ.

9 Græca vetus.
18 Barbaro-Græca.

Latina ejuſque quinque propagines.

10 1 Latina.
19 2 Gallica.
20 3 Hiſ-

Digitized by Google

20 3	Hiſpanica.	40 5	Romanenſes.
21 4	Gallica.		

Addas:

22	Pedemontana.	41	Rhetica.
23	Provincialis.	42	Valachica.
24	Catalana.		

Gothica ejuſque novem ſorores:

25 1	Gothica.	43 6	Danica.
26 2	Theutonica.	44 7	Suecica.
27 3	Saxonica.	45 8	Saxonica vetus.
28 4	Helvetica.	46 9	Anglica.
29 5	Belgica.		

Slavica & conſonantia idiomata:

30 1	Slavica.	47 4	Ruthenica.
31 2	Bohemica.	48 5	Croatica.
32 3	Polonica.	49 6	Venedica.

Aliæ linguæ Europeæ.

33	Iſlandica.	50	Hungarica.
34	Wallica.	51	Lithuanica.
35	Hibernica.	52	Lovatica.
36	Berrienſis.	53	Finnica.
37	Eſthonica.	54	Lapponica.

LINGUÆ AMERICANÆ.

38	Mexicana.	55	Virginiana.
39	Mixteca.	56	Braſiliana.

389. Iſtæ plane ſunt linguæ, in quas Le Long tradit Scripturam fuiſſe verſam; verum ſpectato indice ſequenti, quem ex eodem deſcribemus, dicendum in altero conficiendo eum fuiſſe lapſum: quandoquidem in iſto enumerantur linguæ 56., in altero tantum meminit Bibliorum vel partium 45. linguis editorum. Laudat quoque particulas Bibliorum in quaſdam linguas, quæ nuſpiam, nec publice, nec private deductæ fuerunt ad uſum: immo ex tot Bibliis quavis lingua conſcriptis, de quibus infra, nec una invenitur eo perpetuo probatiſſimoque uſu recepta, ac Vulgata Latina vetus, quam Romana Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus uſque hodie religioſe conſecrat. De uſu Bibliorum Orientalium, quid dicendum ſit, ſuperiori Capitulo innuimus: circa vernaculas verſiones Europeas, de populis, qui Romanam fidem profitentur, ſatis habeo dicere: Patres Tridentini quum experimento comperiſſent, ob hominum temeritatem plus inde detrimenti, quam utilitatis ex uſu vernacularum ſubortum fuiſſe, diſpoſuere hac ſuper re ut ederentur regulæ Indicis, quorum Patrum diſpoſitionem Pius IV. executioni mandavit, eandemque reſtaurarunt ſuis obſervationibus Clemens VIII., Alexander VII., & tandem Benedictus XIV. Prætereundum non eſt, inclytos Religioſiſſimos Hiſpaniarum Reges plurimum laudandos, ut qui Hiſpanicam verſionem Bibliorum non ſemel interdixerunt. Jacobus I. Rex Aragoniæ ſtatuit, ne quis ſuorum ſubditorum, ſive clericus, ſive laicus Scripturam vernaculo ſermone verſam haberet, ſed Epiſcopo loci tradendam, & contrafacientes tanquam de hæretica labe ſuſpecti punirentur. Ferdinandus Hiſpaniarum Rex ſub graviſſimis pœnis vetuit tum interpretationem Bibliorum in linguam Hiſpanicam, tum uſum ſi quæ reperirentur translata. Celeberrimus Minorita Cardinalis Ximenius pro extirpandis, & in futurum vitandis apud Hiſpanos vernaculis verſionibus fortiter ſtetit (*a*).

390.

(a) *Legeſis Le Long cap.* III. *art.* III. *ſect.* 1. *p.* 361. *& ſeqq.*

390. Quod Hæreticos ſpectat, tametſi vernaculis etiam utantur, nulla tamen Scriptura potiuntur, qua ſint contenti. Quædam eorum Eccleſiæ utuntur Bibliis Latinis Lucæ Oſiandri, maxime accommodatis ad verſionem Lutheri; aliæ verſione Latina elucubrata a Theologis Tigurinis; aliæ ea quam Tremellius & Franciſcus Junius ſcholiis illuſtrarunt; aliæ laudant Gallicam verſionem Roberti Petri Olivetani; aliæ ejuſdem Olivetani, ut a Calvino, vel poſterioribus Calviniſtis recognitam; aliæ conſecrant Germanicam Lutheri, & iſtam neque eodem modo: quibuſdam placet Lutherana verſio ad recognitionem Theologorum Wirtembergenſium, quibuſdam juxta emendationem Theologorum Wirtembergenſium, quibuſdam juxta Joannem Draconitidem, aliis ſecundum Joannem Saubertum, ecquis poterit brevi ſermone complecti tot variantes verſiones Bibliorum, quibus Hæretici uſi ſunt, & in dies ſemper alterant, alternantque? *In dies* inquam: quoniam ſi ſolam Anglicanam Eccleſiam ſpectes, invenies primo, ex eo tempore quo a Romana fide defecit, Biblia Anglico ſermone expreſſa, editaque a Riccardo Taverner, in ſingulis illis Parochiis Regis mandato fuiſſe lecta; inde in eiſdem Eccleſiis palam uſurpatam verſionem Anglicam Joannis Rogerii ſub ficto nomine Thomæ-Matthæi, & verſionem Coverdalii; tertio verſionem elaboratam a Cuthberto Tunſtallo Dunelmenſi, & Nicolao Heato Roffenſi; paulo poſt, Ordinum decreto Regia auctoritate ſancito, omnes præfatas verſiones nulla excepta fuiſſe prohibitas. Henrico mortuo denuo uſurpatam editionem Tunſtalli, & Heati; initio Regni Eliſabethæ receptam editionem vulgo *Epiſcopalis*, in quantum condita fuit ab Archiepiſcopo Cantuarienſi Parkero cum aliis Epiſcopis; acceſſit tandem tempore Jacobi I. editio Regia a 47. viris ad hoc deputatis, & variis claſſibus diſtributis elucubrata, probataque in Conventu Dordraceno, quamque Angli vocant *Biblia Regia*, & de

qua Waltonus (a) ſic lenocinatur: *Inter omnes* (Europeas) *eminet Anglicana Jacobi Regis auſpiciis, collatis multorum virorum Doctorum ſtudiis, elaborata* (b), nec etiam excipiendo eam veterem Latinam, quam alibi laudibus ipſe quoque proſequitur. Haud aliter ſe ſe gerunt Calviniani Gallici, qui quippe ab anno 1535. ad uſque 1560. quater, novis recognitionibus, vel melius, conſtuprationibus ſua Biblia immutarunt: conſequenter licet permultis in linguis Bibliaci codices reperiantur & celebrentur, tamen ex tot indecoris vacillationibus, quibus Novatores fluctuant, plane (& ſi alia momenta abeſſent) eruitur, nihil integritatis, nihilque auctoritatis eorum verſiones habere, niſi in quantum cum Vulgata noſtra concordent.

I N D E X.

Codicum Biblicorum, tam calamo, quam Typis exſcriptorum in priori ſyllabo Jacobi le Long contentorum.

391. *Hebraici MSS. Biblia 61. Pentat. 35. Partes 36. Nov. Teſt. 4. Partes Nov. Teſt. 6. ſumma 142. Libri editi. Biblia 97. Pentat. 75. Pſalt. 8. aliæ partes 90. Nov. Teſt. partes 16. ſumma 286.* Ut iſthæc facilius aſſequaris necnon ſequentia, hac lege intelliges. Ipſi Le Long innotuit in variis per Europam Bibliothecis reperiri integra Biblia Hebraice MSS. numero 61. Præter hujuſmodi Biblia inveniri codices MSS. Hebraice ſolius Pentateuchi numero 35., ſicuti diſtinctarum partium veteris Teſtamenti n. 36. Quoad novum vero Teſtamentum integrum, Le Long meminit quatuor codicum MSS.; quoad partes ejuſdem Nov.

Teſt.

(a) *Proleg. V. in fine p. 270. col. 2.*

(b) *Is cui oblectamento erit penitius intelligere hance Anglorum inſtabilitatem, quoad uſum publicum & privatum Bibliorum, adeat num. XXIV. & XXV. Reſponſionis Apologeticæ, quam paucis ab hinc menſibus Italo ſermone edidimus.*

Digitized by Google

Teſt. citat ſex codices. Pergit inde deſcribens numerum editionum, ſubditque: ***Libri editi Biblia*** *97.*, hoc eſt, integra Biblia Hebraica fuiſſe nonagies ſepties, aduſque tempus, quo ipſe ſcribebat, variis temporibus, locis, & diverſorum eruditorum curis, procuſa. Item ſolum Pentateuchum Hebraice excuſum ſeptuagies quinquies. Solum Pſalterium Hebraicum octies impreſſum. Et quamvis integrum novum Teſtamen. nuſpiam Hebraice Typis mandatum detexerit, facta tamen enumeratione earum partium ejuſdem Nov. Teſt. quæ nonnumquam, aut eædem, aut diverſæ fuerunt cuſæ, conſtat reperiſſe ſexdecim impreſſiones partium Nov. Teſt. Hebraice. Porro ex his deduces ſummam codicum Hebraicorum MSS., qui in Longhiana Bibliotheca commemorantur eſſe 142. Editorum, ſive editionum, ut modo dixi, 28*6*. Summa omnium 428. Tandem Bibliis in hoc indice contentis ipſe adjiciam locum, & tempus primæ impreſſionis; quemadmodum Biblia Hebraica primum edita ſunt Venetiis an. 14*66*.

2. ***Hebræo-Samaritani MSS.*** 1*6*. ***Samaritani MSS.*** 1. ***Partes editæ*** 1. Summa 18. Pariſiis anno 1*6*32.

3. ***Chaldaici MSS.*** 5. ***Partes editæ*** 21. Summa 2*6*. Hebraica Rabbinica primo edita Venetiis 1518.

4. ***Syriaci MSS. Biblia*** 10. ***Pſalt.*** 15. ***Part. Vet. Teſt.*** 8. ***Nov. Teſt.*** 5. ***Part. Nov. Teſt.*** 27. ***Summa MSS.*** *6*5. ***Libri editi Part. Vet. Teſt.*** 7. ***Partes Nov. Teſt.*** 28. ***Summa*** 35. Summa MSS. *6*5. Editorum 35. Omnium 100. Quoad Nov. Teſt. Viennæ 15*6*2. Quoad partes Vet. Teſt. Pariſiis 1*6*55. Integra Londini 1*6*57.

5. ***Arabici MSS. Biblia*** 5. ***Pentat.*** 30. ***Pſalt.*** 34. ***Part. Vet. Teſt.*** 1*6*. ***Nov. Teſt.*** 4. ***Evangelia*** 30. ***Part. Nov. Teſt.*** 14. ***Summa*** 133. ***Libri editi. Biblia*** 2. ***Part. Vet. Teſt.*** 7. ***Part. Nov. Teſt.*** 14. ***ſumma*** 23. Summa MSS. 133. Editorum 23. Omnium 15*6*. Primo edit. quoad Pſalt. Romæ 1*6*14. quoad alios libros Pariſ. 1*6*45. integra Romæ 1*6*71.

6. ***Æthiopici MSS. Part. Vet. Teſt.*** 8. ***Pſalt.*** 1*6*. ***Part.***

Nov.

Nov. Teſt. 13. *ſumma* 37. *Libri editi Part. Vet. & Nov. Teſt.* 16. Summa omnium 53. Romæ quoad Pſalt. & Cantic. 1513. quoad Epiſt. Pauli ibid. 1549.

7. *Perſici MSS. Partes Vet. Teſt.* 17. *Pſalt.* 7. *Part. Nov. Teſt.* 12. *ſumma* 36. *Libri editi* 3. Summa omnium 39. Quoad Pentateuc. Conſtantinop. 1546. Evangelia Londini 1652.

8. *Turcici MSS. Biblia* 3. *Pentat.* 1. *Pſalt.* 1. *Evang.* 1. *ſumma* 6. *Libri editi Nov. Teſt.* 1. Summa omnium 7. Oxonii 1666.

9. *Armeni MSS. Biblia* 1. *Pſalt.* 5. *Evang.* 3. *Acta Apoſt.* 1. *ſumma* 10. *Libri editi. Biblia* 2. *Pſalt.* 8. *Abdias* 1. *Nov. Teſt.* 2. *ſumma* 13. Summa omnium 23. Quoad Pſalt. Romæ 1565. Integra Amſtelodami 1668.

10. *Iberici* ſive Georgiani *MSS. Evangelia* 2.

11. *Coptici MSS. Pentat.* 5. *Pſalt.* 10. *Part. Vet. Teſt.* 4. *Nov. Teſt.* 2. *Evang.* 15. *Part. Nov. Teſt.* 17. *ſumma* 53. *Libri editi Nov. Teſt.* 1. Summa omnium 54. Pſalt. Lugduni 1663. Nov. Teſt. Oxonii 1716.

12. *Malaici editi. Geneſ.* 1. *Nov. Teſt.* 1. *Evang.* 4. *ſumma* 6. Quoad Evangelia Enchuſæ 1629. quoad Geneſ. Amſtelodami 1662.

13. *Malabarici editi. Nov. Teſt.* 1. Tranquebare in litore Coromandeli 1714.

14. *Finnici MSS.* 2. *Part. editæ* 3. Summa 5. Quoad Pſalt. Pariſiis 1686.

15. *Formoſani editi Evangel.* 1. Amſtelodami 1661.

16. *Græci MSS. Biblia* 18. *Octateuchus* 22. *Part. Vet. Teſt.* 70. *Pſalt.* 82. *Nov. Teſt.* 42. *Evangelia* 172. *Part. Nov. Teſt.* 100. *ſumma* 506. *Libri editi. Biblia* 15. *Pſalt.* 31. *Part. Vet. Teſt.* 30. *Nov. Teſt.* 230. *Part. Nov. Teſt.* 10. *ſumma* 316. Summa omnium 522. Quoad Pſalt. Venetiis 1486. quoad Nov. Teſt. Baſileæ 1516. Integra Biblia Venetiis 1518.

17. *Barbaro-Græci editi Job* 1. *Nov. Teſt.* 3. *ſumma* 4. Quoad

Quoad Job Conſtantinopoli 1576. quoad Nov. Teſt. Genevæ 1638.

18. *Latini Italici MSS. Nov. Teſt.* 3. *Editi Vet. Teſt.* 1. *Part.* 1. *Nov. Teſt.* 3. *ſumma* 8.. *Latini MSS. Biblia* 85. *Part. Vet. Teſt.* 8. *Pſalt.* 18. *Nov. Teſt.* 9. *Evangelia* 58. *Part. Nov. Teſt.* 9. *ſumma* 187. *Libri editi. Biblia Vulgata* 387. *Part. Vet. Teſt.* 8. *Pſalt.* 37. *Nov. Teſt.* 92. *Part. Nov. Teſt.* 15. *ſumma* 536. Summa editorum 539. Omnium 726. Moguntiæ 1462.

Latina a Proteſtantibus edita. Biblia 96. *Part. Vet. Teſt.* 22. *Nov. Teſt.* 12. *Part.* 1. *ſumma partium* 35. Summa omnium 131. Norimbergæ 1522.

Latini ex Libris Orientalibus MSS. 14. *Libri editi. Biblia* 55. *Pſalt.* 76. *Part. Vet. Teſt.* 80. *Part. Nov. Teſt.* 5. Summa omnium 230. Lugduni 1528. *Latini ex Græco editi. Biblia* 2. *Part. Vet. Teſt.* 12. *Nov. Teſt.* 82. *Partes Nov. Teſt.* 9. Summa omnium 105. Compluti 1517.

Latini ex German. editi. Partes Vet. Teſt. 4. *Nov. Teſt.* 1. *ſumma* 5. Magdeburgi 1538.

19. *Gallici MSS. Biblia* 25. *Partes Bibliæ* 25. *ſumma* 50. *Libri editi. Biblia Catholicorum* 84. *Pſalt.* 46. *Partes Vet. Teſt.* 15. *Nov. Teſt.* 130. *Part. Nov. Teſt.* 6. Summa omnium 331. Pariſiis 1487.

Gallici editi a Calviniſtis. Biblia 123. *Part. Vet. Teſt.* 22. *Nov. Teſt.* 101. Summa omnium 255. Neocomi 1535.

20. *Italici MSS.* 9. *editi. Biblia Catholicorum* 36. *Part. Vet. Teſt.* 21. *Nov. Teſt.* 10. *Part. Nov. Teſt.* 3. Summa omnium 79. Venetiis 1471.

Italici editi Calviniſtarum. *Biblia* 2. *Part. Vet. Teſt.* 3. *Nov. Teſt.* 10. Summa omnium 15. Genevæ 1562.

Italici Judæorum. *Partes Vet. Teſt.* 2. Nondum donatæ Typis.

21. *Caſtellani* (ſive Hiſpanici) *MSS.* 2. *Partes Catholicorum* 14. *Biblia Calviniſtarum* 2. *Part. Bibliorum* 9. *Biblia Judæorum Part.* 4. Summa omnium 31.

22.

22. *Luſitani editi*. Part. 3. Amſtelodami 1681.

23. *Provinciales* (Pedemontani) *MSS.* 6. *Catalani MSS.* 4. Summa 10.

24. *Valentini editi*. *Biblia una*.

25. *Rhetici* (ſive Griſonum) *editi Biblia* 2. *Part. Vet. Teſt.* 2. *Nov. Teſt.* 4. Summa omnium 8. Schuol vici Engadinæ inferioris 1657.

26. *Vallachi* (Barbaro-Romani) *editi*. *Nov. Teſt.* 1. Belgradii 1648.

27. *Gothici MSS.* 3. *Libri editi* 2. Summa 5. Amſtelodami 1684.

28. *Theutonici* (Germanici) *MSS. Biblia* 5. *Pſalt.* 9. *Part. Nov. Teſt.* 5. *ſumma MSS.* 19. *Libri editi*. *Biblia Catholic.* 46. *Pſalt.* 7. *Part. Vet. Teſt.* 2. *Nov. Teſt.* 17. *Part. Novi Teſt.* 2. Summa omnium 93. Norimbergæ 1477.

Biblia Lutheri 213. *Part. Vet. Teſt.* 45. *Nov. Teſt.* 78. *Part. Nov. Teſt.* 5. Summa omnium 341. Decem annorum ſpatio ab anno ſcilicet 1522. ad an. 1532. dialecto Miſnica Lutherus totam Bibliam elucubravit, Typiſque Wittemberg mandavit.

Biblia (Germanica) *Calviniſt.* 46. *Part. Vet. Teſt.* 7. *Nov. Teſt.* 32. Summa omnium 85. Neoſtadii 1579.

Biblia (Germanica) *Socinian.* 2. *Part. Vet. Teſt.* 2. *Nov. Teſt.* 2. Summa omnium 6. Vormatiæ Vangionum 1529.

Biblia (Germanica) *Judæorum* 5. *Part. Vet. Teſt.* 23. *Nov. Teſt.* 3. Summa omnium 31. Pragæ 1674.

29. *Saxonici editi*. *Biblia Catholic.* 3. *Part. Vet. Teſt.* 1. *Biblia Lutheri* 20. *Part. Vet. Teſt.* 5. *Nov. Teſt.* 9. Summa omnium 38.

30. *Belgici MSS.* 5. *Biblia Catholic.* 24. *Pſalt.* 3. *Nov. Teſt.* 30. Summa omnium 62. Coloniæ 1475. *Biblia Calviniſt.* 78. *Pſalt.* 1. *Nov. Teſt.* 131. Summa omnium 210. Amſtelodami 1527.

31. *Danici editi*. *Biblia* 7. *Part. Vet. Teſt.* 11. *Nov. Teſt.* 9. Summa omnium 27. Haſniæ 1550.

32.

Digitized by Google

32. *Suecici editi. Biblia* 16. *Pſalt.* 6. *Nov. Teſt.* 5. Summa omnium 27. Holmiæ 1541.

33. *Anglofaxon. MSS.* 28. *Part. editæ* 4. Summa 32. Oxoniæ an. 1699.

34. *Anglici MSS. Biblia* 15. *Vet. Teſt.* 7. *Part. Vet. Teſt.* 8. *Pſalt.* 13. *Nov. Teſt.* 29. *Part. Nov. Teſt.* 4. *ſumm. MSS.* 76. *Libri editi. Biblia Catholic.* 2. *Pſalt.* 1. *Nov. Teſt.* 5. *Biblia Proteſtantium* 136. *Part. Vet. Teſt.* 14. *Nov. Teſt.* 26. Summa omnium 260. Biblia Catholicorum cuſa Duaci 1609. Proteſtant. Londini 1535.

35. *Scotici MSS. Pſalt.* 1.

36. *Slavici Biblia Catholic.* 10. *Part.* 8. *Biblia Proteſt.* 16. *Part. Bibliæ* 34. *Biblia omnia* 26. *Partes omnes* 42. Summa omnium 68. Quoad Pſalt. Venetiis 1561.

37. *Islandici* (Runici) *editi. Biblia* 2. *Nov. Teſt.* 2. Summa 4. Hollumii Islandorum 1544.

38. *Vallici* (Britannico-Cambrici) *editi. Biblia* 6. *Part. Bibliæ* 2. Summa 8. Londini 1588.

39. *Hibernici MSS.* 4. *Libri editi. Biblia* 2. *Nov. Teſt.* 2. Summa 8. Londini 1685.

40. *Lithuanici editi. Biblia* 1. Londini 1660.

41. *Lettici editi. Biblia* 1. Rigæ Livonum 1689.

42. *Finnonici editi. Biblia* 2. *Nov. Teſt.* 1. Summ. 3. Holmiæ 1648.

43. *Lappici editi Part. Nov. Teſt.* 3. Holmiæ 1648.

44. *Hungarici editi. Biblia* 5. *Part. Bibliæ* 3. Summ. 8. Viennæ Auſtriæ an. 1628.

45. *Virginiani editi. Biblia* 3. *Nov. Teſt.* 1. Summa 4. Cantabrigiæ in Nova Anglia 1663.

392. Ex ſuperiori Bibliorum calamo Typiſque exſcriptorum enumeratione, ſi falſus non fuero, eruitur in Bibliotheca Jacobi Le Long percenſeri codices MSS. 1414. Biblia edita integra 1533. Partes Bibliorum Typis exaratas 1805. Quæ omnia ſimul ſumpta conficient numerum 4752. Iſti inquam ſunt Bibliaci codices, quorum Le Long men-

tionem facit; cæterum ſi cui viro docto menti occurreret venari alios, qui Jacobum Le Long latuere, & eos etiam ab anno 1721. uſque hodie editos, arbitror præfatum virum exantlato labori defuturum, & quod nuper dicebamus facto probare, ingenuaque fide fateri: adeo hac noſtra ætate variantium Bibliorum codices ingenti multitudine eſſe auctos, ut reapſe ſint numero innumerabiles.

§. III.

De præcipuis Polyglottis Typis editis.

393. Quid Polyglottarum nomine veniat alibi innuimus (*a*), quibus addo, quod Diglotta ſignificat Polyglottam exponentem Scripturæ Textum duabus linguis, Triglotta eundem exhibet tribus linguis, Tetraglotta quatuor linguis, Pentaglotta quinque linguis, Hexaglotta ſex linguis, Heptaglotta ſeptem linguis, Octaglotta octo linguis: quo præmiſſo, *Polyglotti*, ita Le Long initio prædicti Indicis, *Libri MSS.* 10. *Libri editi*. *Biblia* 8. *Partes Vet. Teſt.* 22. *Pſalt.* 16. *Nov. Teſt.* 15. *Partes Nov. Teſt.* 15. *Summa* 86. Quatuor tamen præ cunctis ſunt celebriora Polyglotta Biblia Typis edita, Complutenſia, Antuerpienſia, Pariſiana, & Londinenſia.

394. POLYGLOTTA COMPLUTENSIA ſic dicta a Civitate Complutenſi, ubi lucem publicam adſpexerunt anno 1517.: nuncupata pariter Polyglotta Ximenii, quum nonniſi ſtudio, induſtria, & ſumptibus prodierit F. Franciſci Ximenii de Ciſneros, ob præclaram doctrinam & morum candorem, Cardinalis Presbyteri S. R. Eccleſiæ, Hiſpaniarum Primatis, Regnorum Caſtellæ Archicancellarii, & Archiepiſcopi Toletani. Hæc itaque Polyglotta exhibent Textum Hebraicum, Chaldaicum quoad Pentateuchum

(a) Cap. III. n. 215.

chum tantum, Textum Græcum, aſſuta unicuique ſua Latina interpretatione, & Vulgatam Hieronymi, quam ante Concilium Tridentinum Eccleſia Romana in lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & officiis conſecrabat. In Primo Prologo ad Leonem X. præfixo primo Tomo operis, teſtatur maximam ſui laboris partem potiſſimum fuiſſe in adhibendis caſtigatiſſimis omni ex parte vetuſtiſſimiſque exemplaribus Hebraicis, Latinis, & Græcis, non ſine ſummo labore undique conquiſitis etiam ex ipſa Vaticana Bibliotheca, & ex codice (*a*) caſtigatiſſimo Beſſarionis, cujus copiam ſumma diligentia tranſcriptam Illuſtriſs. Venetorum Senatus ad ipſum miſit; adhibitis quoque ſelectiſſimis viris in linguarum cognitione eminentiſſimis, nimirum (*b*) Demetrio Cretenſe natione Græco, Antonio Nebriſſenſe, Lopide Aſtuniga, Ferdinando Pintiano, Alphonſo Complutenſe, Paulo Coronello, Alphonſo Zamora, & Joanne Vergara. Horum virorum ſtudium, atque vere gravis labor duravit ab anno 1502. uſque ad 1517., *ut pene*, libet ex eodem cit. mandato iſthæc exſcribere, utpote ſcitu jucunda, *cum Ximenii vita finem quoque editio ſuſceperit. Ubi ſi per partes narrandum eſſet quantum laboris exhauſtum ſit, quantum tædii & faſtidii devoratum a viris illis operi præfectis, in exemplaribus excutiendis, quamque multiplici & ardua negotiorum mole Ximenius interim alio evocaretur, nimium profecto in iis dicendis immoraremur. At illud unum quod ad impenſas a Ximenio... factas pertinet, reticendum nequaquam eſt. Septem Hebræa exemplaria, quæ nunc Compluti habentur, quatuor millibus aureorum ex diverſis regionibus ſibi comparaſſe... Ut interim de Græcis & Latinis taceam, quorum illa ab Urbe Romana, hæc tum ex peregrinis locis, tum ex variis in Hiſpania Bibliothecis ab octingentis fere annis cha-*

(a) *Iſtud refert Prologo* II. *ad Lectorem*.
(b) *Ad relationem mandati Franciſci Epiſcopi Abulenſis apud* Le Long *cap*. I. *pag*. 11. *col*. 2. *A*.

Digitized by Google

racteribus Gothicis ſcripta magnis ſumptibus Complutum ſunt delata. Jam vero Chalcographorum & Scribarum ſalaria, doctorum hominum non vulgaria præmia, mercedes internuntiis propoſitas, quibus ad codices vetuſtos adipiſcendos utebatur... & mille alia, quæ longum eſſet referre, ſi bene quis ratione ſubducta numeret, quinquaginta millium aureorum, & amplius ſummam conficiet; quod & majores natu frequenter dicere audivi.

395. Vitium contradictionis, quo paſſim Simonius laborat adfingit (*a*) Ximenio, ut qui modo præfert Vulgatam Latinam Textui Hebræo & Græco, dum (*b*) ad ſimilitudinem Jeſu Chriſti, qui in cruce pendebat inter duos latrones, ita Latinam Hieronymi inter Hebræum & Græcum in ſua Polyglotta collocare exiſtimavit (*c*): modo eandem poſtponit quum judicavit expediens eſſe, ut originalia Scripturæ vulgarentur & ederentur, quoniam nulla extat verſio, quæ perfecte illa repræſentare valeat, & inſuper in dubiis depravatæ lectionis Latinæ, exemplo Hieronymi, Auguſtini, aliorumque Patrum concedit conſulendum eſſe Hebræum, inquiens (*d*): *Quum uniuſcujuſque idiomatis ſuæ ſint verborum proprietates: quarum totam vim non poſſit quantum libet abſoluta traductio prorſus exprimere: tum id maxime in ea lingua accidit, per quam os Domini loquutum eſt*. Et inſuper: *Accedit quod ubicunque Latinorum codicum varietas eſt: aut depravatæ lectionis ſuſpicio... ad primam Scripturæ originem recurrendum eſt: ſicut B. Hieronymus & Auguſtinus ac cæteri Eccleſiaſtici tractatores admonent*. Verum ſi bene perpendes hæc Ximenii teſtimonia, ſicut neutrum Vulgatæ veteris præferentiam elevat, ita ab inconſtantia qua perperam inuritur, vindicatur. Prioribus verbis, ut ipſe vides, ſolummodo exagerat inſpectionem fontium ad hoc ut plures ſenſus ex ori-

(a) *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. in Catalogo præcipuar. edition. p.* 129.
(b) *Prologo ad Lectorem*.
(c) *Conſule verba Ximenii a nobis relata cap.* 1. *num.* 37.
(d) *Prologo ad Leonem* X.

Digitized by Google

originalibus eruamus, quam utilitatem jamdudum bene agnovimus abſque eo quod nobis obſtet (*a*), aut Ximenio; verbis poſterioribus potius damnat hypotheſim ejuſdem Riccardi aliorumque Criticorum; quandoquidem ad voluntatem & morem veterum Patrum Ximenius affirmat, tunc recurrendum eſſe ad originalia, ubi dubium ineſt de depravatione alicujus loci verſionis Latinæ, & inſuper quoad eundem locum Latini codices varient; quam rectam agendi rationem præ oculis habuerunt quoque Patres Tridentini, & Correctores Romani ex mandato Sixti V. (*b*). At noſtri Critici contendunt transformare Vulgatam ad normam hodiernorum fontium ubicunque ab iſtis diſcrepet, tametſi Latini codices conveniant ad invicem: quaſi quod quotieſcunque, & ubicunque deprehendatur ab hodiernis fontibus Vulgatam diſcrepare, ſive Latini codices varient ſive non, toties & ibi credendum fore, atque tenendum eam vitiis ſcatere, ſicque corrigendam: quo quid falſius, quid abſurdius, quidve ineptius ſatis claret ex dictis, ſatiuſque ex dicendis. Item, Ximenius idcirco ad hunc quoque finem edidit exemplaria originalium, quia nondum ſuo tempore Vulgata Hieronymi a mendis contractis per Sanctam Sedem perpolita erat; Critici non obſtante hujuſmodi correctione jam peracta, adhuc non deſinunt idipſum periclitari: Ximenius tandem ita exiſtimat Vulgatam Hieronymi præferendam eſſe Hebræo, & Græco, ac Chriſtus latronibus; Critici totum ex diverſo ſua hypotheſi ſtatuere videntur.

396. POLYGLOTTA ANTUERPIENSIA, quia Antuerpiæ procuſa Typis Chriſtophori Plantini, & quidem patrocinio & expenſis potentiſſimi Regis Hiſpaniarum Philippi II., quam ob rationem dicta etiam Biblia Regia. Hujuſmodi Polyglotta complectuntur *primo* vetus Teſtamentum Hebraicum in uno tomo ſine ulla verſione Latina, in altero

(a) *Vid. n.* 133. *& ſequ. &* 356.
(b) *Vide Præfat. operis n.XV. & infra num.* 432. *& ſeqq.*

tero cum Latina interlineali Santis Pagnini: *ſecundo* Thargum Onkeloſi in Pentateuchum, Jonathani in Prophetas priores & poſteriores, R. Joſeph cæci, & aliorum in Job, Pſalmos, & alios quinque parvos libros, eis reſpondente verſione Latina Alphonſi de Zamora, tametſi ut recognita a Benedicto Aria Montano: *tertio* Textum Græcum adjecta verſione Latina Complutenſi: *quarto* Vulgatam Latinam editionem. Novum vero Teſtamentum exhibet Græce, & Latine ex editione Complutenſi, & etiam Syriace charactere Hebraico, & Syriaco cum interpretatione Latina Guidonis Fabricii Boderiani: quare prioribus quinque voluminibus Vetus Teſtamentum extat Hebraice, Chaldaice, Græce, & Latine; Novum vero Teſtamentum Græce, Latine, & Syriace. Præterea primæ hujus operis partes tribuendæ quidem ſunt ſtudio & curis B. Ariæ Montani, *qui*, teſte Le Long (*a*), *Latinas omnes præter illam quæ eſt ex Syro, verſiones recognovit*. Novum Teſtamentum cum Complutenſi ex correctiſſimis aliis exemplaribus contulit, recenſuit, & approbavit (*b*). Arias quoque elucubravit præfationem horum Bibliorum ad Lectorem, ſicut & Hiſtoriam Regiæ hujus editionis; & abſoluto opere ipſe Romam adventavit coram Pontifice Maximo Gregorio XIII. hac ſuper re peroraturus, cui elegantiſſimam Bibliorum copiam hiſce verbis dono obtulit: *Quod vero* (*c*) *ad operis integritatem attinet ego Benedictus Arias Montanus offero Sanctitati veſtræ Biblia ipſa, a me a prima pagina ad ultimam uſque diligenter Græce, Latine, & Chaldaice perlecta, & cum exemplaribus fideliſſime collata tanta fide, ut non ſolum ſi verbum aliquod depravatum deprehendatur, ſed ſi vel unus apex, aut jota unum in illis merito deſideretur; ceteris coadjutoribus meis exceptis, & a culpa liberatis ipſe per-*

pe-

(a) *Biblioth. Sac. Cap.* 1. *p.* 13. *col.* 1. *C.*
(b) *Id fertur in calce V. voluminis eorundem Polygl.*
(c) *Ex ipſius Oratione ad Pontif. primo volumini præfixa.*

petuam ignorantiæ notam ſubire velim.

397. Ex ejuſdem Montani teſtimonio (*a*) ſcimus, in hoc opere concinnando adhibita fuiſſe varia, & correctiſſima exemplaria Romanorum videlicet, Venetorum, Conſtantinopolitanorum, Germanorum, & Complutenſium ſumma fide, & diligentia collata ad invicem; ſicut etiam eos, qui in eodem opere parando, deſcribendo, vertendo, adornando, immutando, ac corrigendo ab initio ad finem uſque multum laboris, operæ, ac diligentiæ impenderunt, fuiſſe Chriſtophorum Plantinum virum de Typographica arte optime meritum, cum ſuo genero Franciſco Raphelengio, Guidonem Fabricium Hebraicæ & Syriacæ inſigni cognitione ornatum, Nicolaum Fabricium potiſſimum in Hebraica haud infeliciter verſatum, Auguſtinum Hunnæum, & Cornelium Goudanum Theologiæ lectores, atque publicos Profeſſores, Joannem Harlemium in omni Linguarum genere exercitatiſſimum, Cardinalem Sirletum, qui interdum admonuit inter varias lectiones quæ retinendæ forent, quæque rejiciendæ, Andræam Maſium, Clementem Anglum, & Guilielmum Canterum.

398. Et ipſe adſtipulor eruditis pientiſſimis illis viris, qui improbarunt Polyglotta Antuerpienſia quoad deſcriptionem Paraphraſium, propter monumenta quæ de earundem Targumim auctoritate ſuperius agentes, affatim ſuppeditavimus (*b*); maxime quod Antuerpienſibus præfectis exemplo eſſe debebat Ximenius, qui licet bona fide vix Pentatheucum Onkeloſi auſus fuit ſuo operi inſerere, adhuc in multorum criminationes incurrit. Hoc itaque excepto capite cæterum Biblia Antuerpienſia utilitati ſuo modo Catholicis fuere, atque ſunt propter ſequentia. *Primo* quia Complutenſia a Ximenio edita propter eorum paucitatem & raritatem a permultis deſiderabantur, & non erat qui vena-

(a) *Præfat. ad Lectorem.*
(b) *A num. 307. aduſque 324.*

venalia haberet. *Secundo* quia Biblia Ximeniana in his Polyglottis quoad multa reſtaurata ſunt, aucta, integrata, locupletata, magno etiam appoſitiſſimoque rerum, & verborum apparatu exornata: namque exhibent excellentem formarum, chartæ, & characterum præſtantiam; addunt Novum Teſtamentum Syriacum, ſicut etiam accentus omnes, Hebraicoſque apices, ad hoc ut facilius diſtinguantur ſententiæ, & lectiones; inſignem quoque rerum & verborum ſuppellectilem, aliis variis codicibus diſperſam; etiam exempla variarum lectionum in omnibus linguis; inſuper Latinas interpretationes ad verbum Novi Teſtamenti Græci, adeout quiſque ſine ulla peritia Hebraicæ & Græcæ, ac ſolam Latinam callens ſine ullo præceptore, cognoſcere poſſit ſententias, & varios ſenſus qui in originalibus continentur; quid amplius? habes opportunis in locis themata dicta a Rabbinis, radices verborum Hebraicorum, item Græcorum, & Syrorum, & tandem volumen illud inſcriptum *Apparatus Sacrorum Librorum*, quodque ſuppeditat materiam multiplicem, & copioſam multarum commodiſſimarum rerum, quæ adtinent ad familiares Divini verbi explicationes. *Tertio* quia nimis conducunt ad illuſtrandum variis in locis originalia, & verſionem Latinam. *Quarto* quia, ut teſtantur Arias ipſe (*a*), & facultas Pariſienſis (*b*) hujuſmodi Polyglotta Regia Hebraice, Syriace, Græce, & Latine expreſſa ad formam Complutenſium, opponuntur falſis, & impiis Hæreticorum translationibus, quibus conantur fucum facere imperitis linguarum. Nota tandem, verſio Latina quæ in hiſce Bibliis tenet locum editionis Hieronymianæ, non eſt ea, quam Romana Sedes ſub Sixto V. perpolivit, & ſub Clemente VIII. edidit an. 1592., quoniam ex data hujus Polyglottæ appoſita in calce primi voluminis, eruitur, lucem publicam adſpexiſſe anno 1579., ideſt

(a) *Oratione ad Gregorium* XIII.
(b) *In cenſura hujus operis ſuper expoſita num.* 322.

ideſt tredecim annis ante editionem Vulgatæ correctæ, & auctoritate Clementis VIII. editæ.

399. POLYGLOTTA PARISIENSIA diverſis uſurpantur nomenclaturis, nonnulli nuncupant magna Biblia Pariſienſia quia Pariſiis edita, alii Biblia Antonii Vitre utpote qui fuit adcuratus exquiſituſque Typographus, alii Polyglotta Domini Guidonis Michaelis le Jay, cujus ſummis curis magniſque expenſis opus iſtud promotum fuit, atque perfectum, quamquam Librarii Galli urgente quoque Cardinale Perronio hocce opus parare cœperint, ejuſdem tamen perficiendi atque abſolvendi gloriam Clariſs. le Jay nactus fuit. Quidquid in Antuerpienſibus continetur le Jay ſub incudem revocavit, exceptis Apparato Montani & Lexicis Hebræo, Græco, & Syro: *Quidquid*, teſtatur Simonius (*a*), *Biblia Antuerpienſia continent, præter apparatus Montani, & Lexica Hebræa, Græca, & Syra, nova hæc editio* (Pariſienſis). *complectitur:* & Jacobus Le Long (*b*): *Non alia fuit mens Clariſſimi Jay, ac olim Cardinalis Perronii, Antuerpienſem ſcilicet iteratis Typis dare editionem.* Immo Simonius cit. cauſſam tradit, unde Jay excitatus fuerit Antuerpienſia recudere: quum enim Imperator & Rex Chriſtianiſſimus ſua diplomata conceſſerint, ut præfata Biblia Regia in omnibus ſuis provinciis & Regnis diſtraherentur, & reapſe brevi tempore omnia diſtracta fuere, ac rara evaſerunt, idcirco prudens conſilium viſum fuit Domino Jay Antuerpienſia denuo mandare Typis; verum ipſis Pariſiana adjiciunt, quoad Vetus Teſtamentum, Pentateuchum Samaritanum dupliciter deſcriptum, nimirum charactere Samaritano præſeferente Hebræum ſermonem, & tam charactere quam ſermone Samaritano, una tamen utrique reſpondente interpretatione Latina: addunt etiam verſionem Syram, & Arabicam cum ſingulis Latinis

(a) *In Catal. Edition. Biblic. apud Hiſt. Crit. Vet. Teſtam. p.*131.
(b) *Bibliothec. S. cap.* 1. *p.* 21. *col.* 1. *E.*

Digitized by Google

interpretationibus: quod tamen ſpectat ad Novum Teſtamentum, ſuppeditant verſionem Arabicam Latine quoque interpretatam, & verſioni Syriacæ aſſuunt quatuor Epiſtolas Canonicas elucubratas ab Eduardo Pocockio, ſicut & Apocalypſim Ludovici de Dieu, quæ omnia ex eodem Pariſienſium Polyglottarum titulo facile dignoſcuntur. *Biblia I. Hebraica, II. Samaritana, III. Chaldaica, IV. Græca, V. Syriaca, VI. Latina, VII. Arabica.*

400. Fautores ſive coadjutores hujuſce inſtituti, juxta relationem Valeriani de Flavigny (*a*), *Hebraicis excudendis præfuit ſimul & Chaldaicis Philippus Aquinas Avenionenſis, & e Judæo Chriſtianus; Samaritanis Joannes Morinus Bleſenſis Oratorii D. J. C. Presbyter, & inſignis Theologus; Arabicis ſimul & Syriacis Gabriel Sionita Maronita celeberrimus, & in alma Pariſienſium Academia Syriacarum, & Arabicarum litterarum Profeſſor Regius.* Item refert, libellum Ruth obſtetricatum ab alio Maronita Abrahamo Ecchellenſi. Item Hieronymum Parent Doctorem Sorbonicum linguarumque peritiſſimum Textus Syros, & Arabicos Novi Teſtamenti, ac Pentateuchi Hebraici recenſuiſſe una cum Latinis verſionibus. Adrianus Raillet (*b*) inter viros qui contextui Græco recognoſcendo operam navarunt, indicat Godefridum Hermant Bellovacenſem Canonicum, Joannem Aubertum Regium Profeſſorem Linguæ Græcæ, & Joannem Tarinum quoque Regium Profeſſorem eloquentiæ. Et tandem Jacobus Le Long, *Recenſentur*, inquit eo loci, *adhuc duo clariſſimi viri . . . quorum alter Claudius Fabricius de Peireſc Aquenſis Senator . . . Alter Petrus a Valle Patricius Romanus.*

401. Tametſi D. le Jay, ſive propalatores Pariſienſium Polyglottarum mirum in modum commendent authentiam, & canonicitatem editionis Latinæ inter omnes Scripturæ Te-

(a) *Epiſt. 1. quam in hanc editionem ſcripſit p.9.*
(b) *Apud Le Long cit. p. 23. col. 1. D.*

Textus atque Contextus, non adeo tamen ut in ſuos quoque ſcopulos non offenderint. Oſtendo primum, quam fideliſſime exſcribendo verba Præfationis quæ extat initio primi voluminis, quæque verba noſtro argumento apprime faciunt (a): *Quamquam vero ſeptena horum contextuum ſeries, Auguſtam Sapientiæ domum ſuſtentet ac decoret, Regia tamen ejus ſedes ipſa ſunt Biblia, prout Eccleſiæ lingua uſurpantur, linguam electam intelligo, quæ delapſo in Apoſtolos Spiritu Sancto reſtituta eſt juxta illud antiquum Sophoniæ vaticinium*, reſtituam eis labium electum, *ut in unius cujuſdam dilectæ nationis communionem populi omnes confluerent, & variis in ſe portionibus diviſus orbis in unicæ Eccleſiæ ſocietatem coaleſceret . . . Quis vero rationi conſentaneum fuiſſe non agnoſcat Chriſti Eccleſiam iiſdem jam potiri privilegiis, quæ Moyſis Synagogam commendarunt? quis æquum fuiſſe non fateatur, ut quemadmodum ea, qua utebantur lingua, divinam legem acceperunt Iſraelitæ, ita Catholicorum hominum ſocietas propriam ſibi, unam, ac univerſalem linguam vindicaret, qualis erat Latina, quam totius pene orbis Imperium uſurpabat, quo tempore Servator Chriſtus humanam ex Deipara Virgine carnem aſſumpſit? Quis ergo perplexas Scripturæ Sacræ difficultates aliorum velit Contextuum adminiculo rimari, quam qui nunc in communi Eccleſiæ obſervatione receptus eſt, aut qui grammaticis regulis & elementis, ſalutis noſtræ ſummam, aut obtruſa fidei myſteria dirimere conetur, is certe labio electo prorſus obnunciet, is promiſcuam confuſionem revocet, is maledictam a Deo Babelem excitet a fundamentis. Neque vero congruum æquitati*

 vide-

(a) *Hujuſmodi Præfationi licet comperiatur nomen D. le Jay ſubſcriptum, tamen non leviter conjicitur materiam ſubminiſtratam fuiſſe a viris Theologis, qui eidem operi præfuerunt, eleganter tamen elaboratam ab allegato Tarino, viro cæteroquin ſumme facundia prædito:* Facile, *inquit Long cit. p. 23. col. 2. B.* Tarino concederem quoque Præfationem totius operis Biblici, utpote multa verborum facundia inſignem, ornamentis ac figuris rhetoricis decoratam, cui ſubſcripſit Guido Michael le Jay.

videtur, *Eccleſiam*, *ut intelligi a ſuis poſſit*, *tot populorum*, *quos uno ſinu amplectitur*, *aut fovet*, *multiplicitati obnoxiam eſſe: ac ſi ſolius humanæ intelligentiæ fundamento niteretur Scriptura*, *brevi profecto rueret tamquam incertam baſim haberet*, *quam caducam . . . Pro certo igitur atque indubitato apud nos eſſe debet*, *Vulgatam Editionem*, *quæ communi Catholicæ Eccleſiæ lingua circumfertur*, *verum eſſe*, *ac genuinum Sacræ Scripturæ fontem*, *hanc conſulendam ubique; inde fidei dogmata repetenda . Quod vero Hebræo aliiſque Contextibus minus quam Vulgatæ verſioni ducimus deferendum*, *nemo equidem nos erroris redarguat*, *niſi Evangeliſtas etiam ipſos*, *Apoſtolos*, *& priſcos omnes naſcentis Eccleſiæ PP.*, *ſimul audeat reprehendere*, *qui propalaturi per orbem Evangelium*, *cœleſtemque doctrinam ſparſuri*, *ex Septuaginta potius Interpretum verſione*, *quos tum Eccleſia ſequebatur*, *quam ex Hebræo fonte*, *licet ſtante adhuc veteri Synagoga*, *teſtimonia ſua*, *& ſacrarum auctoritatum monumenta repetierunt . . . Ex quo inſuper conſentaneum eſt vera ac certiſſima fidei Chriſtianæ autographa in ſpiritu Eccleſiæ reſidere*, *neque ab ejus Hoſtium manibus repetenda*, *qui nec divinam Arcam amplius poſſident*, *& ab omni ejus fœdere ſunt alieni .* Hactenus Præfatio, cujus pleraque alia eodem tendentia, ne longius abeam, exſcribere prætermitto.

402. Itaque D. le Jay, ſive Præfecti Pariſienſium Polyglottarum adeo commendant Latinam S. Hieronymi, *primo*, ut eandem præferant ſex aliis Contextibus Scripturæ, quos ibi deſcribunt, & conſequenter etiam Textui Hebræo Veteris Teſtamenti, & Græco Novi: quandoquidem de omnibus ſex Contextibus affirmatur, eos ſuſtentare *Auguſtam Sapientiæ domum*, Latina vero Biblia *prout Eccleſiæ lingua uſurpantur* repræſentare ejuſdem domus Regiam Sedem, & eſſe linguam electam juxta vaticinium Sophoniæ, in Apoſtolos per Spiritum Sanctum transfuſam, maxime ut in hujus communionem fideles variis linguis loquentes confluerent. *Secundo*, ut per hujuſmodi Latinam Hieronymi

Chri-

Chriſti Eccleſia nacta ſit privilegia Moſaicæ Synagogæ, & quemadmodum veteres Iſraelitæ divinam legem ea, qua utebantur lingua, acceperunt, ita ſocietas Catholicorum hominum eandem divinam legem, propria, una, ac univerſali Latina lingua ſibi vindicaret. *Tertio*, ut ii, qui hodie conantur adminiculo fontium & Contextuum dirimere ſummam noſtræ ſalutis, & Myſteria fidei, prorſus obnuncient neceſſum eſt labio electo Latinæ verſionis, in promiſcuam confuſionem omnia revocent, a fundamentis excitantes maledictam a Deo Babelem. *Quarto*, ut neque congruum æquitati videatur, Eccleſiam Chriſti uno ſinu populos pene innumerabiles complectentem, ac foventem, poſtea ut intelligi poſſit ab eiſdem indigere tot variantibus Bibliacis codicibus, Interpretibus, & interpretationibus, ſicque unicam ac indiviſibilem Chriſti ſponſam *multiplicitati obnoxiam eſſe*. *Quinto*, ut ſi hujuſmodi admittatur hypotheſis, opus eſt de conſequenti aſſeratur, Scripturam immo noſtram religionem, quæ ſuper Scripturam ſolidatur, ſolius humanæ intelligentiæ & rationis fundamento niti; quo conceſſo brevi profecto Scriptura & religio ruerent, ut quæ ſuper baſim incertam, atque caducam fundatæ. *Sexto*, ut pleno ore fateantur Vulgatam editionem qua Eccleſia utitur, *verum eſſe*, ac genuinum *Scripturæ fontem*. *Septimo*, ut ſi quis propter hujuſmodi principia auderet ipſum D. Jay, ſive Editores Pariſienſes erroris redarguere, redargueret de conſequenti Evangeliſtas, Apoſtolos, priſcos naſcentis Eccleſiæ PP., qui potius ex verſione Virali quam ex Hebræo fonte monumenta accepere. *Octavo* tandem, ut abſonum ſit repetere autographa Scripturarum e manibus hoſtium Eccleſiæ, ſive Judæorum qui non amplius divinam Arcam poſſident, ſive Hæreticorum qui ſunt extra Eccleſiam, in cujus ſpiritu aduſque conſummationem ſeculi ea reſidebunt. Hi plane, ni per inſcitiam aut incogitantiam aberrarim, ſunt ſenſus atque momenta, quibus in Præfatione Polyglottarum Pariſienſium, eruditiſſime ſimul, atque

atque religioſe depromitur authentia Vulgatæ Latinæ, qua Eccleſia utitur.

403. Veruntamen Riccardo Simonio haudquaquam iſta placuere, ut potius ſugillaret ſcribens (a): *Præfatio Bibliorum Pariſienſium de unoquoque Textu Biblico ſigillatim tractat, ſed minus accurate, & cum præjudiciis in gratiam duarum veterum verſionum Eccleſiæ, quaſi ſua illis non conſtaret auctoritas, niſi Textui Hebræo præferantur ... Sed quod magis mirere, ipſe D. le Jay, quum ait ſolam Vulgatam Latinam omnibus Scripturis aliis anteferendam eſſe, utpote lingua Eccleſiæ proprie ſcriptam, cujuſque par auctoritas cum Synagoga veteri, paucis verbis totum ſuum opus deterere, & funditus diruere ... ſi biſce de rebus plane perſuaſus erat D. le Jay, quid attinebat fortunas ſuas evertere, ut ſumptus imprimendis Polyglottis tot varios Textus complectentibus ſuppeditaret.* A quibus Simonianis præjudiciis ita D. le Jay vindicare poteris. Nuſpiam profecto conſiſtere poteſt Vulgatæ auctoritas, ſi pro authentico habeatur hodiernus Hebræus, ut pluries innuimus cap. I., ubi quoque affatim oſtenſum eſt, Hebræum hodiernum in multis a Vulgata diſcrepare; porro non poſſunt dari duo Textus authentici ſibi invicem repugnantes, ut neque Waltonus ipſe, & quivis alius, vel micam rationis habens inficiari poterit, ergo quum Concilium Tridentinum, non fontes ſed Vulgatam Latinam declararit authenticam, & D. le Jay idipſum inſitis monumentis oſtenderit, plane dicendum eſt, Simonium potius præjudiciis Novatorum arreptum non intellexiſſe veritatem. Præterea ſi D. Le Jay idcirco admirationi fuit Simonio, quia edidit Polyglottam non obſtante quod ſentiret, Vulgatam præferendam fontibus; ergo ad voluntatem Simonii nemo potuit, neque valebit in futurum Textus & Contextus Orientales una ſimul cum Vulgata Latina proferre, niſi ſimul pro explorato habeat, Vulgatam vitiis ſcatere, &

(a) *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. in Catalog. cit. p. 132.*

& inſpectione & collatione Textuum, Contextuumque emendandam: ecquis edepol emunctæ naris & recte ſentiens, ipſum Simonium tam ſolemni præjudicio fatigatum, non miretur? mirabilem igitur Simoneus Le Jay indicat, propter quod ſeſeipſum profecto talem prodit.

404. Annon Ximenius, qui recentioribus Polyglottis edendis viam ſtravit, habuit pro comperto Vulgatam Hieronymi ita ſe habere reſpectu hodiernorum fontium, atque Chriſtus inter latrones (a)? Annon Arias Montanus pleraſque utilitates, quas fideles ex Bibliis Regiis percipere poſſunt, percenſet, nullimode annexas cum ea, quæ juxta Simonium neceſſario ſubintelligenda venit apud eum, qui profert originales Textus & Contextus? Ubine Arias fatur idcirco expoſuiſſe originalia cum Contextibus, vel ut ſcilicet vitia detegantur in Vulgata Latina, vel ut ad normam & collationem Textuum & Contextuum, quos edidit, Vulgata corrigatur, vel quod Ximenius erraverit aſſimilando Vulgatam Chriſto & originalia latronibus, vel quod ad gerras amandandæ ſententiæ illæ, quas poſtea le Jay ex ſuperioribus viris Catholicis hauſit, ideſt *Qui ergo perpleſſas Scripturæ Sacræ difficultates &c. Pro certo, atque indubitato apud nos eſſe debet Vulgatam &c.*? Non te fugiat, quod Ximenius & Montanus ſcribebant antequam Romana Sedes proponeret Eccleſiæ Vulgatam Veterem a mendis ſciolorum & Librariorum perpolitam, & hoc non obſtante minime fuerunt auſi tot indigna tribuere Vulgatæ nondum correctæ, quæ Vulgatæ jam perpolitæ Simonius, aliique Critici licenter adfingunt. Hinc unde exivi rediens, atque ea miſſa faciens, de quibus nuper *Num.* 395. & 398. egimus, id unum in præſentia diligenter notes velim. Inter alia rectiſſima conſilia quibus Romana Sedes, Catholico-pientiſſimique Reges, ac Principes interdum annuerunt, ut Reſpublica litteraria Catholicorum provideretur codicibus exhiben-

(b) *Conſuleſis dicta n.* 395.

bentibus exemplaria fontium & Contextuum, primum potiſſimumque fuit, eripere Catholicos peritos linguarum a neceſſitate legendi Textus & Contextus editos ab Hæreticis recentioribus, falſitate, & impietate refertos. Huc ante omnes tendit ſcopus Clariſſimi Ximenii (*a*), huc voluntas potentiſſimi ac pientiſſimi Regis Hiſpaniarum Philippi II., huc Apoſtolica Sancta Sedes quum propter editionem Bibliorum Antuerpienſium epiſtolas dedit ad laudatum Monarcham (*b*); eodem quoque collimarunt ſtudia B. Ariæ Montani (*c*), & tandem non dicam conatus Guidonis le Jay, aut alterius privati Galli Doctoris, ſed totius cœtus Archiepiſcoporum cæterorumque virorum Cleri Gallicani, qui in Comitiis Pariſienſibus hac lege Jayana Biblia ſuo calculo probarunt. *Cenſemus (d) multiplicem linguam Bibliorum editionem a C. V. D. le Jay ingenti cum laudis merito cœptam*

(a) *Ut ex ſequentibus verbis Ariæ Montani eruitur.*

(b) Nihil autem ſapientius Deo, nihil melius, nihil noſtri amantius, nihil igitur ejus Scriptura præſtantius. Hunc fructum agnoſcentes Hæretici . . . . corrumpunt Codices, eoſque ad ſuas impietates accommodant, veteri ſuo ſcilicet artificio, atque a Sanctis Patribus multis locis cognito, & detecto . . . Depravata enim lege & norma recte pieque vivendi, ſentiendique univerſæ Religionis, & ſanctitatis interitus conſequatur neceſſe eſt. Quod ſi tantum in incorrupta horum Librorum auctoritate utilitas poſita eſt univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ; perſpicuum eſt, optime de eadem Republica pietatem ſuam meritam eſſe, & meditanda, & curanda quam emendatiſſima horum librorum (*Regiorum*) editione. *Hactenus ex Apoſtolicis Litteris ad Regem Cathol. extantibus etiam initio primi voluminis Bibliorum Pariſienſ.*

(c) Nemo vel mediocriter in bonis diſciplinis, ac ſacris litteris eruditus eſt, qui ignoret quanta cum utilitatis laude & experientia a ſtudiis Catholicæ veritatis exceptum fuerit opus illud Bibliorum, quod ante annos octoginta Illuſtriſſimus Franciſcus Ximenius . . . imprimendum curavit . . . Nam cætera quæ ab Hæreticis edebantur Hebraico-Latina, vel Græco-Latina Biblia, & ſi lectionem ipſam Hebraicam vel Græcam integram conſervarent (ſi tamen conſervabant); tamen verſiones per eoſdem depravatiſſimas habebant Latinas, neque legi ſine periculo poterant magno. *Ex Oratione quam coram Pontifice Gregorio XIII. Montanus habuit, etiam Jayanis Bibliis præfixa.*

(d) *Habentur init. I. Volum. Jay.*

ptam & adornatam, Eccleſiæ Catholicæ utiliſſimam fore ad illuſtrandam & confirmandam Eccleſiæ translationem, ad eruendas novas & ſaluberrimas e Scripturæ penetralibus interpretationes, ad REVINCENDAS ET CONFUTANDAS PLURIMIS IN LOCIS MALIGNAS HÆRETICORUM VERSIONES; ad Religionis Chriſtianæ adverſus Ethnicos Mahumetanos ex tot populorum etiam Judæorum, & Samaritanorum Chriſtiano nomini infenſiſſimorum hoſtium ſuffragio, comprobationem & commendationem; ad Religionem Catholicam adverſum orientalium Hæreſes propugnandam; ad pios Eccleſiæ alumnos e Latinis Regionibus in Orientem, fidei propagandæ cauſſa miſſos, in linguæ Syriacæ & Arabicæ cognitione juvandos & inſtruendos; denique ad maximam Eccleſiæ Catholicæ laudem conciliandam adverſus inanes Hæreticorum de Sacræ Scripturæ æſtimatione oſtentationes & gloriationes &c. Tam longa exſcribere duxi, non tantum cauſſa exſufflandi ridiculam Simonii in Jayum criminationem, ſed potiſſimum ut cuique innoteſcat tum probatiſſima agendi ratio, unde Reipublicæ Catholicorum ſuppeditati ſint codices exhibentes Apographa originalium contextuumque, tum utilitas, quæ ex hiſce codicibus poteſt accipi, & tandem ut cuique legentium præſto ſint ea, quæ non ſine difficultate obtineri poterunt propter raritatem hujuſmodi Polyglottarum.

405. Veniam modo ad ſcopulos, quos Le Jay, ſive editores Pariſienſium incurrerunt, ob idque non leves ſibi promeruerunt criminationes. Primus qui in aciem prodiit, fuit P. Andreas Leon Clericus Minor, qui Auctorem Pariſienſium inſimulavit de temerario quodam auſu in deſcribendis Bibliis Græca virali & Vulgata Latina, ut extant in Bibliis Regiis, & non ſecundum correctiones Romanas, contra expreſſam Sixti V. & Clementis VIII. prohibitionem. Acceſſit poſtea Flavigninus tum temporis Regius Profeſſor Pariſienſis ſcribens (a): *Quis ferat Vulgatam editionem*

(a) *Pag.* 42. *prioris ſuæ Epiſt. apud Le Long cit. p.* 24. *col.* 1. *B.*

Latinam etiam non emendatam a ſummis Pontificibus, *ac minime recognitam in hoc opere repræſentari? Equidem ego ſcio facile regeri poſſe*, *propalatoris iſtius operis inſtitutum tantum poſitum fuiſſe*, *ut Editionem Antuerpienſem ſub incudem revocaret; ſed ſcio etiam*, *atque facile intelligo bino diplomate Sixti V. Pont.Max.*, *quod longe poſterius eſt Editione Antuerpienſi*, *hoc omnino interdictum eſſe*, *atque probibitum*. Et quamquam Le Jay ipſiuſque ſocii ſe ſe excuſabant dicentes, ſtudium haud fuiſſe vel per umbram detrahere Vulgatæ correctæ ab univerſa Eccleſia adoptatæ, ſed dumtaxat iterum cudere Biblia Regia, quæ a permultis ardenti ſtudio deſiderabantur; id vero ſolummodo effecit, ut tam a S. Sede, quam a Clero Gallicano præfatæ verſiones in illis Polyglottis tolerarentur, maxime quod eruditorum tantum manibus iſta terenda forent. Cæterum hoc non obſtante, neque deinceps defuerunt viri docti, qui ſuo etiam calculo veſtigia prementes Andreæ Leonis præfatum Jayanum inſtitutum non improbarint, teſtante Jacobo Le Long cit. loco: *Quod idem fuit deinceps virorum doctiſſimorum judicium*. Immo Waltonus hoc forte exemplo edoctus, quamvis pro ſuo inſtituto habuerit omnia revocare ad integritatem & auctoritatem hodiernorum fontium, & verſiones omnes in ſua Polyglotta tali lege deſcribere, ut iſtarum adminiculo ſolidius confirmaretur fontium integritas, authentia, & eminentia, adhuc ſatius exiſtimavit exponere verſionem Viralem, & Vulgatam Latinam juxta Romanas correctiones. Hinc colliges, quam inepte nonnulli Recentiores hujuſmodi lapſu Guidonis Le Jay nixi, progrediuntur ad detrahendum Vulgatæ correctæ, ex quo in Jayanis Bibliis non fuit adoptata.

406. Præterea idem conſilium plus æquo ſectandi greſſus Bibliorum Regiorum cauſſa fuit, ut Le Jay in ſuis Polyglottis ſub incudem revocaſſet Chaldaicas paraphraſes, a quibus ſatius ſi abſtinuiſſet, & maxime quod non multis antea annis Facultas Pariſienſis in approbatione Regiorum Bibliorum,

rum, earum minime recordari voluit (*c*); quinimmo vir fuit de eadem Facultate doctrina & auctoritate inſignis, qui in Antuerpienſes editores irruit, & Congregatio Cardinalium S. Inquiſitionis minime permiſit Fortunato Fanenſi; ut in ſua Polyglotta Paraphraſes proferret, ut diximus num. 322. Tandem circa quatuor Epiſtolas Canonicas Eduardi Pochokii Hæretici Angli, & Apocalypſim Ludovici de Dieu Religione Calviniani in iiſdem Jayanis Bibliis conſcriptas, quidquid alii dicant, certum non auſim ferre judicium. Dicam dumtaxat: vi Bullæ Cœnæ prohibetur nobis lectio cujuslibet Libri, cujus Auctor ſit Hæreticus, & de Religione in eo tractet: inſuper in Indice Librorum prohibitorum taxantur omnia opera Ludovici de Dieu, & merito *quoniam utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum* (verſionum) *lectione manare ſolet*, ita in tertia re-

Aa 2 gula

(c) *Facultas Pariſienſis approbavit Biblia Regia Hebraice, Syriace, Græce, & Latine expreſſa die 4. Aprilis 1572. Jayanum Heptaglotton circa menſem Martium an. 1628. inchoavit Antonius Vitrè. Quatuor priora volumina, quæ complectuntur Hebraicum, Chaldaicum, Græcum, & Latinum abſolvit an. 1629. Quintum volumen eſt in duos ſubdiviſum codices, quorum primus exhibet quatuor Evangelia Græce, Latine, Syriace; & Arabice, editus an. 1630. ſecundus ſuppeditat cæteros Novi Teſtamenti Libros cuſus an. 1633. Hoc eodem tempore alia præla fervebant circa ſextum volumen proferens Pentateuchum Triglottum, nimirum Samaritice, Syriace, & Arabice, quodque ad limitem perductum fuit an. 1632. Septimus Tomus exponens Libros Joſue, Judicum, primum, ſecundum, & tertium Regum magna ex parte excuſus erat, ſed quoniam Gabriel Sionita haud opportune ſuum penſum ſuppeditavit, puta Latinas verſiones Librorum Ruth, IV. Regum, & duorum Paralipomenon reſpondentes Arabico & Syriaco, idcirco editio hujus ad aliud tempus dilata fuit, & interim inſudarunt opera circa editionem Tomi octavi proferentis Libros Eſdræ, Nehemiæ, Job, Pſalterii, & Sapientialium Arabice, & Syriace cum reſpectivis Latinis, perductique ad exitum an. 1635. Item hoc anno adunato Pariſiis Clero Gallicano in Comitiis Generalibus, D. Le Jay expetita approbatione ſuarum Polyglottarum, reapſe ab univerſo cœtu obtinuit verbis nuper datis die 24. Januarii 1636. Tandem graviſſima diſſidia inter le Jay & Sionitam ſuborta, & temporis beneficio paulatim ſedata, Tomus ſeptimus, qui intermiſſioni erat, ſuum vidit optatum terminum an. 1642. Nonus denique & ultimus, ubi ſiſtuntur Libri Prophetici Syriace, Arabiceque donati, conſeptatus fuit tertio Nonas Maji an. 1645.*

gula Indicis. Bene quoque intelligo ex hac eadem regula, quod ubi hujuſmodi verſiones fuerint examinatæ, expunctis locis ſuſpectis, & approbatæ ab aliqua Facultate Theologica alicujus Univerſitatis Catholicæ, aut Inquiſitione Generali, tunc permittitur earum lectio: quod mirum in modum verificari videtur de Bibliis Pariſienſibus, ut quæ ab univerſo cætu Cleri Gallicani adprobata fuere: ut ut autem res ſe habeat, exactiori Catholicorum judicio me meaque ſubmitto.

407. POLYGLOTTA LONDINENSIA ab urbe Londinenſi, quæ eſt Metropolis Angliæ ubi fuerunt excuſa, nomen accipiunt, & ob eandem rationem Anglicana quoque dicta, ſicut etiam Polyglotta Waltoni, quia hujus potiſſimum ſtudio atque curis concinnata, & edita. Jam Clariſſimo Jayo eruditi Angli propoſuere, ut ſi gratum ſibi foret concedere editum ſuum Heptaglotton pro centum nummis (ducenti ab initio ſolvebantur pro eo emendo) ſaltem ſexcenta exemplaria ad proprium uſum pro certo redimerent; quorum votis renuente Jayo accommodare conſenſum, contigit, ut Angli cogitarint concinnare Polyglotta conſimilia immo duabus aliis linguis aucta, magiſque ſuis judiciis ne dicerem præjudiciis, parcitati quoque expenſarum, & uſui idonea atque commoda. Quare tametſi multi adfuerint, qui ad ſuſtinendum præfatum opus paratiores ſe ſe obtulerunt, tamen Brianus Waltonus labore improbo, indefeſſiſque ſtudiis admovit manum; cui poſtea, ut ipſemet profitetur in Præfatione horum Polyglottorum, haud pauci præſidio fuere & auxilio, quos inter ii quibus defert primas, ſunt Jacobus Uſſerius, Guilielmus Fullerus, Gilbertus Sheldonus, Brunus Ryveſius, Robertus Saunderſonus, Ricardus Sternus, Samuel Bakerus, Henricus Hammondus, Henricus Fearnus, Herbertus Thorndicius, Joannes Johnſonus, Ricardus Drakus, Abrahamus Wheelonus, Eduardus Pocockius, Joannes Gravius, & Thomas Smithus: addendi quoque Edmundus Caſtellus, Alexan-

der

der Huiſſus, Samuel Clericus, & Thomas Hide. In hujuſmodi Polyglottis multa ſuppleta ſunt quæ in ſuperioribus deſunt, multaque antehac inedita adjiciuntur, & ea ſane apta methodo omnia diſpoſita, ut uno intuitu duarum paginarum, quæ ex alicujus codicis aperitione legenti ſe offerunt, commode conſpiciantur Textus & omnes reſpondentes verſiones, ſive orientales, ſive Latinæ eiſdem appoſitæ: cæterum juxta tritum effatum, *facile eſt inventis addere*.

408. Titulus Londinenſium quamquam jactitat ibi Biblia Sacra ſuppeditari novem linguis, nimirum 1. Hebraice, 2. Samaritice, 3. Chaldaice, 4. Græce, 5. Syriace, 6. Arabice, 7. Æthiopice, 8. Perſice, & 9. Latine, nihilotamenſecius *Ne credas*, teſtatur Le Long (*a*), *in hac editione Sacros omnes Libros eſſe novem expreſſos idiomatibus . . . . Pentateuchus enim eſt Octaglottus, Pſalterium Heptaglottum, Libri Joſue, Judicum, Ruth, IV. Regum, item IV. Evangelia Hexaglotta; Liber Eſther, & reliqui Novi Teſtamenti Pentaglotti; cæteri veteris Teſtamenti, qui non reperiuntur in Canone* (*b*), *ſcilicet Liber Tobiæ, Sapientia, Eccleſiaſticus, & Baruch, & Fragmenta Danielis Tetraglotta. Libri Judith, primus & ſecundus Machabæorum Triglottus, & Fragmenta Libri Eſtheris Diglotta*: quare hac dumtaxat lege verificatur ampliſſimus, faſtoſuſque Londinenſium titulus de novem linguis, in quantum octo linguis quibus ſolus Pentateuchus ibi exponitur, addenda eſt lingua Æthiopica qua quoque Pſalterium, Canticum Canticorum, &

(a) *Biblioth. Sac. cap. 1. pag. 35. col. 2. D.*

(b) *Adde* Hebræorum, *vel ſi mavis ſubaudi* Recentiorum Hæreticorum; *continentur tamen & rectiſſimo quidem jure in Canone Catholicorum, quem Patres Tridentini vetuſtiſſimis monumentis edocti, & ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia freti confecerunt, declarando Sacros Bibliacos libros, qui pro Canonicis habendi ſint, atque venerandi:* Non Canon Hebræorum, *eſt egregium dictum Hoſii Cardinalis Tractatu de Traditionibus, quodque laudatur in Præfatione Polyglottorum Pariſienſium*, ſed Eccleſiæ, Scripturas facit Canonicas.

& Novum Teſtamentum deſcripta ſunt.

409. Quam valde a vero aberrent ii qui dicunt, omnia in Pariſienſibus contenta fuiſſe eadem pene recuſa a Waltono, paucis oſtendam. Quod Textum Hebræum ſpectat ipſe Waltonus fatur in Præfatione Polyglottarum, quod tametſi ſequutus fuerit exemplar Bibliorum Regiorum alias in Pariſienſibus recuſum, tamen ſecundum *quod*, pergit, *Keri & Ketib notavimus* (*a*). Tot igitur in locis quoad Textum Hebræum differunt Londinenſia a prioribus Polyglottis Catholicorum, quot in locis hujuſmodi Maſorethарum adinventio in Anglicanis invenitur. Fatur quoque (*b*) quoad Paraphraſes chaldaicas potiſſimum ſe addixiſſe illis quas Buxtorfius edidit Baſileæ, venditans accuratiores eſſe Complutenſibus, Regiis, & Pariſienſibus: item Paraphraſes Jonathanis exſcripſit potius ex editione Hanoviana anno 1614. Novum Teſtamentum Syriacum minime ex Regiis, aut Jayanis, ſed *ex editione*, obſervat Le Long (*c*), *Tremelliana cum ejus Latina verſione exſcriptum eſt* (*d*). Jam innuimus Græcam Septuaginta Interpretum cum verſione Itala, & Vulgatam Latinam extare in hiſce Polyglottis ad normam Romanarum editionum, nimirum Græcam vira-

lem

(a) Keri *ſignificat* lectum, *nomine* Ketib *deſignatur* ſcriptum: Keri *ſiſtit in margine vocem aliquam complectens, monenſque Lectorem, eam vocem in margine exaratam legendam eſſe cum punctis, quibus afficitur vox in Textu.* Ketib *reperitur in Textu, eſtque vox illa qua ſupra ſe circellum habet, monens Lectorem ut eo in loco conſulat* Keri *ſitum in margine. Ita Fraſſenus Diſquiſit. Bibliac. Lib.* II. *Cap.* II. §. V. *p.* 217.

(b) *Prolegom.* XII. §. 20. *p.* 388. *col.* 2.

(c) *Cit. p.* 38. *col.* 2. *B.*

(d) *Serarius Prolegom. Bibliac. cap. XV. Quæſtiunc. V. p.* 81. *col.* 2. *ſcribit:* Tremellius homo impius primo Judæus, poſt e Judæo .... Monachus, e Monacho Calvinianus, e Calviniano rurſum tandem Judæus. *Iterum fert teſtimonium Genebrardi lib. IV. Chronol. teſtantis: Tremellium ex Novo Teſtamento Syriaco ſuſtuliſſe titulos Epiſtolarum & Evangeliorum per totum Contextum diſperſos, e quibus apparebat admirabilis Eccleſiarum Orientis cum Romana conſenſio: eadem vaferrima impietate ſuppreſſiſſe tabulam Evangelicarum & Apoſtolicarum lectionum, multa de Textu pro libidine & inſcitia immutaſſe.*

lem juſſu Sixti V. cuſam anno 1587., Italam 1588., Vulgatam hodiernam auctoritate Clementis VIII. an. 1592.; tamen notes velim hæc ipſiuſmet Waltoni verba eadem in Præſatione: *Vulgatam Latinam juxta exemplaria emendatam, & recognitam, & a diverſis mendarum millibus repurgatam cum correctionibus Romanis Lucæ Brugenſis*, quibus non modo eruitur non fuiſſe ſequutum Vulgatam Pariſienſium, ſed quod nec fideliter exemplari Vaticano inſtiterit; quoniam ex alias obſervatis (*a*), Brugenſis in ſuis Romanis correctionibus multis in locis aliter affert Scripturæ verba, ac in Vulgata Clementis habentur. Diſcrepant quoque Polyglotta Anglicana a tribus prioribus, quia proferunt Novum Teſtamentum Græcum juxta editionem Roberti Stephani, quæ quum in multis faveret novis Proteſtantium opinionibus, graviſſima cenſura notata fuit a Doctoribus Pariſienſibus (*b*): prætermiſſis itaque aliis ejuſdem generis ſpeciminibus, quæ proferri poſſent, ſatis ſuperque affulget, ea quæ in Pariſienſibus continentur reperiri in Londinenſibus pleriſque erroribus, & Hæreticorum conſtuprationibus referta; atque ita iſta non modo a Pariſienſibus, ſed quoque a Ximenianis, & Antuerpienſibus longe diſtant.

410. Quæ vero adjiciuntur, ſive exhibentur in Anglicanis Polyglottis, & nullimode in Pariſienſibus ſunt *primo*, verſio interlinealis Xantis Pagnini; *ſecundo* Græca Viralis, Itala, & Vulgata, ut dicit Waltonus, *juxta correctiones Romanas*; *tertio* nonnullæ laciniæ manuſcripti Alexandrini (de quo Angli mirifice gloriantur) quoad ea loca in quibus differt a Græca virali Romana; *quarto* particulæ alterius translationis Latinæ reſpondentis Textui Samaritano, diſtinctæ nimirum ab ea Latina ejuſdem Samaritani, quæ tam

(a) *Cap. Prodromo num. LVII.*

(b) *Hujuſmodi cenſura cauſſa fuit, ut Robertus Typographus Pariſinus Regius, Calviniſmum, cui intrinſecus addictus erat, æterna cum ignominia ſolemniter profiteretur Genevæ an.* 1551.

Digitized by Google

tam in Pariſienſibus, quam in eiſdem Anglicanis habetur; *quinto* Pentateuchus Perſicus Jacobi Tavvoſi, & quatuor Evangelia litteris Perſicis cum reſpondentibus verſionibus Latinis; *ſexto* Paraphraſis Jonathanis in Legem, & Hieroſolymitana cum Latinis quoque interpretationibus; *ſeptimo* Pſalterium, Canticum Canticorum, & Novum Teſtamentum litteris tam Æthiopicis, quam Latinis; *octavo* Libri Eſther, Tobiæ, Judith, & primus Machabæorum Syriaco-latine donati: & alia Anglicana addunt tum initio primi tomi, tum tomo ſexto per totum, conſtat enim ſex voluminibus; edi cœpta anno 1653., abſoluta 1657.

411. Ab initio monuimus, Anglicanum opus a Romana S. Sede per ſpeciale Decretum die 20. Novembris an. 1663. theta inuſtum, & jure quidem merito: Namque perſpectum eſt omnibus, non aliud in hoc conſarcinando Waltonum alioſque propalatores meditatos fuiſſe, niſi in ſolio ponere hodiernos fontes, quos luculenter oſtendimus permultis corruptelis ſcatere etiam in rebus gravioribus, & Vulgatam Latinam veterem, quam Concilium Tridentinum approbavit, & a mendis irreptis Romana Sedes perpolivit, omnibus aliis verſionibus æquare, nihil aliud majoris penſi eidem tribuentes, quam illam puram & nudam auctoritatem extrinſecam, emendicatam ſcilicet ab uſu perpetuo quam apud Eccleſiam occidentalem ſemper habuit, & a Conciliari decreto Tridentinorum PP.: cæterum ſi ſpectetur illius auctoritas intrinſeca, minime Waltonus erubeſcit eandem tanti & non amplius facere, quanti habet editiones Latinas Xantis Pagnini, Vatabli, Iſidori Clarii, dicam plus, Biblia Latina ab ipſiſmet Hæreticis turpiter fabricata. Quantum vero hujuſmodi ſyſtema a mente Romanæ Eccleſiæ aberret, dictis dicendiſque adjicies: quod ubi ab anno 1592., in quo Vulgata Latina correcta vidit lucem, uſque hodie haud S. Sedes paſſa eſt, ut de hujuſmodi Textu correcto vel minima particula fuiſſet mutata, addi-

ta,

ta, vel ab eodem detracta (*a*), & inſuper ubi eidem occaſio occurrit emendandi verſionem aliquam, diſpoſuit, ut unice ad normam Vulgatæ correctæ, non autem hodiernorum fontium adornaretur (*b*); Waltonus e contra cum aliis Anglo-Rabbinis, non aliam regulam ſibi ſtatuerunt in ſuis edendis Polyglottis, niſi modis omnibus Vulgatæ detrahere, ſicque inerrabilibus judiciis Romanæ Eccleſiæ improbo conatu ſeſe opponere. Hac itaque lege exponunt ibi Hebræum Textum Judaicis figmentis refertum, proferunt quoque Græcum Novi Teſtamenti editum a Roberto Stephano Calviniſta, & Syriacum ab impio Tremellio elucubratum: eas unice ſuppeditant verſiones, quæ maxima ſaltem ex parte vel a Judæis, vel ab Hæreticis ex Vulgatæ odio ad normam hodiernorum fontium conſarcinatæ fuere. Non me fugit Waltonum expoſuiſſe Verſionem Viralem, & Vulgatam Latinam juxta correctiones Romanas; ſed qua fidelitate, quave conſilii ratione, haud ad temerarium judicium amandandum fore arbitror, quum conjectando dicam; id potiſſimum Waltonum præſtitiſſe, ut Catholicos deciperet, ideſt, ut facilius Catholicos incitaret, atque induceret ad ſua Polyglotta pretio redimenda, diſpicienda, & revolvenda: *nemo*, apprime Tertullianus (*c*), *venenum temperat felle, & elleboro, ſed conditis pulmentis, & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit.*

412. Cæterum in rebus fidei & morum quid boni ab

(a) *Lex enim graviſſimo Diplomate lata ab eximio Summo Pontifice Clemente VIII. (qua prohibetur impreſſio Textus Latini correcti, quoad minimam particulam diſcrepantis a codicibus Vaticanæ Typographiæ, ſub pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrendæ) conſtanter viguit; non ſemel ab eadem S. Sede confirmata fuit, nuſpiam vel pro tantillo aut derogata, aut moderata, quinimmo cum perpetua ejuſdem Textus correcti impreſſione ad poſteros quoque recens ſemper, florenſque pergat; quum in omnibus voluminibus hactenus impreſſis, & in futurum imprimendis præfixa comperiatur, quamque tranſcripſimus initio operis Cap. Prodr. §. III. n. XXXII.*

(b) *Vide num.* 366.

(c) *Lib. de Spectac. Cap.* XXVII. *Tom.* II. *p.* 219. *B.*

Hæreticis, a quibus fides abeſt, atque caritas, exſpectare poterimus? an non iſti teſte Hieronymo (*a*) fraudulentiis, & cuniculis nituntur ſubvertere veritatem, & (*b*) more maledicti Lamech Evam in duas uxores dividentis, ita unam Chriſti Eccleſiam in plures lacerant? Annon eodem Hieronymo præeunte (*c*), teſtimonia Scripturarum nituntur Hæretici ſuis ſenſibus aſſuere, ac (*d*) quum nolint iis teſtimoniis uti quæ ſuis judiciis non cohærent, conturbant omnia? Prætermitto inſtituere ſermonem de tot aliis vitiis, quibus Londinenſia ſunt obnoxia quæque ipſimet Critici paſſim notant. Riccardus Simonius in hiſce Polyglottis principio taxat (*e*) feſtinationem qua edita fuerunt: & ſane ubi Ximenius, pro edendis ſuis Polyglottis vix exhibentibus Textum Scripturarum Hebraice, Græce, & Latine cum ſolo Pentateucho Chaldaico, non minus ac ſeptemdecim annos inſumpſit, quemadmodum tantumdem temporis interfluxit circa editionem Bibliorum Jay; Angli e contra quamquam idem opus deſcripſerint novem linguis cum reſpondentibus Latinis, pleriſque aliis additionibus, de quibus paulo ante; nihilominus non aliud temporis impenderunt, quam quatuor annorum; ſicque viro prudenti, & in hiſce rebus experto, conjiciendum relinquitur in quot indigeſtas interpretationes offenderint, barbariſmos, ſyllogiſmos, acrylogios, cacozelios &c. (*f*). Præterea idem Simonius affirmat: verſio illa interlinealis Hebræi Textus reiicienda pro-

(a) *Epiſt. VII. ad Demetriadem Tom. I. p. 66. F.*
(b) *Epiſt. XI. ad Ageruchiam Tom. I. pag. 94. F.*
(c) *In Cap. XVI. Ezechiel. Tom. IV. p. 372. C.*
(d) *Loc. cit. Cap. XXXII. p. 431.*
(e) *Hiſt. Crit. Veter. Teſtam. Catal. edition. Biblic. p. 133.*
(f) *Si cauſſam hujus feſtinationis petes, Jacobus Le Long refert Biblioth. Jac. Cap. I. pag. 35. col. 1. D.* Quo fatali tandem eventu, *quod nimirum Angli ſua Biblia ediderunt*, ita imminutum fuit editionis Pariſinæ pretium, ut multa exemplaria ſolo chartæ appenſæ valore parata fuerint: *haud itaque divinari arbitror quum conjiciam, editores Anglos idcirco tam feſtinanter Polyglotta edidiſſe, ut pro ſuis viribus impedirent diſtractionem Pariſienſium, ſimulque ſua felicius faciliuſque venalia redderentur.*

propter vitia innumera & barbariem: item, *meliores inferendæ erant omnium verſionum Orientalium Latinæ verſiones:* item, *in illis ipſis verſionibus Orientalibus innumera menda Scribarum corrigenda erant:* tandem, *meliores quippe quærendæ & inveniendæ, præſertim Arabicæ.*

413. Ex quibus reor cuique ſuaſum iri, quantum virum Catholicum, excepta ſola impugnationis cauſſa, graviter dedeceat ſtudium Polyglottarum Londinenſium, quum non amore veritatis, non veræ Religionis illuſtrandæ, ſed lucrandi, necnon propriis erroribus & præjudiciis inſerviendis, fuerint ab Anglis propalatoribus coacervatæ: *Filii hominum*, iis certe qui incumbunt præfatis Polyglottis, & conſimilibus Hæreticorum operibus, prætermittentes conſulere Scriptores de Romana Eccleſia benemeritos, apprime quadrat hujuſmodi Spiritus Sancti invectiva (*a*), *uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Dulciſſimus Servator noſter Jeſus in corda quoque noſtra miſericorditer immittat idipſum, quo multi primorum credentium confitentes, & annuntiantes Apoſtolo Paulo actus ſuos, potiſſimum quia ſectati fuerant Libros curioſos, vera pœnitentia ducti præfatos Libros contulerunt, & minime dubitarunt donare flammis, flocci facientes eorundem pretium denariorum quinquaginta millium: *Multique credentium (b) veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos. Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus; & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium (c).*

(a) *Pſal. IV. v. 3.*
(b) *Act. Apoſt.* XIX. *v.* 19.
(c) Denarius (*ſcribit Auguſtinus Calmet Diction. Biblico verbo* Denarius) monetæ Romanæ genus, quinque ſextertiis minoribus Gallicis, nempe ut vulgo creditur, ſolidis decem reſpondens, *ſive duodecim aſſibus Neapolitanis; quamquam Rabbinis arrideat denarii nomine intelligere quartam partem ſicli, ideſt circiter octo ſolidos Gallos, paulominus a noſtrate caroleno.*

§. IV.

De Bibliacis Manuſcriptis.

414. Denegandum haud eſt ingentem copiam Bibliccorum manuſcriptorum, quæ a Recentioribus laudantur cum ſpecioſiſſimis titulis venerandæ antiquitatis, pulchritudinis membranarum purpurearum, grandium litterarum ex auro & argento, necnon Clariſſimorum virorum, qui ſummis curis, magniſque expenſis ſibi redemerunt, aut ad proprium uſum confici curarunt, haud leve fomentum miniſtraſſe tot variis codicibus Bibliorum quavis lingua duobus ab hinc ſeculis cuſis. Certe verbum Dei ſcriptum, ſicut & cætera volumina veterum minime nobis e cœlo delapſa, ſed ex codicibus manuſcriptis propagata accepimus; verum quod reapſe tot hodie ſint manuſcripta antiqua, & non aſpernabilis auctoritatis quot recentiores laudant, ſalva pace, haud vereor ire inficias.

415. Obſervo I. Permulta Biblica manuſcripta pro antiquis venditari, quæ revera recentiſſima ſunt. Etenim multo plura hodie citantur ac antea erant, quum nimirum nondum irrepſerat laſcivia Neotericorum tot novas, variaſque Bibliorum editiones fabricantium: ubine tempore Ximenii tot quot hodie ſuppeditantur manuſcripta Hebraica, Græca, Latina, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, Æthiopica, Armenica &c.? ipſimet locupletiſſimarum Bibliothecarum vetuſtiores catalogi, ſi qui ſerventur, valent in patulum ponere hanc veritatem; quam pariter quiſque eruet, ſi ſcilicet conferat numerum manuſcriptorum Bibliorum, quem ex Le Long retulimus num. 392. cum manuſcriptis numero longe paucioribus recenſitis a ſuperioribus ejuſdem generis Auctoribus: dicendum itaque videtur, hujuſmodi manuſcripta, quæ in antiquis catalogis non reperiuntur, ſed ſolummodo in recentioribus, aliqua ſaltem ex parte, aut recentiſſima eſſe, aut pro arbitrio excogitata.

Satis

Digitized by Google

Satis conſtat quanto ſtudio & diſpendio fuit Ximenio; ut vix aliquos codices vetuſtos ſibi compararet (*a*), modo autem ex Recentioribus editoribus vix pauci inveniuntur, qui plurima manuſcripta antiquiſſima ad proprium uſum habere non glorientur. Præterea Jacobus Le Long criminatur jactantiæ propalatores Polyglottarum Pariſienſium ſcribens (*b*): *Licet autem hujus operis propalatores in fronte Libri magnifice jactitent* ex manuſcriptis toto fere orbe quæſitis exemplaribus Textus exhiberi: *conſtat tamen ad ſex, vel ſeptem exemplaria confectum fuiſſe totum hoc opus Polyglotton*: ſubinde (*c*) teſtatur ſuo tempore in ſex vel ſeptem Bibliothecis ſolius Civitatis Pariſienſis, tot manuſcripta exemplaria linguis orientalibus Græcis & Latinis expreſſa ſervari, *ut ſi*, inquit, *ad calculum, revoces duo & triginta* ſupra trecenta numerentur. Itane? tam ingens manuſcriptorum numerus; eo tempore quo Polyglotta Pariſienſia conficiebantur, extabatne Pariſiis, aut non? ſi talis numerus extabat, cur ſex, aut ſeptem tantum exemplaria propalatores illi conſuluerunt? ſi non, ergo aliqua ſaltem ex parte, ex recentiſſimis manuſcriptis præfatus numerus conſtat. Repones, hoc intermedio tempore ex variis Orientalibus regionibus, & Bibliothecis Europæis ſive publicis, ſive privatis advecta ſunt; at mirum quod Me-

tropo-

(a) Conquiſiti ſunt undique utriuſque Teſtamenti vetuſtiſſimi codices . . . ſed potiſſimum adjumento fuerant Bibliothecæ Vaticanæ venerandæ antiquitatis apographa; quorum copia per Leonem X. Pontificem Maximum benigniſſime Ximenio facta eſt . . . exemplaria Mediceæ Bibliothecæ, & quæ a Venetorum Senatu tranſmiſſa fuerunt . . . ſeptem Hebræa exemplaria, quæ nunc Compluti habentur quatuor millibus aureorum ex diverſis regionibus ſibi comparaſſe . . . ut interim de Græcis, & Latinis taceam, quorum illa ab urbe Roma, hæc ex variis in Hiſpania Bibliothecis. *Hactenus ex mandato Epiſcopi Abulenſis apud Le Long Biblioth. Sac. cap. 1. pag. 11. col. 2. D. & ſeqq., ubi quoque fit ſermo de mercedibus præpoſitis internuntiis, quibus ad codices vetuſtos adipiſcendos Ximenius uſus fuit.*

(b) *Loc. cit. p. 24. col. 1. E.*

(c) *Pag. 26. col. 1. E.*

Digitized by Google

tropolis Pariſina multo plura exemplaria acquiſierit ſpatio vix 85. annorum (*a*), quam plurimis antea retro ſeculis. Bene noſco hujuſmodi momentum mathematicum non eſſe, ſed nefas putarim apud viros prudentes omni penitus ſoliditate carere. Item manuſcripta antiqua, ea ſaltem quæ præceſſerunt artem Typographicam, curſu temporis potius exeduntur & pereunt, quam reflorent & multiplicantur; ea igitur quibus nec Ximenius, nec Theologi Antuerpienſes, nec Romani Correctores, nec propalatores Pariſienſium uſi ſunt, reor, pro recentiſſimis fore probabilius habenda; quandoquidem laudatis hiſce viris fuit ſummis curis conquirere undique, & adipiſci vetuſta exemplaria. Tandem ſi non unus, aut alter privatus Criticus, ſed omnes propalatores Pariſienſes, ut ſuis Polyglottis majorem fidem conciliarent, offenderunt vitio jactantiæ; quid conjiciendum erit de tot aliis Criticis, qui privato & peculiari ſuo teſtimonio venditant, ex plurimis vetuſtiſſimiſque manuſcriptis ſua opera concinnaſſe? haud itaque mentiri arbitror quum repetam, quamplurima MSS. hodie citari tanquam vetuſta quæ recentiſſima ſunt, & forte aliqua ex parte conficta: quodque velim intelligas non de ſolis Pariſienſibus, de quibus Le Long citatus, & exemplificandi cauſſa nos diſſeruimus, ſed quoque de aliis, maxime Anglis, qui paſſim jactitant (*b*) ſe ſe habere veterum MStorum magnum theſaurum, adeo ut ſoli codices Hebraici continentes vel in toto, vel in parte Teſtamentum vetus, quoſque dicunt ſervari in Univerſitatibus Oxonii, Cantabrigiæ, & in Muſeo Britannico, conficiant numerum centum & decem. Res plane mirabilis, quum Le Long in ſua Bibliotheca vix

men-

(a) *Tot quippe anni fluxerunt incipiendo ab anno 1635., in quo poſtremum volumen Jayanum editum fuit, aduſque editionem Longhianæ Bibliothecæ anno circumcirciter 1721.*

(b) *Et nuper in folio cuſo Oxonii* 18. *Decembr.* 1760. *inſcripto :* De collatione Hebraicorum codicum MSS. Veter. Teſt. quod elapſo menſe Februario in noſtras manus pervenit.

mentionem faciat centum quadraginta duorum MStorum Hebraicorum toto orbe diſperſorum; cujus adcuratam diligentiam in percenſendis omnibus Bibliacis codicibus ſatis innuimus num. 387. Mirum pariter quod Waltonus, Jacobus Uſſerius, Guilielmus Crovvæus, Joannes Hartley, aliique docti Angli, qui elapſo ſeculo floruerunt, neque pro minima parte ſubodorati fuerint tam ingentem MSS. Hebraicorum copiam, quæ non ſine fucoſa oſtentatione, & ventoſo faſtu hodie mediante allegato folio evulgatur. Utinam & præfata MSS. maxima ex parte non ſint, aut fictitia, & commentitia, aut recentiſſima: ſiquidem MSS. reapſe antiqua fluxu temporis diminuuntur, non multiplicantur.

416. Obſervo II. Quamvis hodie habeamus pleraque manuſcripta, quæ vere vetuſta ſunt, nec ea tamen reapſe fruuntur perantiqua ætate, ad quam nonnulli deferunt: proferam exemplum. Si quod hodie eſt manuſcriptum Hebræi Textus, quod vere vetuſtatem ſapiat, maxime codex ille membranaceus, qui ſervatur in ſacrario Patrum Dominicanorum Civitatis Bononienſis: credibile ſane videtur ſaltem adſpexiſſe lucem ante annum 1308., quo quidem tempore floruit P. Aymericus magiſter ejuſdem illuſtriſſimi Ordinis, cui fuit traditus; quum autem in medio voluminis, teſte D. Bernardo de Monteſaucon, legantur quædam verba indicantia præfatum codicem fuiſſe manu Eſdræ exaratum, quando ſub Cyro filii Iſrael redierunt in Hieruſalem (a); hinc non pauci ab ætate Eſdrina reapſe arceſſunt, inter quos Angelus Rocca, & Finus Adrianus: & tamen eru- [illegible] diti.

(a) Hic rotulus, legis eſt, quem ſcripſit Eſdras Scriba manu ſua... ab antiquo pro tali habebatur inter Judæos de generatione in generationem, & pro tali recepit eum Rev. Magiſter Ordinis Fr. Aymericus, cujus eſt &c. *Præter hujuſmodi Latinam inſcriptionem, & hæc alia ſiſtit Hebraicis litteris ab eodem Monteſaucon Latinæ donata.* Hic eſt Liber legis Moſis, quem ſcripſit Eſdras Scriba, & legit, quum in conſpectu multitudinis a viro uſque ad mulierem, & ſtabat in turri lignea. *Legeſis Le Long, qui hæc percenſet Bibliot. Sac. cap.* II. *p.* 56. *col.* 1. *E.*

diti communiter, ſive ex Catholicis, ſive ex Proteſtantibus præfatas inſcriptiones Eſdrinam ætatem deſignantes, ad meras fabulas amandant: *Lector etiam*, inquit Joan. Morinus (*a*), *nemine monente facile judicabit, ipſos Eſdræ codices aduſque avorum noſtrorum memoriam non fuiſſe ſuperſtites. Quantus quæſo Chriſtianorum & Judæorum ad eos concurſus factus fuiſſet, ſi vel probabilis hac de re rumor finitimas regiones pervaſiſſet? Sed liber ille, antiquus quidam fuit manuſcriptus codex, quem popularis aura, ut in vetuſtis quibuſque rebus errari ſolet, Eſdræ vindicavit*. Hucuſque Morinus, cui adſtipulati ſunt Waltonus (*b*), Riccardus Simonius (*c*), Bernardus de Montefaucon, Jacobus Le Long, aliique communiter. *Addas* ſi codex iſte revera vetuſtiſſimus fuiſſet & pro tali habitus, plane in tanta litigii diſcrepantia, qua Hæretici contendunt, Hebræum Textum minime fuiſſe corruptum, & Catholici e contra tenent oppoſitum, non videtur aſſignabilis ratio, cur nimirum non fuerit tanquam lydius lapis prolatus in medium? cur etiam Romani Pontifices in negotio correctionis Vulgatæ non præceperint hujus codicis inſpectionem? Poſſem idem periculum facere de quibuſdam aliis manuſcriptis ſive Hebraicis, ſive Græcis, ſive Latinis, quæ vere redolent vetuſtatem, ſed ſatis habeo dicere: cautione & judicio opus eſſe in emendis & legendis quibuſdam manuſcriptis, quæ paſſim repræſentantur ſub figura Gabaonitarum, qui quippe in ſaccis veteribus, in ſciſſis utribus vinariis arteque conſutis, in calceamentis perantiquis, veſtimentis diſcerptis, & panibus in fruſta comminutis tam bene ſciverunt ſimulare longitudinem itineris, ut reapſe Joſue pro gentibus longinquæ regionis crediderit, atque exceperit (*d*). Heinc Erneſtius Jablonshi tametſi Proteſtantium opinionibus addictus, adhuc in

Præ-

(a) *Exercit.* I. *lib.* I. *cap.* II. *p.* 15. *col.* 1. C.
(b) *Proleg.* IV. §. 4. *p.* 261. *col.* 2.
(c) *Cap.* III. *Diſquiſit. Crit. de variis Biblior. edit.*
(d) *Joſue cap.* IX. *v.* 4. & *ſeqq.*

Digitized by Google

Præfatione Bibliorum Hebraicorum Berolini editorum an. 1699. ita Lectorem monet (a): *Cave credas antiqua eſſe exemplaria, quorum inſcriptio longam ætatem præfert. Quæ enim inſcriptiones veræ ſunt, eadem ſunt recentes; quæ vetuſtæ, eas ſuppoſititias eſſe nullus ambigit.*

417. Obſervo III. Tametſi codex aliquis manuſcriptus, quo antiquior eo fidelius cenſeatur reſpondere autographo; id tamen non eſt tam arcte intelligendum, ut antiquitas ſolitarie inſpecta tantam auctoritatem eidem conciliet; namque ſi hodie proferentur Bibliaci codices Aquilæ, Symmachi, Theodotionis aliorumque infenſiſſimorum, certe præſeferrent longiſſimam vetuſtatem; ſed quis inde vir conſultus & cordatus agnoſceret iſtos codices vitiis, atque craſſis erroribus non ſcatere? quare hoc in rerum themate permagni intereſt, ut conſulamus & ſedulo ſcrutemur quinam fuerit Auctor, num ſcilicet Judæus vel Chriſtianus, num Hæreticus aut Catholicus, num Orthodoxus de Romana fide benemeritus aut ſuſpectus; inſuper diſpicere haſce eaſdem conditiones relative ad Bibliothecas ſive publicas, ſive privatas ubi talia manuſcripta recondita fuere, & tandem cujus religionis & indolis ſit ille qui manuſcripta citet, aut luci publicæ mandet. Ea de re ſatis mirari non valeo credulitatem aut jactantiam omnium fere Biblico-Anglorum ſcriptorum, qui ſummis laudibus proſequuntur manuſcripta Biblia Græca Veteris & Novi Teſtamenti, repoſita in Bibliotheca Jacobæa ſive Regia Londinenſi, quæque vulgo appellant manuſcriptum Alexandrinum, Waltono inter alios venditante (b), fuiſſe deſcriptum manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ, circa tempus Concilii Nicæni I., & ex recenſione Heſychii caſtigati.

418. Si enim ad trutinam revocaſſent conditionem illius Cyrilli Lucaris, cujus potiſſimum teſtimonio tam longa æ-

(a) §. 35. *apud le Long cit. p.* 50. *col.* 1, C.
(b) *Proleg.* IX. §. 34. *p.* 335. *col.* 2.

tas, & non vulgaris auctoritas præfato Alexandrino manuſcripto adjudicatur, quique Lucaris per Thomam Roe Legatum Regis Angliæ apud Turcarum Imperatorem dono miſit Carolo I. Regi Britanniæ, forte tantum fidei minime Angli præſtitiſſent. Lucaris eſt qui teſtatur talem codicem tranſtuliſſe ſecum tamquam magnum theſaurum, quum a Patriarchatu Alexandrino ad Conſtantinopolitanum vocatus fuit; Lucaris eidem codici manu propria appoſuit inſcriptionem ſignificantem ex traditione accepiſſe, quod paulo poſt Concilium Nicænum manu Theclæ exaratus fuerat: quiſnam vero fuerit Cyrillus iſte Lucaris, ſcito ex Lexico Hiſtorico virorum illuſtrium, Natione Cretenſis, Venetiis, ubi ſtudiis dedit operam, viſus eſt Chriſtianus Catholicus, in Germaniam profectus Proteſtantium religioni ſe addixit, tertio *quum* Græciam rediit, ejuratis ſolemniter dogmatibus Proteſtantium, Schiſmatico-Hæreticis nomen dedit: aliquot annis elapſis renunciatus fuit Patriarcha Alexandrinus; item anno 1621. conſcendit ſedem Conſtantinopolitanam, ubi de artificiis convictus, decipulis, atque fraudibus quibus tentarat introducere apud ſuam plebem Proteſtantium religionem, idcirco depoſitus fuit, relegatus, & tandem laqueo præfocatus in mari euxino: quod ſi poſtea manuſcriptum Alexandrinum tantam fidem habeat, quantam ei conciliare ſtuduit Lucaris iſte, homo tam verſipellis, quiſque prudens videat. Bene ſcio Waltonum magni facere MSS. Alexandrinum etiam ob conſenſum, quem dicit codicem ipſum habere cum celebri exemplari Vaticanæ Bibliothecæ: *Inter*, inquit (*a*), *Vaticanam* verſionem Septuaginta *& hunc noſtrum manuſcriptum* Alexandrinum *conſenſus magnus in pleriſque obſervatur, licet in minutis quibuſdam ſubinde differant . . . . hæc tamen non efficiunt, ut non ſit veræ & genuinæ lectionis Septuag. exemplar, prout apud antiquos Eccleſiæ Patres extabat.* Sed in

(a) *Proleg.* IX. §. 33. *pag.* 336. *col.* 1.

in primis hoc eſt ſolitum rancidumque emplaſtrum, quo Waltonus ſibi ſtatuit hac in provincia omnibus languoribus, quos incurrit, medelam facere; adeo ut ad ipſius voluntatem omnia exemplaria tam fontium, quam verſionum quæ nobis ſuppeditantur, ſive a Judæis, ſive a Chriſtianis, ſive ab Hæreticis, ſive a Catholicis, in rebus fidei & morum conſentiant ad invicem, & tantum in quibuſdam minutis differant: quod ſyſtema pro data opportunitate impugnavimus & refellemus (*a*). Præterea Liber Job quem Patricius Junius ad fidem manuſcripti Alexandrini edidit Londini an. 1737. manifeſte oſtendit, quam longe Alexandrinum a Vaticano diſcrepet. Et quamvis Waltonus id ægre ferens invectus ſit in Junium dicens (*b*) *D. Junius . . . . multa pro arbitrio ex manuſcripto detruncavit, & mutavit*; & etiam ut quiſque ex ejus facinore crederet præfata exemplaria revera diſcrepare in minutis, moneat Lectorem in præfatione ſuarum Polyglottarum, ſe ibi deſcribere Verſionem Viralem, ſecundum exemplar Vaticanum & Alexandrinum, additis in fine cujuſque columnæ minutis in quibus diſcrepant; tamen Jacobus Uſſerius ultro fatur (*c*): inter hoc & Vaticanum exemplar differentiam exiſtere, præcipue *in Libris Joſue, Judicum, Jobi (qui & hic ex Theodotione eſt ſuppletus) & tertio Regum Libro*. Item ſtudio Thomæ Gale an. 1678., pſalterium Alexandrini manuſcripti fuit denuo evulgatum. *Tandem* teſte le Long (*d*) *integer hic codex MSS. luci publicæ dari cœpit ſtudio & opera Joan. Erneſti Grabii, Oxonii* 1707.: ſi enim Waltonus illius vitii, de quo criminatur Junium, particeps non fuiſſet, non video cur recentiores Angli non fuerint contenti editione Waltoniana.

419. Lubet tandem hoc alio inſigni exemplo reſtaurare

Cc 2 omnes

(a) *Num. 66.* 100. 352. *infra num.* 518. *& ſeqq.*
(b) *Loco cit. p.* 336. *col.* 1.
(c) *In ſyntag. de Septuag. Interp. p.* 100.
(d) *Biblioth. Sac. cap.* III. *ſection.* IV. *p.* 161. *col.* 2. *A.*

omnes partes tertiæ obſervationis. Quum Macarius Archiepiſcopus Antiochenus & Hæreſiarcha Monothelita cum aliquot ſuæ factionis Pſeudo-Epiſcopis in VI. Œcumenica Synodo, ſive III. Concilio Conſtantinopolitano actione VIII., aliquot teſtimoniis Scripturarum & ſuperiorum Patrum Athanaſii, Auguſtini, Ambroſii, & Chryſoſtomi ſtuduiſſet ſuam Hæreſim probare, exhibendo quoque codices cum indigitatione locorum, ubi ab ipſo prolata teſtimonia legebantur, Piiſſimus Imperator Conſtantinus & S. Synodus juxta poſtulata Legatorum Romani Pontificis juſſit, ut proferrentur in medium codices authentici eorundem Patrum, qui reconditi erant in venerabili patriarchio, ſive in Bibliotheca Patriarchæ Conſtantinopolitani. Quo facto & ad invicem collatis exemplaribus Macarii cum iis, quæ ex patriarchio accepta fuere, pro meridiana luce detectum fuit, codices Macarianos multis in locis interpolatos fuiſſe: *Edicat*, hinc dixerunt piiſſimus Imperator & S.Synodus (*a*), *Deo amabilis Macarius Archiepiſcopus*, *ut quid hæc*, *quæ neceſſaria ſunt*, *circumrecidit de teſtimonio Sancti & probabilis Patris?* patenti facto Macarius convictus, & amplius denegare non audens patratum crimen, *Ego*, reſpondit, *teſtimonia quæ defloravi*, *ſecundum proprium intentum defloravi*. Iterum S. Synodus (*b*): *Non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deflorare* : *Hæreticorum potius proprium hoc eſt* : tum Macarius. *Etiam dixi*, *quia quærens ſtabilire intentionem meam*, *hoc modo defloravi.* Quo iterum audito, Patres una voce exclamarunt, *Hæreticum ſeipſum manifeſte demonſtravit*. *Novo Dioſcoro anathema*. *Hujuſmodi deponatur*. *Novum Dioſcorum foras mitte*. *Novo Apollinario malos annos*. *Merito ab Epiſcopatu alienetur*, *nudetur circumpoſito ei pallio*, quod ſtatim fuit executioni mandatum.

420.

(a) *Apud Harduinum in Hiſtor. Concilior. Tom.* III. *p.* 1178. *E.*
(b) *Loc. cit. p.* 1182. *A.*

420. Quibus vides Patres VI. Synodi haud contentos fuiſſe ſimplici aſſertione Macarii, ejuſque aſſentatorum, tametſi Epiſcopali dignitate fulcirentur, ſed curarunt propriis oculis inſpicere codices & loca quæ opponebantur: præterea licet nondum eis conſtaret prava indoles & perverſitas Macarii, adhuc ex ſola ſuſpicione quod potuiſſet depravare codices, hos cum aliis contulerunt; neque exactum conſilium eiſdem viſum fuit conferre cum aliis utcunque, ſed cum codicibus illis qui ſervabantur in patriarchio, quique idcirco pro authenticis habebantur: non ergo ſufficit ut aliquis Criticus afferat ſe ad fidem vetuſtiſſimorum & probatiſſimorum manuſcriptorum ſuam Biblicam editionem concinnaſſe, & maxime ſive directe ſive indirecte opponatur Vulgatæ correctæ; ſed inſuper tenetur oſtendere manuſcripta quibus uſus eſt reapſe eſſe antiqua: *ſecundo* probare quoque, amanuenſes eorundem manuſcriptorum fuiſſe viros exactos, & de Romana fide optime ſentientes: *tertio* eos, qui a primo uſque hodie eadem manuſcripta ſervarunt immunia ab injuriis temporum, pariter fuiſſe homines bonæ fidei, itaut de religioſa & fida cuſtodia, in illis ſervandis ab omni conſtupratione intactis, nulla penitus ſuſpicio cadat.

421. Verum enimvero tota atque pleniſſima ratio, qua noſtri Critici, ſive Hæretici, ſive Catholici contendunt inſpectione & collatione manuſcriptorum definire menda in Vulgata etiam correcta, huc unice collimat; quia nimirum Biblia in hiſce manuſcriptis contenta, utpote non expoſita oſcitantiæ amanuenſium & poſtea Typographorum, qui pro fluxu temporis ſemper nova exemplaria deſcripſerunt, vel excuſerunt, taliter repræſentantur hodie, qualiter legebantur eo tempore quo iſta exarata fuere: hinc nonnulli mediantibus quibuſdam manuſcriptis Syriacis, Græcis, Latinis &c. quæ referunt ad quartum, aut quintum, aut ſextum ſeculum, gloriantur reſtituiſſe noſtris temporibus eam penitus Scripturam Syriacam, Græcam, aut Latinam, quæ allegatis peranti-

quis

quis temporibus legebantur apud Chriſti Eccleſias Orientales & Occidentales: quoties ergo non certo conſtabit hujuſmodi manuſcripta eam vere antiquitatem præſeferre ad quam referuntur, toties nullimode nobis certo repræſentabunt eam Scripturam quæ adſerto perantiquo tempore aut Syriace, aut Græce, aut Latine legebatur. Si quanta quanta eſt manuſcriptorum auctoritas unice ex eorundem antiquitate petitur, plane, quum non conſtabit eorum antiquitas, funditus excidet eorundem auctoritas. Ita pariter dato quod vere ſint antiqua, ut autem nobis repræſentent fideliter E. G. eam Vulgatam quam olim quinto aut ſexto ſeculo Eccleſia conſecrabat, neceſſario ſupponere debemus, illorum amanuenſes fuiſſe viros exactos & religioſos; quod nimirum neque erraverint, neque aliquid de ſuo addiderint vel detraxerint; ſupponere inſuper quod nemo eorum qui vel primo acceperunt hujuſmodi manuſcripta, vel per manus uſque hodie ſervarunt, fuerit auſus aliquid de eiſdem immutare: ſi enim aut amanuenſes non exacte & religioſe ſe geſſerunt, aut iſti non fideliter cuſtodiere, quamvis ſint antiqua, nec etiam ſuppeditabunt nobis Vulgatam veterem, ſed veterem conſtupratam; itaque incumbit Criticis, qui ex veteribus manuſcriptis nixi contendunt taxare complures lectiones Vulgatæ correctæ, monumentis adeo ſuaſibilibus oſtendere antiquitatem, & allegatam ſinceritatem ſuorum manuſcriptorum, ut prudentum judicio nefas ſit ſentire oppoſitum.

422. *Adde* longo annorum & ſeculorum fluxu multo facilius prætermitti potuit, & non deprehendi depravatio alicujus inſtrumenti perpetrata in exemplaribus reconditis apud Bibliothecas, ac in iis quibus Reſpublica quotidie utebatur: quare uſquedum nova Hieronymiana verſio circumferebatur per exemplaria nondum ad uſum publicum deducta, nullus fuit rumor ſuper immutatione illius vocis *hedera*, quam Hieronymus loco *cucurbitæ* ſuffecit capite quarto Jonæ: quum autem quoddam ipſius exemplar cœpit publice lecti-

lectitari in quadam Eccleſia, ſtatim hujuſcemodi immutatiuncula deprehenſa fuit, & *Factus eſt* fert S. Auguſtinus (*a*) *tantus tumultus in plebe maxime Græcis arguentibus, & inclamantibus calumniam falſitatis, ut cogeretur Epiſcopus (ea quippe Civitas erat) Judæorum teſtimonium flagitare . . . . Quid plura? coactus eſt homo velut mendoſitatem corrigere, volens, poſt magnum periculum non remanere ſine plebe.* Ex quo infero, tametſi E. G. Vulgata in manuſcriptis vere antiquis non fuerit expoſita erroribus exſcribentium, & Librariorum, quos contrahere potuit apud ea exemplaria quæ uſu quotidiano terebantur & noviter conſcribebantur, vel cudebantur, longe tamen facilius nonnulla menda deprehendebantur in exemplaribus publicis, quam in reconditis; ſicque longe fidelius & exactius Vulgata vetus ſervata fuit apud codices, qui uſu publico manibus omnium terebantur, ac qui ſub clavibus reconditi vix ab uno vel altero inſpecti fuere. Quam tandem palpabilem veritatem præ oculis habentes ſapientiſſimi Patres Tridentini, jure optimo eam adprobarunt Vulgatam Latinam, quæ continebatur non quidem in antiquis reconditiſque manuſcriptis, bene vero in exemplaribus publicis, quibus univerſalis Romana Eccleſia aduſque illud tempus fuerat in publicis officiis, lectionibus, diſputationibus, concionibus uſa: quamquam non intellectis mendis illis quæ irreſperant, & a quibus poſtea fuit per eandem S. Sedem perpolita.

423. Tandem ex facto Patrum ſextæ Synodi quoque emitur, in legendis annotationibus, aut Bibliorum editionibus, quas recentiores Critici ad fidem vetuſtiſſimorum manuſcriptorum noviter atque iterum concinnaſſe teſtantur, intereſt etiam ad noſtrum ſtudium, & exactam cautelam, diligenter examinare religionem, & indolem præfati Critici;

(a) *Epiſt.* LXXI. *alias X. ad Hierony. Tom.* II. *col.* 161. *ſcripta juxta eruditorum calculum an.* 403.

ci; quoniam ſi Hæreticus fuerit, aut diſtortis Hæreticorum dicteriis addictus, tanta profecto fides ei præſtanda, quantam Patres Sextæ Synodi accommodarunt Macario, tametſi Archiepiſcopo Antiocheno. Item in manuſcriptorum Biblicorum negotio, eis manuſcriptis præ cunctis aliis fidem noſtram magis lubentiuſque alligandam, quæ ſervantur in Ven. Bibliotheca Vaticana; quoniam ſicut Romanus Pontifex in perſona principis Apoſtolorum poſitus eſt a Chriſto pro lapide angulari totius Eccleſiæ ſuæ, & pro ſupremo veritatis doctore ac Magiſtro, ita de conſequenti, opus eſt adſeramus, divinam providentiam contuliſſe & conferre Romano Paſtori omnia media (inter quæ perceſenda videntur antiquiora & exactiora Biblica manuſcripta) ad tale munus digne obeundum conducentia, & neceſſaria: omne agens a propoſito, ut quam eminentiſſime eſt noſter Deus, eadem penitus efficaci voluntate qua vult finem, media adhibeat neceſſaria & idonea pro adeptione ejuſdem.

CAPUT V.

De uſu regularum ſacræ Critices.

424. Duo ad placitum Criticorum videntur eſſe neceſſaria media quibus vera lectio, ubi codices diſcrepant, ſtabiliri poſſit in hodiernis fontibus, poſtmodum in Vulgata Sixti V. & Clementis VIII., ſicut & in cæteris verſionibus quavis lingua conſcriptis; nimirum codices Biblicorum Textuum & Contextuum, & regulæ ſacræ Critices. Biblici Textus & Contextus ſunt illi qui conferri debent ad invicem; regulæ critices modum exhibent quo illi recte ad invicem conferantur. Jam quatuor ſuperioribus Capitibus affatim diſſeruimus de integritate tum hodiernorum Textuum tum Contextuum, ubi eoſdem de pleriſque gravioribus corruptelis eviciſſe credimus; itaut nemini iſtorum fiden-

Digitized by Google

fidendum ſit ubi a Vulgata correcta diſcrepat: quia tamen adverſarii paſſim reponunt (*a*), id nihil obſtare quo minus vera lectio in eiſdem ſtabiliatur, adjumento, & uſu regularum critices, idcirco & hanc aliam famoſam cavillationem, opus eſt, in præſentia fuſo calamo enodemus, revocando ad ſpecialem criſim tum regulas ipſas, tum earundem uſum.

§. I.

Ea, quæ tribuunt facem ſuſcepto, præmittuntur.

425. Omnibus profecto fidelibus de ſanctis Dei Scripturis recte & religioſe ſentientibus perſpectum eſt, iſtas præſeferre plures intelligentiæ ſenſus, uſque adeo ſub una voce non unus ſed multiplex interdum ſenſus reperiatur. Hujuſmodi namque oraculum (*b*) *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ubi Doctor Gentium (*c*) explicat de æterna divini Verbi generatione: *cui enim dixit aliquando Angelorum*: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Apoſtolorum Princeps expendit de reſurrectione ex mortuis. *Nos annunciamus vobis eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam Deus adimplevit filiis noſtris reſuſcitans Jeſum, ſicut in pſalmo ſecundo ſcriptum eſt*: Filius meus es tu; ego hodie genui te (*d*). Quare Hieronymus (*e*) *Singula verba*, inquit, *Scripturarum, ſingula Sacramenta ſunt. Iſta verba, quæ ruſtica putantur a ſeculi hominibus, plena ſunt Sacramentis*. Item (*f*). *Debemus enim Scripturam ſacram primum ſecundum litteram intelligere . . . ſecundo* juxta

(a) *Videſis caput Prodrom. num.* XXIX.
(b) *Pſal.* 2. *v.*7.
(c) *Ad Hebræos cap.* I. *v.* 5.
(d) *Act.* XIII. *v.* 32.
(e) *In pſal. XC. Tom.* VII. *p.* 116. *C.*
(f) *In cap. IV. Amos Tom.V.p.* 403. *H.*

Digitized by Google

juxta allegoriam . . . tertio ſecundum futurorum beatitudinem; quod quoque aliis in locis iterat atque inculcat. Auguſtinus (*a*) *Nonnulla verba Scripturarum obſcuritate ſua hoc profuerunt, quod multas intelligentias pepererunt*. Item (*b*) teſtatur multas interpretationes poſſe eſſe ſimul veras. Et iterum (*c*): *Unus Deus ſacras litteras vera & diverſa viſuris multorum ſenſibus temperavit*. Hoc ipſum tandem aliique Patres, Theologi, ipſi quoque Critici communiter, quum non infrequenter commendent inſpectionem fontium, & antiquarum verſionum, ad hoc ut valeamus plures ſenſus a Spiritu Sancto intentos elicere: quo præfato.

426. Senſus quæſtionis non eſt, utrum uſu regularum ſacræ critices valeamus plures ſenſus ex Scripturis elicere, ſive num ex inſpectione & collatione fontium & Contextuum poſſimus melius, exactius, atque medullitus Vulgatam Latinam intelligere, & illuſtrare; hujuſmodi enim uſus non modo convenit & expedit, ſed ii inſuper qui in Dei timore ad id præſtandum accedent, participes efficientur Spiritus Sancti radio, & agent ſane illum doctum Scribam in regno cælorum, quem idem Servator Jeſus aſſimilavit homini patrifamilias, *qui profert de Theſauro ſuo nova & vetera* (*d*). Hoc itaque nobis reſolvendum dubium inſtat, utrum uſu regularum critices valeamus certo & tuto detegere in præfata Vulgata, menda ſi quæ fuerint antiqui Interpretis, aut Romanorum Correctorum? quod idem eſt ac inquirere, utrum regulæ critices nobis præſidio eſſe poſſint, non ſolum ad eruendos varios Scripturæ ſenſus, & ſplendidius Vulgatam perpolitam intelligendam, declarandam, & illuſtrandam; ſed etiam ad eandem corrigendam a quibuſdam mendis antiqui Interpretis, vel Romanorum Correctorum? brevius utrum inſpectio &

(a) *In Pſal.* XVIII. *Tom.* IV. *col.* 84. *B.*
(b) *Lib.* XII. *Confeſſion. cap.* XIII. *Tom.* I. *col.* 220.
(c) *Cap.* XXXI. *col.* 224. *D.*
(d) *Matth.* XIII. v. 52.

Digitized by Google

& collatio Textuum & Contextuum hodie ſit neceſſaria, utilis, & licita tam quoad effectum intelligendi Vulgatam correctam, quam quoad effectum ejuſdem denuo examinandæ & corrigendæ?

427. Quamvis præfata inſpectio & collatio poſſit ſimul utrumque effectum præſtare, non ita tamen ut unus ab altero nullimode ſeparari poſſit: & quia a Criticis confunduntur, & fere pro eodem ipſi uſurpant, itaut unum nitantur ſuadere propter alium, oſtendendo nimirum uſum regularum critices quoad ſtabiliendam lectionem in fontibus & in Vulgata, quia hujuſmodi uſus multum lucis nobis affert ad eandem Vulgatam intelligendam & illuſtrandam, idcirco hic aliquantulum figamus pedem oportet. Huic voci *Deus* quæ Geneſeos initio legitur: *In principio creavit DEUS cælum & terram*, ex inſpectione Hæbrei fontis, & duarum antiquarum verſionum, eruditi varias interpretationes apponunt. Quia Hebraica lectio habet *Elohim*, ideo nonnulli teſte Oleaſtro (a) arbitrantes radicem hujus eſſe *El* quod interpretatur *Fortis*, concludunt nomen *Fortis* jure merito eo loci Deo aptari, quia in creandis omnibus maxime ejus potentia manifeſtatur: *Quamobrem dicerem*, *ait Guilielmus Hamerus voluiſſe nobis hoc nomine Dei declarare præcellentem*, *& indicibilem in creando mundo fortitudinem*, *quam Omnipotentiam ſignificantius nuncupamus*. Præterea quia ubi Vulgata habet *Deus*, Hebræi legunt *Judices*; & *Elohim* ſecundum alios Hebraiſtas deducitur a verbo *alah*, quod eſt maledicere & execrari, hinc ſubinfertur nomen Dei eo loci ſignificare etiam officium *Judicis*, ut videlicet quem veneramur conditorem totius univerſi generis humani, futurum Judicem maxime timeamus: ſic Cardinalis Cajetanus, *voluit Deus ut exiſtimaremus ad ipſum jure creationis pertinere judicium mundi*, *ut ipſe idem qui orbem condidit*, *eoipſo quod condidit*, *eundem judi-*

(a) *Apud Joan.de La Haje præfat.in Biblia Maxim.Tom.* I.*p.*5.

judicaturus crederetur. Item Hamerus citatus quum obſervaſſet iis in locis ubi nos habemus *Deus*, Septuaginta legere *Theos*, quod nomen interpretatur *timor*, hac de cauſſa autumat, Creatorem eo loci nomine *Deus* ſignificante *timorem* voluiſſe appellari, ut diſceremus ſolum Deum eſſe qui vere timendus eſt: *Creator autem quia ſolus jure timendus rationabili timore, Deus nuncupatur*. Tandem Magiſter Sententiarum, Lyranus, Galatinus, aliique Doctores, teſte de La Haje (*a*), ex plurali nomine Hebræo *Elohim*, & ſingulari nomine Latino *Deus* etiam ſignificari unitatem eſſentiæ, & Trinitatem Perſonarum: *Deus eſſentia unus, ſed Perſonis Trinus* (*& hoc innuit Hebræum plurale nomen Elohim*) *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*.

428. Jam vero quo receſſimus, redeamus. Quis in hoc exemplo non agnoſcet præfatos eruditos inſpexiſſe, & contuliſſe Hebræum cum verſionibus, unice ad illuſtrandam hanc vocem *Deus*, quæ eſt in Vulgata, abſque eoquod vel unus eorum ſomniaverit aſſeverare vocem *Deus* ſapere mendum, & loco ipſius ſubſtituendum nomen vel *Fortis*, vel *Omnipotens*, vel *Judex*, *&c.*? quis vel novitius dialecticus non intelliget aliud eſſe, utrum vox *Deus* hoc in loco aſſumi poſſit ad ſignificandam fortitudinem, Omnipotentiam, officium Judicis, vel Myſterium Trinitatis; & aliud, utrum ea vox fuerit ab antiquo Interprete male reddita, & neque hujuſmodi Interpretis oſcitantia a S. Sede in negotio correctionis Vulgatæ, deprehenſa? Dicam plus. Qui utitur regulis critices ut Vulgatam examinet & corrigat, plane ſupponit pro certo eam mendis ſcatere; qui eiſdem incumbit ut Vulgatam clarius intelligat, & illuſtret, oſtendit ſe habere Vulgatam pro Scriptura genuina, canonica, & divina, & quod ſingula ejus verba ſint Sacramentis plena: ille ſupponit antiquum Interpretem interdum dormitaſſe, & hallucinatum fuiſſe; hic, eundem Inter-

(a) *In cap.* I. *Geneſ. p.* 3. *col.* 2. *B.*

Digitized by Google

Interpretem quam rectiſſime, & exactiſſime aſſequutum fuiſſe genuinum ſenſum autographorum: ille conſulit & confert fontes hodiernos cum verſionibus, ut non veterem, ſed penitus novam Scripturam condat; hic, ut vetuſtiſſimum ac ſacroſanctum Dei verbum ſcriptum magis magiſque patefaciat: ille tandem, ut alia miſſa faciam, flocci facit hujuſmodi verba Præfationis Vulgatæ Clementis: *Non immerito Catholica Eccleſia S. Hieronymum Doctorem maximum, atque ad Scripturas ſacras interpretandas divinitus excitatum ita celebrat, ut jam difficile non ſit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquieſcunt, vel etiam meliora, aut certe paria præſtare ſe poſſe confidunt*. Et prope finem: *Porro in hac editione nihil non Canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt:* hiſce inquam ſententiis, haud levis ponderis & auctoritatis, ille præfracte ſe ſe opponit; hic ſuo in obſequium fidei & Sanctæ Sedis captivato intellectu religioſiſſime paret. Nemo itaque mihi vitio vertat ſi in præſentia faciam impetum in conſimiles Criticos, ac in eorum critices regulas, non quatenus iſtæ nequeant nobis inſervire ad detrahendum velum, ut in Sanctum Sanctorum introſpiciamus, ad frangendum corticem ut nucleum latentem eruamus, ad tollendum lapidem de ore fontis ut venam aquarum viventium inveniamus, & tam nobis quam aliis Chriſti ovibus valeamus affatim miniſtrare; ſed in quantum præpoſtere aſſumantur, & commendentur ad ſtabiliendam germanam lectionem tum in fontibus, tum in Vulgata, qua a mendis perpolita S. Mater Eccleſia dignata fuit ſummis curis nos ditari.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Præcipuæ ſacræ Critices regulæ percenſentur cum earundem origine.

429. Moleſtiæ potius quam neceſſitati & fructui nobis eſſet recenſio tot regularum critices, quas ſparſim & pro data opportunitate Recenſiores protulerunt; brevitati itaque ſtudens ea dumtaxat referam quæ relatu digniora, quantum ad præſens adtinet, videntur eſſe. Sacrilegus homo ille ſatyricuſque Eraſmus Roterodamus, de quo nonnulla taxavimus alibi (*a*) in Epiſtola nuncupata Chriſtoforo Fiſchero (*b*) ſequentia dicteria evulgavit, & opitulante tenebrarum principe omnium malorum ſatore, ingeſſit mundo. ***Primum*** Scripturas vertere eſſe potius Grammaticorum quam Theologorum partes. ***Secundum*** bene ſe geſſit Laurentius Valla, quum collatis aliquot vetuſtis exemplaribus Græcis annotavit errores dormitantis antiqui Interpretis. ***Tertium*** ſine controverſia, totum quod in Vulgata Latina legitur, ab hodiernis fontibus manare debuit. ***Quartum*** totum interpretandarum Scripturarum negotium haud pendet de Sancti Spiritus afflatu. ***Quintum*** ut veterum Librorum fides de Hebræis voluminibus (ſubaudi hodiernis) examinanda eſt, ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat. ***Sextum*** nemo tam ſaxeus quin miſereſcat, quin rideat inſulſiſſimum gloſſema ſomniantis Hieronymi qui affirmat: ***Latina exemplaria caſtigatiora eſſe Græcis, Græca Hebræis.*** ***Septimum*** non eſt fidendum antiquis Interpretibus, ſed quiſque propriis oculis, quam alienis rem cernat. ***Octavum*** addiſcendæ ſunt Orientales linguæ, ut corrigantur tot Libri veterum in omni lingua depravati. ***Nonum*** hanc ob cauſſam Concilium Viennenſe ſolicite ſtatuit

(a) *Cap. I. n. 2. 3. & 4. & num. XV. noſtræ Apologiæ.*
(b) *Apud Critic. Sacr. Tom.* IV. *p.* 1. *ſub init.*

Digitized by Google

tuit de parandis trium linguarum Doctoribus.

430. Hujuſmodi Eraſmicum ſyſtema cæteroquin plauſibile, populare, atque ita magis idoneum ad exagitandam Romanam Eccleſiam, quæ teſtimoniis Scripturæ & Traditione ſolidatur, mirum in modum placuit duobus vexilliferis Luthero & Calvino; qui quidem cum caterva ſuorum gregalium expanſis vulnis exceperunt, reſtaurarunt, propagarunt, ubique evulgantes *primo* neceſſitatem linguarum, potiſſimum linguæ Hebraicæ; *ſecundo* diligentem conquiſitionem & inſpectionem vetuſtiſſimorum Biblicorum codicum; *tertio* exactam eorundem collationem: quæque se habent tanquam tria fundamenta, tres baſes, tres lapides angulares omnium regularum ſacræ critices. Circa neceſſitatem de excitandis inter Proteſtantes linguarum ſtudiis, perpende queis ſenſibus uſus fuerit Sixtinus Amama in Epiſtola quam direxit ad Synodos, Epiſcopos, & ſuperintendentes Eccleſiarum Proteſtantium: *Non ignoratis*, inquit (a), *Reverendi Patres & Fratres primarium ſacri codicis e Superiorum ſeculorum tenebris eruti tenebrarum Papiſmi diſcuſſarum, Religioniſque repurgatæ inſtrumentum fuiſſe ſolem Hebrææ & Græcæ linguæ, qui multis retro ſeculis Chriſtianiſmo non illuxerat . . . Nec illud vos latet quanto cum furore efferatus ille humani generis hoſtis per Colonienſes, Lovanienſes, & Sorbonicos Theologos, atque adeo univerſam Monachorum conflugem his initiis intercęſſerint . . . Ex eo verſiones ſacri codicis non ex lacunis Vulgatæ, ſed ipſis fontibus derivatas, omnes fere nationes conſecutæ ſunt. Hac ratione ſol Evangelii veſtris Eccleſiis illuxit*: Novi, *inquit alicubi Beatus Lutherus* quantopere mihi contra hoſtes meos profuerit linguæ Hebrææ notitia: certe quamvis exigua illa ſit, cum omnibus tamen Mundi gazis eam non commutarem. *Experti ſunt idipſum Monachi & Inquiſitores, qua de re lamentabilem Cochlæi & Melchioris Cani querelam alibi*

(a) *In Anti Barbaro Biblico pag.* 121.

alibi produximus: Tandem ut alia conſimilia prætermittam; *Rogantur* pergit (*a*) *itaque per viſcera Miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut conjunctis operis, ſanctiſſima hæc ſtudia* (Hebraicæ & Græcæ) *in Eccleſia Dei refloreſcant*. Hactenus Amama. Quod vero ſpectat conquiſitionem, inſpectionem, & collationem mutuam veterum codicum, conſtat ex facto ipſius Eraſmi, qui fert (*b*) pro ſua virili ad Græcam veritatem ceu fontem recognoviſſe Novum Teſtamentum, & quidem adjumento codicum quos acceperat a Joanne Coleto, a Margarita Caroli Cæſaris amita, & ex Collegio D. Donatiani; cujus Eraſmi veſtigia diligentiſſime ſequuti fuerunt Lutherus, Munſterus, Fagius, Melanchton, Pellicanus, Calvinus, Zuinglius, Bugenhagius, Bibliander, Robertus Stephanus, & multo plures alii ejuſdem furfuris, itaut brevi tempore tot variantes Bibliorum codices adparuere, quot fere ii erant qui ſibi videbantur habere aliquantulum peritiæ Rabbinicæ & Græcæ.

431. Verum quia tam allegatum ſyſtema Eraſmi mirum in modum populare (*c*), quam ingens varietas vocum, lectio-

(a) *Loc. cit. pag.* 131.

(b) *Præfat. in Annotation. Novi Teſtam.*

(c) *Quoniam vi illius unuſquiſque parvo labore* (*ſi nimirum aliquos menſes, vel annum inſumat pro addiſcendis orientalibus linguis*) *ſibi aſſumit facultatem interpretandi propria auctoritate Scripturarum fontes, nec non ut ſibi libet intelligere divinam legem. Nec refert, quod Theologi ex tum clamarint* (*definientibus poſtea ipſis PP. Tridentinis in Spiritu Sancto congregatis*) *Scripturas interpretandas ab Eccleſia, & juxta ſenſum quem eadem S. Mater Eccleſia tenuit & tenet, ſive intelligendas juxta veterum Patrum traditionem; quoniam ſat fuit & eſt in via Eraſmi, ut habeatur peritia Hebraicæ & Græcæ, ad hoc ut propriis oculis, & independenter tam ab Eccleſia, quam a veteribus deprehendatur quid ſcripſerint Prophetæ, & Apoſtoli, & quomodo intelligendi ſint; ſicque parvo labore unuſquiſque reipſa fiat interpres & judex divinæ legis. Ecquid aliud poterat infernalis homo cum aliis ejuſdem farinæ excogitare, ſtudio ſeducendi facilius plebem Chriſti? unicuique procul dubio nimio oblectamento eſt, atque jucundum fieri interpretem & judicem illius legis ad quam tenetur, ut ſibi ſemper ſuppetant momenta quæ rebus illicitis honeſtatem præfigant. Haud itaque mirum ſi tota ferme regio aquilonaris brevi tempore, & quam periculoſiſſime Eraſmicam, ſive Lutheranam popularitatem deſponſarit.*

ctionum', & Biblicorum codicum, quæ ſtatim abundare incepit, evidenti experimento commonſtrabant, verbum Dei ſcriptum non multo poſt tempore diſcerpturum quam graviſſime, & in magnum confuſionis Chaos incurſurum, vide, quam zizaniam Satanas in mentibus eorundem nugatorum ſuperſeminavit, iiſdemque miniſtrantibus propalavit ubique. In ſacris litteris alia pertinent ad fidem & mores, ſive ſe habent ut media ad ſalutem neceſſaria; alia ſunt levioris momenti, in quibus error, dubietas, aut ignorantia nihil detrimenti parturiunt circa ſalutem. Non eſt ergo, ut pro more populari timeamus Scripturarum jacturam, aut confuſionem, ex quo exemplaria Bibliorum in quibuſdam lectionibus levioris momenti diſcrepent ad invicem: id unum permagni noſtra intereſt, ut circa ea quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, amica conſenſione illa perpetuo concinant; quemadmodum in hiſce tantummodo rebus Scriptura eſt fundamentum, & norma Chriſtianæ Religionis: quam profecto perfectiſſimam concordiam nemo eſt, qui in omnibus codicibus olim & recenter editis, tam a Catholicis, quam ab Hæreticis mirum in modum non deprehendat (*a*). Ultraquamquod dantur media certa ſive regulæ, quibus mediantibus quævis vel minima totius ſacri Textus lectio, quum codices diſcrepant, ſtabiliri poteſt, quæque ſunt & hoc ordine deducendæ ad uſum. ***Primo*** Hebræus Textus eſſe debet omnium verſionum lydius lapis & nor-

(a) *Legeſis Walton. Proleg. VI.* §. 2. *p.* 271. *ubi depromptis integris teſtimoniis Ludovici Capelli, Sixtini Amamæ, Bochardi, Ludovici de Dieu, Danielis Heinſii, aliorumque Novatorum ſic ipſe concludit* : Hæc vero virorum Doctorum teſtimonia proferenda duximus, ut eorum timori occurramus qui nimis meticuloſi . . . verentur ne hoc modo labefactetur divinæ Scripturæ auctoritas, fideſque noſtra incerto fluctuet. *Quod ſane commentum de Scripturis pertinentibus ad fidem & mores, & levioris momenti ex inſtituto refellemus num.* 518. *& ſeqq. : ſicut & varietas Biblicorum codicum quantum detrahat Scripturis & Eccleſiæ expendimus* §. 1. *ſuperioris Appendicis : immo quod nec eiſdem adverſariorum principiis cohæreat videbimus num.* 538.

Digitized by Google

norma. *Secundo* adhibenda eſt ſedula adcurataque collatio multorum codicum fontium, & ea lectio quæ congruit cum pluribus præferetur ei, quæ nititur paucioribus. *Tertio* ſi hiſce collatis adhuc dubium ſuperfuerit, tunc conſulendi erunt, & conferendi etiam codices Biblicorum Contextuum; nimirum Verſionis Septuaginta, Italæ, Textus Samaritani, Targumim, Arabicæ &c. *Quarto* pariter obſervandum, & diſpiciendum quam lectionem ſequuti ſint veteres Eccleſiæ Scriptores in ſuis commentariis, & cæteris operibus. *Quinto* inter omnes codices fontium, Biblicorum Contextuum, & antiquorum PP., eorum profecto major ratio habeatur qui ſunt melioris notæ, majori nimirum cura, ſolertia, & adcuratiſſime conſcripti, in quibus pauciora errata ſcribarum inveniuntur, quorumque ſcribas ad exemplar vigilanter, atque fideliter attendiſſe conſtabit. *Sexto* ille codex ſive manuſcriptus, ſive cuſus eo æſtimatur melioris notæ, quo eſt antiquior: *Septimo* ſi hiſce omnibus diligenter ſervatis eadem atque antea implexitate laboramus, progrediamur opus eſt ad obſervandum, quæ lectio cum antecedentibus, & conſequentibus, & locis parallelis magis apprime reſpondet, magis analogiæ fidei conſona eſt, magis bonæ notæ codicibus concordat, magis ex antiquis Patrum ſcriptis corroboratur, quæ tandem veriorem fundit atque clariorem ſenſum; & tunc ea quæ talis invenietur, proculdubio pro vera & genuina habenda eſt. *Tandem* ſi his omnibus penſiculatis adhuc lectio dubia maneat, tum poteris alterutram pro libitu eligere; utraque enim lectio in hoc caſu gravibus nititur fundamentis, ſicque pro legitimo germanoque Dei verbo alterutra adoptari poteſt. Hactenus quoad regulas Novatorum.

432. Quod vero Catholicos ſingulariter ſpectat, ſi quæ erunt regulæ critices maxime eæ quas Franciſcus Lucas Brugenſis a quolibet viro Catholico ſervandas, viſus eſt indicaſſe. Nemo ignorat quantum Waltonus aliique Recentiores, auctoritate illius fuerint delectati, & etiamnum dele-

delectentur: reor itaque fore ut Lectori arrideat, ſi methodum quam Brugenſis tenuiſſe fatur, redigam ad haſce regulas. *Prima* is debet eſſe ſcopus noſter, ipſam nimirum quærere antiqui Interpretis Latinam Scripturam, & quidem non tantum in rebus majoris ponderis, verum etiam in minutis. *Secunda* ſi quæ lectio inveniatur antiqui Interpretis in qua deprehendatur quid minus fortaſſe commode verſum, nemini ob id licere eam aliunde emendare, ſeu caſtigare ad fidem hodiernorum fontium, ſed eandem fideliter in codice Vulgatæ retinere, & in aliis ſcriptis, quod commodius videtur, notare. *Tertia* quum dubium emergat de germana Interpretis Scriptura, utrum ſcilicet aliqua lectio Vulgatæ ſit vel ne germanus fœtus antiqui Interpretis, non ideo debemus proprio judicio ſiſi abſolute proferre, eam eſſe, vel non eſſe antiqui Interpretis; ſed quæ pro oppoſitis partibus faciunt proferre in medium, aliis relinquendo ferendam ſententiam. *Quarta* haud Vulgatam veteris Interpretis emendandam fore ad fidem exemplarium Hebræi, Græci, Chaldæi, Syriaci &c., ſed exemplarium Latinorum, adeout qui aliter ſe gereret, minime veterem editionem ſtuderet ſervare, ſed ſuam potius novamque moliretur obtrudere, menti Tridentinorum Patrum ſe ſe temere opponendo. *Quinta* tunc ſolum adhibenda ſunt Hebræa, Græca, plerumque etiam Chaldæa, & Syra quum exemplaria Vulgatæ verſionis reperientur variare, & ad invicem adeo diſcordare, ut ex eis nihil certi ſtatui poſſit. *Sexta* ubi talis occurret neceſſitas recurrendi ad exemplaria Hebraica, Græca &c. hac tantum lege adhibenda ſunt, ut ex ipſis dignoſci poſſet quænam exemplaria Latina ſervarint germanam lectionem, non autem ut aliqua nova lectio ex eis eruatur, quæ cum exemplaribus Latinis non conveniret. *Tandem* obſervandæ quoque ſunt circumſtantiæ locorum, commentaria, enarrationes, ſcholia, tranſlationes primæ, mediæ, poſtremæ ætatis Auctorum Græcorum, & Latinorum. *Qui*, teſtimonio tibi ſint ejuſdem Bru-

 genſis

genſis verba (*a*), *voluerit* ſubaudi Vulgatam a Tridentinis adprobatam *ex Hebræo aut Græco mutare*, *aut ſuo pro judicio corrigere*, *correctamque pro ipſa veteri editione emaculata proponere*, *is Synodi ſententiæ proculdubio adverſatur*. *Non enim veterem ſervat*, *ſed ſuam obtrudit editionem*. *Cæterum qui ex variis ipſius veteris editionis exemplaribus illi emendandæ*, *&* *primævæ lectioni germanæque Interpretis Scripturæ reſtituendæ operam navet*, *tantum abeſt ut menti Synodi adverſetur*, *ut ipſa ad hoc Synodo hortante*, *ex mente Synodi faciat . . . Non enim ex Hebræo*, *Græco*, *Chaldæo aut Syro Vulgatam emendare ſtuduimus verſionem: ſed quum variare reperta eſſent Vulgatæ verſionis exemplaria*, *adhibita ſunt Hebræa & Græca*, *plerumque etiam Chaldæa & Syra*, *ut agnoſci poſſet quæ exemplaria lectionem ſervarent germanam*. Et iterum (*b*): *De genuina Interpretis Scriptura plus ex Latinis codicibus*, *quam aliunde intelligere licet*, *dum inter varia exemplaria quem legendi modum Vulgaria ſequantur*, *in quem conſpirent emendatiora*, *conſpicitur*. *Dehinc conſuluimus commentaria*, *enarrationes*, *Scholia &c. . . . . poſt hæc adhibuimus in V. quidem Teſtamento Hebraicum*, *Græcum &c.*

433. Quod ſi Brugenſis in annotandis mendis veteris Vulgatæ, cujus codices eo tempore vitiis revera erant obnoxii, præfatas regulas ſervaſſe teſtatur, quis inde non deprehendet quam perperam quam perfunctorie a Waltono P. Natale ab Alexandro aliiſque Recentioribus tanquam ſuffragator citetur & laudetur? Si Waltonus omneſque Heterodoxi idcirco contendunt Vulgatam primo & potiſſimum examinandam & probandam ad lancem hodiernorum fontium, in quantum tenent eſſe integros, ab omni præcogitata corruptione immunes, tabulas authenticas, & Vulgatam

e con-

(a) *In Epiſt. dedicatoria Eminentiſ. Sirleto*, *præfixa Annotation. in Sac. Biblia apud Crit. Sac. Tom. VII. Parte* 1. *col.* 915.
(b) *Præfat. ad Lectorem ibid. col.* 920.

e contra complecti non verba Dei ſed hominis erroribus obnoxii, & nonnulla reapſe vitia ſpirare antiqui Interpretis, ſicque neque præferendam neque coæquandam fontibus, quomodo Brugenſis qui potiſſimum ex Latinis non autem ex Hebræis aut Græcis, niſi occurrente Latinorum varietate, ſtuduit perpolire Vulgatam veterem, quomodo Brugenſis inquam a ſyſtemate Waltoni aliorumque Hæreticorum longe lateque non abſuit? Ubi Hæretici ad normam fontium examinantes & approbantes Vulgatam, conantur non veterem ſed novam editionem obtrudere, hocce penitus ſyſtema Brugenſis exprobat, & monet non alio ſcopum noſtrum debere tendere, quam ipſam quærere antiqui Interpretis Scripturam: ubi Hæretici tot fere variantes Latinas verſiones edunt quot ſunt editores, Brugenſis hortatur etiam ſi quid minus fortaſſe commode verſum deprehendatur in Vulgata, nemini ob id licere quid de ipſo codice immutare, ſed in aliis notare ſcriptis: ut alia tandem faciam miſſa, Brugenſis ſaltem putavit ex mente Synodi navare opellam Annotationum in Vulgatam; quoniam eo tempore vigebat lex ejuſdem Synodi de ea corrigenda, quemadmodum tredecim antea annis a promulgatione Vulgatæ correctæ, eas publicæ luci donavit (*a*); Hæretici autem, ut cuique perſpectum eſt, nuſpiam contenti fuere nec erunt aliqua una editione Bibliorum, donec ad eam S. Sedem, a qua miſerabiliter defecerunt, humiliter redeant uti oſtendiſſe confidimus num. XXV. & XXVI. Reſponſionis Apologeticæ.

434. Neque ex peculiari ſuo ingenio ac pro arbitrio præfatas regulas Brugenſis ſibi ſervandas ſtatuit; quinimmo ex decreto Tridentinorum Patrum quivis vir doctus de Romana Eccleſia tunc tenebatur eaſdem præ oculis habere.

(a) *In fine Epiſt. ad Cardin. Sirletum, cui præfatas Annotationes Brugenſis nuncupavit, hæc habentur*: Brugis Flandrorum die B. Laurentii martyrio celebri IV. Idus Auguſti 1579. *Clemens VIII. edidit diploma Vulgatæ correctæ die IX. Novem.* 1592.

re. Namque quum Sacroſancta Synodus adprobarit Vulgatam Latinam antiqui Interpretis, inevitabili conſecutione opus erat, ut primo & potiſſimum conſulerentur, & conferrentur ad invicem Latini codices, ad hoc ut Vulgata vetus priſtino nitori reſtitueretur: quemadmodum Rabbini, quibus ſemper cordi fuit expurgare Hebræum a mendis, primo & potiſſimum conſuluerunt, & contulerunt non Codices Latinos, aut Græcos, ſed Hebraicos. Huic evidenti argumento quod ex ipſa rei natura proficiſcitur accedit factum, quo Romanis Correctoribus ab Apoſtolica S. Sede mandatum fuit reſtituere, non quidem Hebræum aut Græcum, neque eam Latinam editionem cudere quæ reſponderet Orientalibus fontibus, & verſionibus hodie extantibus; ſed eam unice quæ longo ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata fuerat (*a*): item hoc aliud quo Romani Correctores reapſe reſtituerunt Vulgatam veterem, primo & potiſſimum præſidio Codicum Latinorum, non vero Orientalium, niſi in illis dumtaxat locis in quibus vetuſtiſſimi codices Latini tam Bibliorum, quam SS. Patrum non ſatis videbantur conſentire. *In hac autem*, ita fert Maximus Pontifex Sixtus V. in ſua Bulla incip. *Æternus &c., germani textus perveſtigatione, ſatis perſpicue inter omnes conſtat, nullum argumentum eſſe certius ac firmius, quam antiquorum probatorumque codicum LATINORUM fidem, quos tam impreſſos quam manuſcriptos ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacunque igitur lectione plures vetuſtiores, atque emendatiores Libri conſentire reperti ſunt, ea jure optimo tamquam primigenii Textus verba, aut his maxi-*

(a) Sacræ Congregationi Ampliſſimorum Cardinalium, aliiſque eruditiſſimis viris ad hoc opus a Sede Apoſtolica delectis, propoſitum non fuit novam aliquam editionem cudere vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; ſed ipſam veterem, ac Vulgatam editionem Latinam, a mendis veterum Librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, ſuæ priſtinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, reſtituere. *Ita in Præfatione Bibliorum Clementis* VIII.

maxime finitima retinenda decrevimus. Id vero ad germanam editionem conſtabiliendam præſidium ſicubi deſideratum eſt, tunc Sanctorum PP., veterumque expoſitorum enarrationes, quibus diverſa Scripturarum loca & Libros illluſtrarunt ſubſidio fuere, in quibus quidquid e re noſtra obſervatum fuit, id in hujus operis partem adſcitum eſt. In iis tandem, quæ neque codicum, neque Doctorum magna conſenſione ſatis munita videbantur, ad Hebræorum, Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini Interpretis errata corrigerentur. Obſiſtant modo Hæretici quique eiſdem adbladiuntur, obluctentur, rugiant, adlatrent, caninis dentibus mordeant frenum hocce, quo Tridentini PP. ſolum Vulgatam veterem declararunt authenticam, & Apoſtolica Sedes præſidio Latinorum codicum non autem Orientalium, niſi poſtremo loco, & raro eandem priſtino nitori reſtituit; idcirco enim Apoſtolica Sedes in negotio correctionis primas partes detulit codicibus Latinis quia eadem cum Concilio Œcumenico ſtatuit, Vulgatam Latinam veterem habendam fore pro authentico Scripturæ Textu: utrum vero id rectiſſime, aut præpoſtere (ſicuti irreligioſe & inſcite fabulantur Amama, Sarpius, Courajer, cæterique) diſpoſitum fuerit, opportunius videbimus num. 482. & alibi. Hæreticorum eſt propter tenebras quibus obruuntur ſexcenta ſpumare ſimul, nullum unum ad ſufficientiam demonſtrantes; nobis quibus religio eſt ſegregare frumentum a palea, haud moleſtiæ eſſe debeat, ſi paulatim incedamus, quoad fieri poteſt refellendo, quæ brevi laciniosa, & decipulis referta oratione recentiores Nugatores propalarunt: ad quod itaque urget, feſtinemus.

AS-

ASSERTIO.

Uſus regularum Critices, quoad effectum ſtabiliendi germanam lectionem in hodiernis fontibus, ineptus, & vanus.

§. III.

Vanitas præfati uſus oſtenditur ex defectu linguæ Hebraicæ.

435. Ut quis valeat in hodiernis fontibus tuto reſtituere germanam lectionem, vel vocem, vel ſyllabam, vel litterulam, opus eſt, calleat eam linguam Hebraicam, qua Libri veteris Teſtam. conſcripti fuere; ſed Hebraica lingua qua ſacri Libri V. T. conſcripti fuere, a multis antea ſeculis evanuit, ergo &c. Circa primam propoſitionem haud immoremur oportet, quum nonniſi mente motus eam inficiari audebit, & inſuper iis quæ in gratiam minoris propoſitionis ſuppeditabimus, quivis pro ſuo ingenio firmare poterit. Probatur itaque minor.

PRIMO ſicut temporis decurſu Imperia, & Reſpublicæ varia mutationum fata ſubire ſolent, ita & linguæ: quare Joan. Morinus (*a*) gravioribus monumentis probat hujuſmodi inſignes perturbationes non modo in verborum pronunciatione, verum etiam in ipſa verborum permutatione & innovatione, brevi ſeculorum ſpatio accidiſſe in lingua Gallica, Germanica, & ſpeciatim apud Romanos, qui longe aliter Latine loquebantur ab initio Urbis conditæ, ac tribus vel quatuor poſtea ſeculis, nimirum tempore Polybii; & multis ab hinc ſeculis non amplius Latine ſed Italice loquuntur: immo plurimæ voces antiquitate obſoletæ ad novum uſum quandoque deducuntur, canente Horatio (*b*)

Ut

(a) *Lib.* II. *Exercit.* XVIII. *cap.* 1. *p.* 510., *& ſeqq.*

(b) *Apud Dominicum Gravin. lib.* IV. *Cathol. Præſcript. de Latin. Edition. art.* II. *p.* 404. *col.* I.

Ut folia in ſylvis pronos mutantur in annos
Prima cadunt, ita verborum, vetus interit ætas
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Inter cunctas autem linguas, quæ magis mutationes ſubiit profecto eſt Hebraica, de qua omnes Critici nullo excepto fatentur, non amplius quam ſpatio ſeptuaginta annorum duplicem mutationem ſubiiſſe, & quidem inſignem. Hebræi enim ubi ante captivitatem pure Hebraice loquebantur, Babylonem autem adducti cœperunt Chaldaice loqui, & in patriam tandem reduces neque pure Hebraice, neque Chaldaice ſed mixtam dialectum uſurparunt. Quod ſi poſtea res ita ſe habet, dicas, amabo te, quamne convenientiam eſſe fatebimur inter linguam Hebraicam quæ hodie in ſcholis traditur, cum ea quæ currebat Prophetarum & Apoſtolorum ætate, quave Libri ſacri conſcripti ſunt? Si qui ad hæc adverterunt animum compertum habuerunt, linguas populorum ſpatio trium, quatuor, vel ad ſummum quinque ſeculorum inſigniter mutatas fuiſſe, quam longum latumque diſcrimen non intercedere argumentabimur inter Hebræam Prophetarum, Apoſtolorum, & hodiernam qua Hebraiſtæ gloriantur, quum quindecim ad minus ſecula fuerint elapſa? si ſola mutatio famulatus dominorum, & regionis Palæſtinæ cum Babylone cauſſa fuit, ut lingua Hebraica fuerit haud levi mutationi obnoxia, tametſi ante captivitatem Babylonicam Hebræa nihil vel parum diverſa erat a Chaldaica, quid dicendum erit de Hebraica, quæ hodie currit (ſi verum eſt) apud aliquos Judæos relate ad veterem, quum poſt captivitatem Babylonicam in eiſdem Hebræis dominati fuerint primo Græci, poſtea Romani, quorum idioma quam longiſſime ab Hebræo diſtabat, tertio Arabes, & tandem vitam ſervilem iidem hactenus agunt apud Italos, Gallos, Hiſpanos, Germanos, aliaſque gentes lingua, moribus, religione nimium diſcrepantes, necnon a Judæa longe diſſitas.

436. Oppones forte linguam latinam, quæ licet a multis retro ſeculis apud vulgum Romanum penitus extincta, in Libris tamen ſemper perſeveravit, & mirum in modum hodie vivit, & floret. Sed in primis exſcribere duco verba Morini, quæ ſane plurimum faciunt. *At quis* (*a*) *eam* (Latinam) *antiquo more pronuntiat? Quis pronuntiando quantitatem ſyllabæ ab accentu diſtinguit? tonum acutum a longa ſyllaba, gravem a brevi, accentum acutum a circumflexo? Quis loquens differentiam exprimit inter hos nominativos Roma, Muſa, Meta, Vena; & ablativos Roma, Muſa, Meta, Vena: at priores omnes trochæi ſunt, poſteriores ſpondæi: ita Luctus in recto caſu, & Luctus in patrio. Innumera ejuſmodi exempla proferri poſſunt, de quibus ne cogitant quidem Latine loquentes.* Et tamen Cicero hac ſuper re plurimum, diuque, & non incaſſum deſudavit, Quintilianus hujus differentiæ rationem magni faciendam in oratione animadvertit, & Lipſius tam de jactura exactæ hujus pronunciationis, quam de impotentia ejuſdem reſtituendæ ita querebatur. *Si ſermo ipſe Romanus periit, quid ambiges de ſono? ideſt de re fragili ac flexili, & ad omnem occaſionem facta frangi. Sed eum ſermonem e Libris iterum inſtauravimus: ita, ſed qua arte iſtum? non enim ſcribitur aut pingitur; nec hauriri eum fas niſi a viva voce. Quid verba facio? ſponſione provoco, ni tam corrupta hodierna pronunciatio iſta ſit: ut ſi quis e veteribus Togatis illis prodeat, & nos audiat, & vix verbum capiat e denis meis verbis.* Quibus idem Morinus ſubdit: *Deperdita lingua, lepos ille pronunciationis reparari non poteſt . . . Pingi non poteſt, nec ſcribi . . . Sonus eſt aurium objectum, non viſus*: ſicque vides Latinam, quæ hodie vivit & floret, diſcrepare ab ea quæ currebat antiquis temporibus; & taliter diſcrepat, ut ſi quis e veteribus hodie prodiret, & nos Latine loquentes audiret, vix verbum caperet e denis noſtris verbis:

(a) *Loc. cit. p. 511. col. 1. A.*

bis: quum igitur Judæi ab initio ſuæ diſperſionis ea penitus lingua uſi fuerint, & utantur qua loquuntur Provinciales apud quos verſantur, certe *Hebraicam* iterum Morinus *non magis eleganter eloqui poſſunt, quam Germanus Gallicam, aut Gallicus Germanicam, licet ab indigenis edoceantur. Quapropter nunquam ſine riſu audio Tiberienſes Judæos linguæ Hebrææ nitorem & elegantiam conſervaſſe, & punctulis ſuis . . . eam ſacris Bibliis inſcripſiſſe. Quis viva voce eos docere potuit elegantem pronunciationem? quis recte pronunciationis Judex eſſe potuit?* Annon neceſſario requiretur E. G. Neapolitanus hodiernus ad hoc ut tuto judicare poſſit, utrum Germanus aliquis, vel Gallus, vel Hiſpanus qui heri pervenit ad hanc Regiam recte pronuntiet noſtram maternam dialectum? quis non miraretur, quis non quereretur ſi pro hujuſmodi ferendo judicio advocaretur vel alter Gallus, aut Germanus, aut Hiſpanus? tales profecto fuere Maſorethæ, qui plurimas regulas ſtatuerunt pro intelligentia Hebræi Textus, & reſtauratione illius linguæ; tales recentiores Critici qui judicant Tyberienſes id fideliter perfeciſſe: utinam & nobis datum eſſet ſiſtere in medium aliquem Judæorum qui floruit tempore Apoſtolorum, aut ipſum D. Hieronymum, ut nimirum ſono labiorum ſuorum evincerent, & confunderent recentiorum Hebraiſtarum ſive ex Judæis, ſive ex Chriſtianis audaciam, & jactantiam.

437. *Quiſnam hoc ævo*, opportune Joannes Martianæus (a), *ſatis callet ſermonem Hebræorum ad docendum nos rationem commutationis, aſpirationum, & vocum in elementis* Aleph *&* Ain, He *&* Heth? *A quo lexico, ex qua Grammatica Hebræa diſcere poſſum, quid ſit apud Hieronymum ſtridor quidam in littera* Sin, *non noſtri ſermonis interſtrepens? quid* Sade *Hebræum, quod nec* S *nec* Z *litteram ſonat; ſed aliud quidpiam quod noſtræ aures penitus reformidant? Quid di-*

(a) **Commentar. in Librum de nominib. Hebraic. D. Hieron. Tom. II. col. 331.**

Digitized by Google

cam de accentibus diverſis litterarum ; de extenſione & brevitate ſyllabarum ; de litteris cum raſura gulæ proferendis? Quis Hebraizantium gloriabitur ſe hæc ſcire ? hæc poſſe docere? Certe confidenter dicam, nemo virorum eſt vel apud Judæos hodiernos, vel apud Chriſtianos Scriptores, qui ad tantam peritiam linguæ Hebraicæ pervenerit , ut præſto ſit ad explicandam pronunciationem litteræ Sin *uſurpatam apud veteres Judæos in nomine Iſrael, quod apud illos non ſonabat hoc quod ſcribebatur. Præterea ecquodnam in Grammaticis principium putamus capeſſendæ antiquæ pronunciationis litterarum Hebraicarum cum raſa fauce , obtorta lingua, ſolutis labiis, ſtridente ſaliva ; unus eſt Hieronymus qui hæc omnia didicit, & docuit .* His gemina Druſius habet : *Voces*, inquit (*a*), *Hebraicas ſcripſimus characteribus Latinis ſecundum conſuetudinem, quæ olim in uſu apud antiquos . . . maluimus nunc eam ſequi, quam hanc novam BARBARAM . . . . , vel me doceant quis primus docuerit Hebræos ſonare* P *Latinum, quum, ut Hieronymus non uno in loco teſtatur, ſermo Hebræus* P *Latinum non habeat . Duobus* S *ſermo noſter caret, etiam littera* Ain *qua veteres uſi pro vocali.*

438. *Inſtabis* Hæc tantum probant a multis antea ſeculis deperditam fuiſſe pronunciationem veteris Latinæ , & Hebraicæ, quod ipſi ultro libenterque fatemur; at hoc non impedit quominus valeamus , præſidio Hebraicæ qua fruimur, aſſequi intelligentiam illius qua ſacri Libri conſcripti ſunt, & ſimul ſi quod in eiſdem mendum occurrat deprehendere , caſtigare , ſtabiliendo ibidem germanam lectionem, & etiam emendare antiquum Interpretem ubi offendit; quemadmodum licet amiſerimus pronunciationem, & leporem Latinæ quæ currebat in aurea ætate, tempore nimirum Terentii, Catulli, Virgilii, Ciceronis; hoc tamen argumento non eſt, ut nequeamus præſidio hodiernæ Latinæ

(a) *Lib.* III. *Hebraic. quæſtionum, quæſt.* 83. *apud Morinum cit. p.* 513. *col.* 1. C.

Digitized by Google

næ aſſequi exactam intelligentiam iſtorum Auctorum, corrigendo menda ſi quæ irrepſerint, ſtabilire germanam lectionem, & tandem detegere, & caſtigare vitia veterum Interpretum, qui Virgilium, Ciceronem aliis linguis exprimentes interdum hallucinati fuere, & a vera intelligentia aberrarunt. Inſuper ſi jactura pronunciationis foret impedimento ad diſquirendum ſuper allegata, nec & ipſe Hieronymus potuiſſet idipſum periclitari; quandoquidem ad tuam voluntatem quævis lingua ſpatio trium, vel quatuor ſeculorum mutationibus eſt obnoxia, & maxime lingua Hebræa: Hieronymus enim floruit longe poſt ætatem Moſis, aliorumque Prophetarum. Quod ſi repones incarnatam Dei Sapientiam, Apoſtoloſque Spiritu Sancto repletos calluiſſe leporem & pronunciationem Prophetarum, haud denegamus conſenſum; ſed adhuc de Hieronymo actum eſſet, quoniam per te tria ſecula ſufficiunt ad hoc, ut in aliqua lingua variatio arguatur: atque ita ſi ex ignorantia veteris pronunciationis Hebraicæ contendis a Criticis removere facultatem intelligendi eam linguam Hebræam, qua ſacri Libri conſcripti ſunt, eodem argumento etiam Hieronymo detrahes.

439. *Reſpond.* Quamvis jactura pronunciationis alicujus linguæ ſolitarie inſpecta non impediat abſolutam intelligentiam antiqui Auctoris, qui olim in ea ſcripſerat; denegari tamen non poteſt, peritiam ejuſdem pronunciationis multum conferre ad adcuratam exactamque intelligentiam ejuſdem Auctoris. Si enim nihil inſerviret, ut quid Hieronymus tam improbum ſtudium adhibuit pro aſſecutione pronunciationis Hebraicæ? quis inficiari audebit Librum aliquem deſcriptum E. G. Neapolitana dialecto longe facilius, exactiuſque intelligi ab aliquo bene inſtructo de tali vulgari pronunciatione, ac ab eo qui caret? ſi ergo Critici nec denegant, nec denegare poſſunt imperitiam qua laborant pronunciationis illius Hebraicæ, qua ſacri Libri ſunt conſcripti, plane ex defectu hujus haud valent adcu-

adcurate, & exacte illius intelligentiam aſſequi; ſicuti nec ſeſe æquiparari Hieronymo qui eam, quantum opus erat, adeptus fuit. Dixi quantum opus erat, quoniam tametſi non conſtet eam penitus aſſecutum fuiſſe pronunciationem veteris Hebraicæ, conſtat tamen quod pro acquirenda nimium laboris impenderit: *Dum*, hiſce conceptis verbis rem expendit (*a*), *eſſem juvenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent... cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi, ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum diſcerem, & ſtridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris inſumpſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperaverim, quotieſque ceſſaverim, & contentione diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia tam mea qui paſſus ſum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro ſemine litterarum dulces fructus carpo:* Conſtat quoque eundem longe facilius ac noſtri Critici, potuiſſe veterum pronunciationem ſubodorari, ut qui eo tempore floruit ad quod uſque nuſpiam defuerunt ſcholæ, & Magiſtri inter Hebræos qui viva voce eam traderent.: *De Tiberiade*, idem Hieronymus (*b*), *quemdam legis Doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, aſſumpſi: & contuli cum eo a vertice, ut ajunt, uſque ad extremum unguem: & ſic confirmatus, auſus ſum facere quod jubebatis.* Et tandem accedit ratio qua Eccleſia ſemper tenuit, D. Hieronymum ad reparandas Scripturas fuiſſe divinitus excitatum: ſi divinitus excitatus, minime ei defuit peritia illius pronunciationis quæ neceſſaria erat. Inſuper haud mirum eſſe debet ſi non habentes pronunciationem veteris Latinæ, adhuc valeamus intelligere Latinos veteres, deprehendere menda, reſtituere, ut-ut ſit lectionem, & a vitiis veterum Interpretum vindicare; quoniam lingua

(a) *Hier. Epiſt.* IV. *ad Ruſticum Tom.* I. *p.* 38. *G.*
(b) *Præfatione* II. *in lib. Paralip. Tom. III. p.* 686. *C.*

Digitized by Google

gua Latina eaſdem hodie litteras tam vocales, quam conſonantes habet atque a primo; item nuſpiam deperdita eſt, ſed conſtanti perpetuoque uſu ab initio uſque hodie perſeveravit apud viros doctos quolibet ſeculo florentes, qui definitis Grammatices regulis didicerunt, docuerunt, pleroſque libros Latinos ediderunt; & tandem eorundem veterum Auctorum Latinorum libri, quaſi per manus ad nos uſque pervenerunt: & de Hebræa ſive de litteris Hebraicis? & de perennitate Hebraicæ? & de iis qui Hebraicam calluerunt? & de regulis Hebraicæ Grammatices? & de veteribus libris Hebraicis? abſque eo quod altius aſcendamus, ſi ſermonem ordiemur a ſola Hieronymiana ætate horſum, in omnibus conſpiciemus mutationes, fluctuationes, turbines, vortices, procellas, & naufragia, quæ profecto repetitionem fugiens opportunius per ſequentia indicabo.

440. SECUNDO *probatur minor principalis*. Quidquid Recentioribus tam Judæis, quam Chriſtianis Hebraiſtis de regulis hujus Grammatices adfulget, totum totaliterque in eoſdem derivatum, non quidem ex aliquo veteri docto Chriſtiano, ſed unice ex Maſorethis aliiſque verporum Grammaticis; ſed iſti exceptis ſolis elementis Hebraicis, quibus eruditi hujus gentis fuerunt conſtanter addicti, cæterum neſciebant linguam Hebraicam, etiam eam quæ Hieronymiano tempore inter eruditos tantum Hebræorum currebat; ergo Recentiores tam Judæi, quam Chriſtiani Hebraizantes ignorant eam etiam Hebraicam, quæ currebat Hieronymi ætate; ſicque a multis antea ſeculis Hebraica, qua ſacri Libri conſcripti ſunt, evanuit. Quamquam major propoſitio argumenti veriſſima ſit, & apud eoſdem Criticos videatur omni penitus dubietate carere; nihilominus gratia patefaciendi ſtudioſæ juventuti ea, quæ ſtantibus corruptelis duobus ab hinc ſeculis in Eccleſiam Dei intruſis, nonniſi peculiari ſtudio & diligentia intelligere, valebit, idcirco aſſumptam propoſitionem expendo. Waltonus, Riccardus Simonius, Joannes Clericus, Joannes Buddæus,

dæus, omneſque noſtræ tempeſtatis Critici paſſim aſſerunt, veteres Eccleſiæ PP. ac Theologos ſcholaſticos fuiſſe Hebraicæ imperitos, vix excipientes Origenem, & Hieronymum; itaque ſi non ex Maſorethis aliiſque verpis, plane aut ex operibus Origenis, aut Hieronymi, aſſerere oportet præfatas regulas derivatas eſſe in noſtros Hebraiſtas. At non ex operibus primi, quandoquidem Exapla & Octapla, quibus tantummodo Origenes inſeruit Textum Hebræum elementis Hebraicis & Græcis, infelici fato perierunt. Quum enim illis temporibus omnes codices manu exararentur, & præfata Exapla & Octapla requirebant vel plures codices, vel unum craſſiſſimum, ideo eorundem codices quemadmodum non ſine maximis impenſis, eodem Hieronymo teſte (*a*) deſcribebantur & comparabantur, ita perpauca fuerunt & rariſſima. Huic præfatorum codicum raritati acceſſerunt tum variæ perſecutiones, irruptiones, ac infeſtationes infidelium Imperatorum in Orientalem maxime Eccleſiam graſſatæ, quibus ſacra quæque ac venerandæ antiquitatis litterarum tam profanarum, quam Eccleſiaſticarum monimenta diſperſioni fuerunt & diſſipationi; tum ſupina negligentia graviſque ſocordia Græcorum in tam pretioſa ſupellectile cuſtodienda, & per conſequens ſi hiſce de cauſſis omnes codices Exaplarum, & Octaplarum Origenis jacturæ fuerunt (*b*), plane quidquid de lingua Hebraica noſtris Hebraiſtis adfulget, nihil penitus ex operibus Origenis erutum & acceptum.

441. Quantum vero Hieronymum ſpectat id unum ſcio, quod ideo in ejus nova adornanda verſione tantopere deſudavit, ut nimirum ab inſultibus Judæorum, ipſo teſte, *ſolutis*

(a) *Præfat. in Joſue Tom.* III. *p.* 681. *C.* Ut pro Græcorum Exaplis quæ & ſumptu, & labore maximo indigent editionem noſtram habeant.

(b) *Haud itaque credas eos codices, qui inſcribuntur* Exapla Origenis *revera repræſentare ea, quæ fuerunt ab Origene edita; ſed exceptis quibuſdam minimis fragmentis hinc inde ex operibus aliorum veterum Patrum emendicatis, apud quos non Hebraice, ſed Græco ſermone traduntur, ceterum exhibent purum putumque centonem ex variis Criticorum ſomniis conſarcinatum.*

lutis labiis, & ſtridente ſaliva, & raſa facie gaudentium Chriſtianorum Rempublicam vindicaret; ut nemo Chriſtianorum in futurum pertimeſceret eorundem Judæorum ſupercilium, aut habuiſſet opus impendere tot quotquot ipſe exantlavit labores in addiſcendis linguis, aliiſque humanis & divinis diſciplinis, ſuſtinere haud parva diſpendia in conquirendis Libris, & Hebræorum magiſtris, ſubire incommoda & pericula in viſitandis diſſitis regionibus & locis; qua de cauſſa quum occaſio occurrit faciendi mentionem in ſuis operibus alicujus lectionis, aut vocis Hebraicæ, neque per ſomnium paſſus fuit, vel unicum Hebraicum elementum, ſive minimum jota conſignare, ſed omnia vocibus & litteris Latinis expreſſit (*a*). Ex quibus quemque

(a) *Ecquis ergo vir cordatus non damnabit inductum abuſum recentiorum qui a ſemita noſtrorum Procerum (conſuetudinem habentium, Druſio quoque ſupracit. num.* 437. *obſervatum, Latinis litteris deſcribere Hebraica) longe lateque aberrantes, & unice inhærentes veſtigiis Eraſmi Roterodami, aliorumque de rebus divinis imperitorum hominum, non tantum opus ad Scripturam pertinens non proferunt, quod non ſit adſperſum Rabbinicis vocibus & characteribus; ſed eo tandem pervenerunt, ut eadem Hieronymi opera hiſce Judaicis figmentis conſpurcarint? Nonne hoc fuit petulanter parvipendere allegatum D. Hieronymi ſcopum? mentiri beneficium illud quod idem amantiſſimus Eccleſiæ Pater Reipublicæ Chriſtianorum apprime attulit? directe ire contra piiſſimam ipſius mentem? Non eſt ut quis mihi ſuccenſeat perinde quaſi hujuſmodi piaculum ipſe primo prodam, aut quod ſolis piis zelotiſque Catholicis fuerit exoſum: etiam, Deo ſic bene diſponente, inter Hæreticos magni nominis non defuerunt, qui eodem confluxerint. Eraſmus fuit ille laſcivibundus novitatis amator, qui ſibi ſolita ingenita temeritate non erubuit curis Fratrum Amerbachiorum commaculare Maſorethicis vocibus Hieronymi opera;* at, *Joannes Clericus in Quæſtionibus Hieronymianis, Quæſt. I. n. V. p.* 15. *hæc dicere habuit*, horum (*Amerbachiorum*) opera factum eſt, ut omnia temere exigerentur ad rationem legendi Maſoretharum characteribuſque Hebraicis ſcriberentur, quæ Latinis ſcripſerat aliter Hieronymus. *Item, Marianus Victorius tametſi bono conſilio idipſum præſtiterit, ut nimirum ab Eraſmicis impoſturis opera Hieronymi noviter edendo vindicaret; adhuc ita vapulavit Waltoni Prolegom. III.* §. 45. *p.* 252. *col.* 2. In nupera vero Hieronymi editione . . . Marianum Victorium, qui notas addidit, & editioni præfuit, haud bona fide egiſſe, quum pro Hebraicis verbis, quæ latinis litteris extant in Hieron. Textu, Hebraicas litteras cum punctis hodiernis ſubſtituat; quod Hieronymi ſcopo plane contra-

ſatis ſuperque intelligere confido, haudquaquam Recentiores ex operibus Hieronymi expiſcatos fuiſſe notitiam illius Hebraicæ, de qua hodie gloriantur; atque ita liquatum reſtat, linguam Hebraicam, quæ hodie in ſcholis traditur, quave hodierni codices Hebraici conſcripti ſunt, non ex veteribus Chriſtianis, ſed ex Maſorethis transfuſam fuiſſe.

442. *Probatur modo* tam Maſorethas, quam omnes ſequentes Rabbinos ignoraſſe non tam Hebraicam, qua ſacri Libri fuerunt a Prophetis conſcripti, ſed eam etiam quæ currebat Hieronymiana ætate, quamque Hieronymus calluit. Maſorethæ minime floruerunt quarto vel quinto ſeculo æræ Chriſtianæ, ut plerique Recentiores ex male intellectis teſtimoniis Epiphanii, & Hieronymi arbi-

contradicit. *Proh dolor! Ad eam ætatem jam jam pervenimus, ut quis eo doctiorem, & magis eruditum ſe habitum iri confidat, quo opus ſuum copioſioribus linguarum Orientalium elementis, vocibus, laciniis refertum proferat, quaſi negotium religionis primo potiſſimumque pendeat ex peritia Hebraicæ, Græcæ, Samaritanæ, Syriacæ, Armenicæ, Arabicæ, Æthiopicæ &c. Ædepol ubi Hieronymus tametſi peroptime potuiſſet, noluit, vel jota Hebraicum in omnibus ſuis operibus exarare; Recentiores menti, & facto illius ſe ſe opponendo, ad rationem legendi Maſoretharum illius dulcia ſenſa deturpant. Ubi juxta Chryſoſtomum, divina Providentia diſpoſitum fuit, ut a Ptolomæo Rege barbaro procuraretur Græca verſio, & mediante iſta* veritas divina Scripturarum inter gentes diſpergeretur, *& hæc quoque inſerviret tanquam* oſtium ad Chriſtum; *Critici quum tantopere pro Hebraica deſudant, præferentes Hebræum Textum non quidem purum ſed depravatum, plane mentiuntur hujuſmodi divinam diſpoſitionem, & oſtium claudunt ne ad Chriſtum perveniamus. Ubi ſecundum D. Auguſtinum diſpenſatione divina prodiit Græca verſio Interpretum, ut credentes in Chriſtum non indigerent Judæis; Critici præfata nova ſcribendi methodo cogunt nos, ut Judæorum litteras addiſcamus, & intelligentiam Scripturarum Synagoga nos doceat. Irenæus tandem fert:* Petrus, & Joannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum ſectatores prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet; *Critici moliuntur verba prophetica annuntiari nobis Latino ſermone, non quidem ad normam Vulgatæ veteris fideliſſime reſpondentis autographis Prophetarum, & ſeptuaginta Seniorum; ſed in quantum Latina verba congruant cum hodierno Hebræo, quem Maſorethæ aliique obcæcati verpi ſibi fabricarunt. Quiſque eruditus vitæ futuræ ſolers, ac bene providus, iſthæc velim ſedulo pendat, & poſtea ferat judicium. Is vero cui libuerit horum PP. teſtimonia legere adeat Fraſſenum lib. II. Diſquiſ. Bibl. cap. III. pag. 132.*

Digitized by Google

arbitrati ſunt, bene vero circa initium undecimi ſeculi; at lingua Hebraica, quæ inter eruditiſſimos Hebræorum vigebat Hieronymiana ætate, maxima ex parte evanuerat apud eoſdem Hebræos longe ante undecimum ſeculum; ergo Maſorethæ & ſequentes Rabbini ignorarunt &c. Utique Epiphanius & Hieronymus tradunt ſcholam Tiberienſem aduſque eorum ætatem floruiſſe, & tam ibi, quam in aliis locis Palæſtinæ proſpere ſucceſſiſſe res Judæorum; ſed in præſentia ſermo eſt, utrum Maſorethæ, qui fuerunt primi verporum Grammatici, vixerint ea ætate? ſi enim tunc temporis extitiſſet plane Grammatica Hebraica, quam digeſſerunt, nullimode præfatos Patres latuiſſet (*a*): itaque ex teſtimoniis Hieronymi & Athanaſii perperam Maſoretharum ætas refertur ad Hieronymiana tempora. Præterea *de Maſorethis*, ſcribit Morinus (*b*), *neceſſario ſciendum eſt, lingua Arabes erant, iſtamque linguam a Matribus & nutricibus cum lacte ſuxerant;* porro *Imperii* (*c*), *& Religionis Arabum principium ab ipſis figitur 16. Julii anni Chriſtiani 622. Eo die fugit Mahumetes Medinam, & init primus dies æræ Arabicæ, quam Hegiram vocant, ideſt, fugam*, & poſt pauca: *Tota Syria, Palæſtina, Meſopotamia, atque Aſſyria, quæ circa Babylonem & ſinum Perſicum intra annum Hegiræ vigeſimum devictis, & triumphatis, brevi poſt temporis ſpatio, quæ erant his regionibus vernaculæ, lingua Arabica ab his gentibus commutatæ ſunt, itaut plebs penitus earum oblita fuerit, & Arabicam tantum ſonaverit*: ideoque ſi Maſorethæ Arabes erant, & Judæi Arabicam uſurparunt circa annum Chriſti 641. jam ætas Maſoretharum non eſt ab an. circiter 500. arceſſenda. Item, Morinus permultis ſpeciminibus & quidem non levioris momenti probat

(a) *Legeſis Waltonum Proleg. III. §. 47. p. 252. col. 2. ubi conſimili argumento graviter evincit, puncta vocalia & accentus poſt Hieronymi tempora apud Scripturas Hebræorum irrepſiſſe.*

(b) *Lib. II. Exercit. XVIII. cap. VI. p. 535. col. 2. B.*

(c) *Idem Morin. cit. cap. V. p. 526. col. 1. C.*

bat, Maſorethas ſive Judæorum Grammaticos puncta ſua, regulaſque grammaticas, & prope univerſum grammaticalem loquendi modum ab Arabibus eſſe mutuatos: Hinc capite quinto citato demonſtrat hoc axioma: *Naturæ adverſatur litteras omnes alphabeti eſſe conſonantes, puncta vero loco vocalium conſonantibus juncta ſyllabas componunt:* hanc celebrem diſtinctionem litterarum in gutturales, labiales, palatinas, dentales, & linguales; hanc aliam in nomen, verbum, & dictionem: item, litterarum quæ dicuntur quieſcere, & quæ moventur: item, quietem litterarum aliam eſſe ſimplicem, aliam duplicem, & conſimilia hujus generis, quæ a primis verporum Grammaticis in hodiernos Hebraiſtas ſunt transfuſa, Morinus inquam, teſtimoniis Marteoli, Guadagnoli, aliorumque etiam Rabbinorum abunde demonſtrat capite quinto, ſexto, & ſeptimo Exercit. decimæ octavæ, ab Arabibus Grammaticis accepta fuiſſe; ſed ſcientiarum ſtudia apud Arabes ſuſceperunt initia, anno Hegiræ 137. Chriſti 754., imperante Calipha Albugiafar Almanſor (*a*); non ergo eſt vel ſuſpicemur Maſorethas vixiſſe non dicam initio ſexti ſeculi, ſed nec etiam ſeptimi vel octavi. Idcirco autem eoſdem referimus ad initium undecimi, quia Abraham Levita, R. David Kimhi, plerique alii (*b*), quoad reſtitutionem Hebraicæ, ſive circa regulas Grammatices Hebraicæ primas tribuunt R. Jehuda Chiug, qui *juxta Rabbinos*, fert Riccardus Simonius (*c*), *initio ſeculi undecimi vixit*: & hac eadem ætate extitiſſe videntur R. Jonas, & Samuel Levita primi quoque inter Grammaticos, quorumque meminit Thſemah David, traditque eos obiiſſe an. Hegiræ 851. Chriſti 1055. (*d*) *Accedit*, non eſſe hodie exemplaria Hebraica, quæ præcedant undecimum ſeculum, ut dicemus infra num. 470. Maſorethæ

(a) *Morin. cit. p.* 530. *col.* 1. *B.*
(b) *Apud Morinum cit. cap. V. p.* 530. *col.* 2. *C.*
(c) *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. lib. I. cap. XXX. p.* 154.
(d) *Apud Morin. cit. pag.* 527. *col.* 2. *C.*

Digitized by Google

thæ igitur, ſive primi Grammatici Hebraici veroſimilius circiter initium undecimi ſeculi egerunt vitam.

443. Si obiectaveris teſtimonium Morini, cui hac in parte nitor, non eſſe tanti ponderis, ut præferatur univerſitati fere omnium Criticorum, dicam nemo melius ac exactius quam Morinus inter omnes recentiores tam Catholicos, quam Proteſtantes de rebus Judaicis fuit inſtructus. Etenim quantum putas celebri operi Biblicarum Exercitationum, vir doctiſſimus adlaborarit? teſte editore (a) per vigintiquinque annos; & ſicui otio erit per ſingulas paginas præfatum opus luſtrare, eruet nullum pene apud Judæos eſſe librum & Auctorem alicujus nominis, in quo Morinus non fuerit ſedulo verſatus; ponens pariter in apricum, teſtimoniis innumeris ex eiſdem & aliunde diligentiſſime collectis, fideliterque allatis, quidquid Judæi in Hebræi Textus criticen aduſque ſuam ætatem elucubrarint. Obſervo quoque Waltonum, Riccardum Simonium,alioſque Criticos haud pauca ex hujuſmodi Moriniano opere mutuo accepiſſe: optarim tamen ne ante impreſſionem ſecundi libri Exercitationum Morinus occubuiſſet, quia facile a multis, quibus ſcatet, non ſibi bene conſtantibus abſterſiſſet. Sed nec Morinus inquies ad tam ſeriorem ætatem refert Maſorethas; aſt audi hanc inter alias Morinianam ſententiam: *Ante enim*, inquit (b), *ſexcentos annos ipſis* (Judæis) *fatentibus nulla ſunt apud eos Grammatices veſtigia, nulla vocabulorum ſyntagmata. Quidquid nunc harum rerum apud eos videmus, aut apud nos ab iis excerptum & traductum, iſtud univerſum poſt annum Chriſti milleſimum; & linguæ vernaculæ ex eorum animo obliteratæ milleſimum quadrigenteſimum magno labore ab iis collectum, & elaboratum eſt*. Heinc dicere auſim tam nomen, quam hiſtoriam Maſoretharum eſſe purum putumque figmentum excogitatum ab Elia Levita, qui obiit anno

(a) *Præfat. præfixa editioni Pariſinæ ſumptibus Gaſpari Maturas an.* 1660.
(b) *Lib. I. Exerc. VI. cap. III. p.* 112. *col.* 1. *D.*

Digitized by Google

no 1549. , & nimia credulitate adoptatum non tantum a Judæis, quam etiam ab iis potiſſimum Chriſtianis , quibus curæ erat efferre auctoritatem hodierni Hebræi, ut facilius Vulgatam Latinam veterem elevarent: quantum enim ſcio neque inter Judæos, neque inter Chriſtianos invenitur qui ante ætatem Eliæ Levitæ vel nomen Maſoretharum ſubodoratus fuerit; & Elias, teſte Genebrardo (*a*) fert, Maſorethas Tiberiadem Palæſtinæ conveniſſe, ut Maſoram conficerent. *Adde* quod neque conſtat de tempore Maſoretharum, ut modo indicatum eſt, neque de loco; quandoquidem Munſterus dicit fuiſſe de Tiberiade Moeſiæ, Hieronymus Valenſis de Tiberiade Paphlagoniæ, Vuoverius de Paphlagonia Moeſiæ, alii de Tiberiade in Palæſtina, quot capita tot ſententiæ; nec tandem de perſonis fit aliqua mentio, quum nullus tot Maſoretharum individuo nomine adpelletur. Quamobrem, quod Maſorethis tribuitur, præfatis aliiſque verporum primis Grammaticis adjudicandum exiſtimarem.

444. *Circa ſecundam propoſitionem*, qua dicebatur: lingua Hebraica, quæ inter eruditos Hebræorum vigebat Hieronymiana ætate, maxima ex parte inter eoſdem ante undecimum ſeculum evanuerat, velim in anteceſſum audias R. Jonam, qui, ut nuper diximus, inter primos Grammaticos percenſetur. Hic itaque Præfatione quam libro ſuo præfixit, commendato ſtudio & diligentia Arabum incumbentium ſuæ linguæ poliendæ, queritur e contra de ſuis gentilibus, qui peritiam & ſtudium Hebraicæ a ſe olim oſcitanter projecerant. *Vidi*, inquit juxta interpretationem Joannis Morini (*b*), *populum in cujus medio habitamus adnitentem & ſeſe corroborantem, ut attingat ad perfectionem cognitionis, & ſcientiæ linguæ ſuæ . . . ſed homines linguæ noſtræ hoc ſeculo noſtro jam olim projecerunt ſcientiam iſtam poſt ſe, & poſuerunt rem iſtam extra aures ſuas, & leviter* eam

(a) *Epiſtola ad Lectorem præfixa Commentar. in Pſalmos.*
(b) *Lib. II. Exercit. XVIII. cap. V. p. 530. col. 2. B.*

Digitized by Google

eam attingunt, exiſtimantque nullum eſſe in ea neceſſarium emolumentum, remque non eſſe dignam, ad quam quis ſpectet & attendat; & relicti ſunt nudi, & privati deſiderabilibus ejus, & deſtituti pulchritudine ejus, & ſpoliaverunt ſe ornamentis & ſuavitate ejus, itaut unuſquiſque pronuntiaret, & effutiret verba pro arbitrio ſuo, loqueretur que ut illi placebat, nec erat illi hac de re ulla cura aut ſolicitudo. Hactenus R. Jonas, quibus cuique ſit perſpectum tempore hujus Rabbini, ſcientiam linguæ Hebraicæ jam olim ab Hebræis projectam fuiſſe, nullum eſſe Hebræum, qui eam amplius audiret, omnes ea deſtitutos & nudos manſiſſe, & ſi unus voluiſſet Hebraice loqui, nonniſi pro arbitrio, ignoranter, & inepte. Jonæ adſtipulantur Abraham Levita in fine prioris partis Cabbalæ ſcribens (*a*): *R. Jehuda filius David Paſi dictus Chiug, qui linguam Sanctam in puritate ſua conſtituit, poſtquam in univerſa captivitate oblivioni data fuerat*. R. Kimhi in librum Miclol, ſeu Grammaticam hæc de gente ſua habet (*b*): *Ab eo die, quo Patres noſtri in terram alienam, exteraſque gentes abducti ſunt, didicerunt linguam earum, & obliti ſunt linguam Sanctam . . . Quapropter neceſſe eſt nos mentem advertere ad id quod eſt in manibus noſtris de lingua Sancta . . . Jam certe præceſſerunt nos, & ad eam attenderunt . . . Caput autem & Dux Doctorum, & inſtauratorum linguæ fuit ſapiens Jehuda Paſi cognominatus Chiug, in cujus tempore perverſa erat in ore hominum, corruptaque admodum.* Auctor Grammaticæ, quam Elias tanti æſtimavit, ut ipſe edendam procurarit, refert, quod ante Grammaticos nonnulli Hebræorum barbare, & ridicule loquebantur. *Qui igitur*, potiſſimo jure ſcripſit Morinus (*c*), *evidentiſſimis argumentis* (*d*) *credere noluerit, credat* [illegible] *Judæis*

(a) *Apud Morin. lib. I. Exercit. VI. cap. IV. p. 116. col. 2. C.*
(b) *Apud Morin. cit. col. 1. E.*
(c) *Loc. cit. p. 113. col. 2. D.*
(d) *Multis enim ſpeciminibus ſuperiore capitulo oſtenderat Hebraicæ ignorantiam apud Rabbinos, necnon iſtius ignorantiæ rationes.*

Judæis de ſe, ſuiſque teſtimonium perhibentibus, & *ſuam, ſuorumque ignorantiam deplorantibus*. Eodem conſpirant Recentiores tam Judæi quam Chriſtiani, quum paſſim notent tam exemplaria Hebraica, quam ipſam linguam multis ſeculis ſepulta jacuiſſe, quod nonniſi de tempore quod ante hoſce Grammaticos, & poſt irruptionem Arabum interfluxit, verificari poteſt. Idipſum tandem ratio ſuadet, quam R. Jonas tangit: *exiſtimantes nullum eſſe in ea* (puta lingua Hebraica) *neceſſarium emolumentum*, *remque non eſſe dignam ad quam quis ſpectet & attendat*. Et ſane Mahumetani multoties interdixerunt Judæis ſcholas, adeout nonniſi de eorundem licentia poſtmodum aperuerint (*a*): jam ab anno Chriſti 641. omnes Judæi Arabice loquebantur, atque ſcribebant, licet characteribus Hebraicis: *Judæi enim*, inquit Morinus (*b*), *litteris ſuis ita ſunt addicti*, *ut nolint characteres ſuos externis characteribus commutare; ideo lingua Arabica ſcribunt*, *ſed charactere Hebraico*. *Paſſim videre eſt antiquos codices Arabice de Philoſophia*, *Medicina*, *Mathematicis ſcriptos*, *ſed charactere Hebraico*. Quod ſpectabat lectionem Scripturarum habebant Miſchnam, Paraphraſes, farraginem Talmudicam, verſionem Arabicam &c. Item, tam Chriſtiani, quam Muſulmani Hebraicam linguam flocci faciebant, utpote quæ graviſſimo ſtudio addiſcebatur, nullius emolumenti erat, & apud omnes Gentes poſthabita: hiſce itaque de cauſſis Judæi illius ætatis tam Hebræum Textum, quam Hebraicam linguam oblivioni mandarunt; & per conſequens Maſorethis, ſive primis Grammaticis haudquaquam adfulſit ea lingua, qua ſacri Libri conſcripti ſunt, immo nec quæ currebat Hieronymiana ætate.

445. *Repones* teſtimonium R. Jonæ intelligitur de plebe Judæo-

(a) *Id narrat Huetius propoſit. IX. cap. IV. Demonſtr. Evang. n. XIV. pag.* 455. *col.* 2.

(b) *Lib. II. Exer. XVIII. Cap. VI. p.* 535. *col.* 2. *C.*

Judæorum quæ Hebraicam olim amiſerat, ejuſdemque oblita; non autem de viris doctis, & qui Rectorum officio fungebantur, a quibus nullo tempore peritia Hebrææ abfuit. *Præterea* tranſmiſſo, quod Judæi in medio Arabum habitantes projecerint ſcientiam Hebraicæ, conſequens tamen non eſt, totam Judaicam gentem ubique terrarum longe lateque diſperſam idem fatum incurriſſe. *Tertio* quum plerique Recentiores aſſerunt, Hebræum Textum, & Hebraicam jacuiſſe multis ſeculis ſepulta, loquuntur de Chriſtianis, qui ſuperioribus ſeculis ea parvi fecerunt & ignorarunt; quare Nicolaus Gurtlerus ſcribere habuit (*a*): *Laudetur in æternum miſericors Deus, qui ſeculo præterito ineunte & adulto, infuſam a Principe tenebrarum caliginem a cælo* (nota) *CHRISTIANO diſpellere, & ſacræ Scripturæ lumen, ſi non prorſus extinctum, ſaltem ſub modio poſitum abſconditumque, denuo accendere, & proferre voluit.*

Contra etiam Hieronymiano tempore vulgus Hebræorum nec Hebraice loquebatur, neque Hebraicam intelligebat, ut ipſos Criticos poſt Waltonum citatum num. 304. haud latet; & tamen nemo Judæorum vel Chriſtianorum fert, Hebraicam eo tempore fuiſſe oblivioni relictam: præterea quamquam vulgo Judæorum neque hodie Hebraica innoteſcat, adhuc nemo invenietur, qui auderet aptare hodiernis Hebræis quæ R. Jonas ſcripſit de Judæis coætaneis, & ſuperioris ætatis, quoniam revera apud Hebræos hodie non deſunt, qui Hebraicæ licet barbaræ non dent operam: vel itaque aſſeras oportet, Jonam alioſque Rabbinos conſentientes perperam fuiſſe ſuos gentiles criminatos, aut pro commentitia habeas nuper allegatam interpretationem. Eo vel maxime quod R. Jonas præfatis verbis excitare contendit ſtudium regularum Grammatices, non quidem apud vulgum, ſed penes eos quibus curæ erat inſtruere judaicam plebem, & pertinacem ſuperſtitionem tueri: quum ergo Jonas inquit, homi-

(a) *Præfat. ad ſacros Criticos initio primi Tomi.*

mines ſuæ gentis jam olim projeciſſe peritiam Hebraicæ, ſane non de vulgo, ſed de iis qui Rectores & Præfecturam agebant, loquitur. *Ad ſecundum* quemadmodum omnibus Judæis ubique terrarum hodie habitantibus non alia exemplaria, nec aliæ Grammatices regulæ ſuppetunt, quam quæ ex Hebræis apud Arabes habitantibus acceperunt, ita dicendum eſt, Judæos omnes per univerſum Orbem diſperſos amiſiſſe peritiam Hebraicæ, & eos tantum pro ſuo modulo eandem reſtituiſſe qui ſub Arabibus vixerunt, & regionem Orientalem non reliquerunt. Quamvis multi Judæorum ab Apoſtolorum temporibus noſtram Italiam penetrarint, & ſequentibus ſeculis per totam Europam, Africam, Americam disjecti, adhuc de ſolis Orientalibus fertur, & quod coluerint ſuorum avorum linguam, & quod inhæſerint Hebræo Textui, & quod eundem Paraphraſibus illuſtrarint, & tandem quod Talmudicos alioſque libros ediderint: probata igitur imperitia Hebraicæ apud veteres Judæos Orientales, incaſſum plane fiet recurſus apud Judæos, qui tunc extra Orientalem plagam morabantur. *Ad tertium* ſi nuſpiam Chriſtiani uſi ſunt Hebræo Textu & ſermone, nulla profecto lege verificari poteſt apud Chriſtianos jacuiſſe ſepulta, quum nuſpiam penes Chriſtianos vixerint; atque ita, qui dicunt *tam exemplaria Hebraica, quam ipſam linguam multis ſeculis jacuiſſe ſepulta* ſi loquantur de Chriſtianis, conſequens eſt, vel ut circa modum loquendi decepti ſint, vel alios decipere cogitarint (*a*).

446.

(a) *Hinc quoque colliges quam inepte, quam vaſerrime, quam impie Hæreticus Hanovienſis Gurtlerus adjudicarit miſericordiæ Dei, quod unice a Principe tenebrarum molitum eſt, atque ſuggeſtum: non verbis ludamus. Si inſpectio Hebræi Textus, & Hebraicæ peritia complectuntur ſingulare miſericordiæ Dei erga nos beneficium, caliginem a Principe tenebrarum infuſam diſpellunt e cælo Chriſtiano, lumen ſacræ Scripturæ accendunt, dicas quæſo, cur Deus antequam filium ſuum unigenitum nobis donaret, diſpoſuit, ut non amplius Hebræus Textus, ſed Viralis verſio in Synagoga celebraretur? cur ipſe Chriſtus in eadem Synagoga Hebræum non reaſſumpſit publice legendum? cur Apoſtoli ſecundum verſionem Viralem* Pro-

446. *Objicies* tantum abeſt apud Doctores Judaicos ullo tempore defuiſſe exactam peritiam Hebraicæ etiam illius, qua ſacri Libri conſcripti ſunt, ut nonniſi immane novumque ſit paradoxum, vel ſuſpicari contrarium: omni enim penitus ævo ſapientibus & Doctoribus in lege Dei, atque ita in peritia Hebraicæ Gens illa abundavit; adeout ad novem claſſes redacti fuerint. *Prima* complectitur Moſen, Joſue, Eleazarum, & ſeptuaginta Seniores, qui eidem Moſi auxilio fuere. *Secunda* eſt Seniorum, & duodecim Judicum, quorum primus Othoniel, & Heli noviſſimus; ad quam quoque referendi ſunt ſeniores Sanhedrin. *Tertia* Prophetarum ſodalitium numero duodecim, qui ſucceſſive alius ab alio Cabbalam acceperunt, quorum primus Samuel, Ezechiel poſtremus. *Quarta* virorum Synagogæ magnæ quorum præcipui Aggæus, Zacharias, & Malachias Prophetæ; Zorobabel, Mardochæus, & Eſdras Sacerdos & ſcriba; Jeſus filius Joſedech, Sarias, Regalias, Meſapher, Rehum, & Nehemias. *Quinta* ſapientum Miſchnæ eorum nimirum, quorum Miſchna recordatur, quorumque primus fuit Antigonus, quem verpi volunt à Synagoga magna accepiſſe traditiones, & poſtremus R. Juda, quem Sanctum adpellant.

Prophetica citarunt? cur veteres Eccleſiæ Patres incubuerunt non quidem uſui Hebræi Textus, ſed verſionis Vitalis etiam Latinò ſermone expreſſæ? Numquid Chriſtus & Apoſtoli Hebraicam ignorabant, aut Textum corruptelis conſpurcatum habebant? numquid non poterant veteres Eccleſiæ Patres Hebraicam addiſcere, & Hebræum conſulere? potuerunt per Gurtlerum, & mirum quidem in modum, Eraſmus, Lutherus, Fagius, Melanchton, Pellicanus, Calvinus, Munſterus, Zuinglius, Buchenhagius, Bibliander? Quo præſato jam ex mente Gurtleri quivis profecto colligere poterit, veteres Eccleſiæ Patres, Apoſtolos, ipſum Chriſtum, eundem divinum opificem fuiſſe miniſtros fideliſſimos Principis tenebrarum, ut qui Hebræum Textum & Hebraicæ peritiam ſub modio poſuere; Eraſmum vero, Lutherum, Fagium, Melanchtonem, Calvinum &c. propter inſpectionem Hebræi, & peritiam Hebraicæ, quas poſtremis temporibus excitarunt, nonniſi ipſius divinæ Miſericordiæ viros egiſſe? Bone Deus! ecquis æquus quantumvis placatus, atque lenis iſthæc corde recogitans, poterit iniquiſſimum, & petulantiſſimum Gurtlerum de execrabili blaſphemia non condemnare?

Sexta Doctorum Amoraim ſive *explicantium*, ediſſerentium Textum Miſnæ, quorum gloſſis & elucidationibus conjunctis cum ipſo Textu Miſnæ, tota farrago Talmudica componitur. *Septima* Doctorum Seboraim, ſive *opinantium* & *dubitantium*. Octava Gheonum ſive Doctorum *excellentium*, quorum finis contigit anno Chriſti 1038., quibuſque tandem ſucceſſit *nona* & ultima claſſis eorum, qui Rabbini ſimpliciter dicti, comprehendens innumerabiles Rabbinos, qui ab hoc tempore ad hunc uſque diem ſcripſerunt. Quibus pro meridiana luce vides, a tempore Moſis uſque hodie linguam Hebraicam Prophetarum perenniter vivaque voce, a generatione in generationem, apud Judæos incomparabili cura, ſtudio, & diligentia transfuſam.

447. *Reſpondeo* in primis velim oſtendatur mihi, quinam ſunt iſti probatiſſimi Auctores qui præfata referunt, ut de ipſorum teſtimonio nefas ſit dubitari? Non alii ſane quam Abravanel, Abraham Levita, Ghedalias, Moſes Ægyptius filius Maimonis, aliique verpi apud quos, ut bene a multis obſervatum, nihil frequentius quam omnia ad veteres referre, ut venerandæ antiquitatis obtentu majorem auctoritatem ſibi ſuiſque concilient; quare Grotius (*a*) vocat *peſſimos Hiſtoriæ Magiſtros*. Item, ſi alicui arrideat detegere tot quot pura putaque fictitia in præfata textura Judaicorum Doctorum continentur, opus eſt, adeat librum ſecundum Exercitationum Morini, qui tam de Doctoribus & Veteribus Judæorum ſcholis, quam de portentoſis Judaicæ Hiſtoriæ anachroniſmis abunde agit. Item, & nec ipſimet verpi, quoad præfatum ſyſtema conveniunt; nam Moſes citatus Seboræos nullos agnoſcit, itaut in procemio magni operis (*b*), nulla Seboræorum facta mentione, Doctores Gheones ſtatim Talmudicis ſubſtituit. Item, ex variis monumentis hanc adſertionem Morinus (*c*) erigit:

(a) *In Matthæ. cap. XXIV. v.* 24.
(b) *Apud Morin. lib. II. Exerc. II. cap. I. pag.* 250. *col.* 2. *C.*
(c) *Loco cit. p.* 249. *col.* 2. *D.*

Digitized by Google

erigit : *Extra controverſiam . . . poſt Talmud abſolutum, meras eſſe tenebras in Hiſtoriis Judæorum* : quoniam ſi credimus præfato Moſi, *completo*, ſcribit (*a*), *Talmude a R. Aſe, & ſenatu cui ille aſſidebat, in omnes terras diſperſi ſunt Iſraelitæ diſperſione maxima, & pervenerunt ad extremitates Mundi, & ad longinquas inſulas; tumultuſque maximi in orbe fuerunt, & itinera exercitibus impedita & interclufa, ſtudium legis diminutum : nec amplius Iſraelitæ per millia & myriades in Scholas ſuas, ut ante ſoliti erant diſcendi cauſſa convenerunt; ſed ſolitarii qui calamitati ſuperſtites erant, quos in unamquamque urbem & provinciam vocabat Dominus . . . Nullus autem ſenatus qui poſt Talmud in quavis provincia viguit, definivit, aut reformavit aliquid, aut conſuetudinem aliquam induxit in Provinciales ſuos*. Tandem Maſorethæ annon pertinent ad Judaicum magiſterium? annon iſtos, recentes verpi immenſis laudibus proſequuntur? eccur modo nullimode recordantur, ad nullam reducunt claſſem? miror ſane Judæos tam patenter confidenterque fabulantes; ſed longe plus mirabilis Chriſtianorum Neotericorum credulitas pene omnia a Judæis venditata clauſis oculis excipientium pro veris; & nonnulla ab Eccleſiæ proceribus variis in locis & ævis florentibus uno calamo tradita revocant in dubium, & emendicatis cavillis inficiantur (*b*).

448. At demus vera eſſe quæ de perpetuitate ſuorum Doctorum, & ſcholarum Judæi, & ex Judæis Neoterici Chriſtiani jactitant; adhuc nobis quin objecto, potius ſolatio erunt, & non levi teſtimonio. Satis liquet ex dictis, Maſorethas ſive primos Grammaticos vixiſſe circa initium undecimi ſeculi, quo tempore ceſſarunt Doctores Gheones: *Gheonatus*, fert Morinus (*c*), *duratio annorum fuit in univerſum* 349., *ab anno videlicet* 4449. *ad an.*4798., *ut ſuppu-*

(a) *Juxta phraſim Morini citati pag.* 251. *col.* 2. *B.*
(b) *Recole quæ in gratiam verſionis Septuaginta adverſus Recentiores ſcepticos taxavimus.*
(c) *Lib. II. Exercit. II. cap. II. p.* 251. *col.* 1. *E.*

Digitized by Google

putant Abraham Levita & Ghedalias fol. 39. *par.* 2., *hoc eſt ab anno Chriſti* 689. *ad an.* 1038., non aliud itaque noſtra intereſt diſpicere, niſi utrum Gheones iſti fuerint Hebraicæ periti? Et ſane id unum Gheonibus ſolemne fuit, explicare nimirum non quidem Biblia ſive Hebræum Textum, aut verſionem Arabicam, qua probabilius utebantur, ſed dumtaxat difficultates in Ghemara occurrentes, ſive dilucidare traditiones Talmudicas: *Uniuſcujuſque*, audiamus cum Morino (*a*) allegatum Moſen Ægyptium Præfat. in magnum opus ſuum, quo univerſam legem ore traditam digerit, & circa initium duodecimi ſeculi ita ſcribebat, *Civitatis incolæ ſciſcitari ſolebant a Gheonibus ſui temporis*, *ut illis explicarent difficultates in Ghemara occurrentes*, *quorum unuſquiſque illis pro ſapientia ſua reſpondebat. Et interrogantes colligebant eorum reſponſa*, *& ex iis componebant Libros*, *qui ſibi ad Ghemaram intelligendam præſto eſſent*. *Ipſi quoque Gheones quiſque tempore ſuo*, *Libros ad eam intelligendam componebant*. R. Ghedalias de Saadia Gaone hæc narrat (*b*): *Compoſuit Libros de pollutis & mundis*, *de prohibitis in re maritali*, *de ſtilo & modo loquendi Ghemaræ in multis locis*. Joannes Buxtorfius (*c*): *Ab his ergo*, *ideſt*, *a milleſimo poſt Chriſtum anno*, *plerique Libri Judæorum prodire cœperunt*. *Qui antea fuerunt*, *quorum pauci non Bibliis*, *ſed traditionibus Talmudicis explicandis præcipue occupati fuerunt*. Et ipſe tandem Morinus ſermonem habens de libris a Gheonibus elucubratis, *Multos alios*, inquit, *toto illo tempore ſcripſiſſe Libros ex Moſis teſtimonio jam allato admodum probabile eſt*, *quum Gheones illi totam vitam lectioni Talmudicæ immorarentur*, *& undique de illius difficultatibus conſulerentur*. Quod ſi poſtea Gheones unice incubuerunt explicandis difficultatibus in Ghemara, ſi omne ſtudium

dium

(a) *Cit. p.* 252. *col.* 1. E.
(b) *Fol.* 35. *par.* 1. *apud Morin. cit.*
(c) *Initio Bibliothecæ Rabbinicæ penes Morin. cit.*

dium otiumque ſuum impenderunt in Talmudis meditatione, de illius intelligentia Libros componentes, quomodo eruetur eos Hebraicæ navaſſe operam, & peritos fuiſſe? poſſemus ſane quid hujuſmodi ſuſpicari, ſi vel Talmud fuiſſet Hebræo ſermone deſcriptum, vel ipſa Biblia complecteretur, eſſetque; vel Gheones ex nutricibus una cum lacte non Arabicam ſed Hebraicam ſuxiſſent, vel tandem ſtudio Bibliorum etiam operam dediſſent; at iſta ex dictis, quam longiſſime abſunt: quibus ſi addas ea teſtimonia Jonæ, aliorumque Rabbinorum num. 444. querentium de ſuis gentilibus, qui olim Hebraicam a ſe projecerant, & extra aures ſuas poſuerant, plane hæc omnia ſimul ſumpta viciſſim reſtaurantur, atque validius confluunt in hoc unum, nimirum, ſaltem a tempore quo cœpit Gheonatus aduſque initium undecimi ſeculi, quod idem eſt, per tria ſaltem ſecula ſtudium tam Hebraici Textus, quam linguæ Hebraicæ apud Judæos poſthabitum, derelictum, oblitum, & ſepultum: & per conſequens Maſorethis, ſive primis Grammaticis nec ea Hebraica innotuit, quæ currebat Hieronymiana ætate.

449. *Objicies* ſemel ſtatuta circa Maſoretharum ætatem omnimoda jactura veteris Hebraicæ linguæ, atque ita ejuſdem imperitia apud omnes illius ævi, nulla plane via valuiſſent Maſorethæ Hebræo Textui ſubſtituere puncta loco vocalium abſentium, nec nobis Grammaticæ Hebraicæ regulas ordinare: quomodo enim ſine notitia Hebraicæ potuiſſent litteras vocales, quæ ſaltem in medio dictionum non erant, deprehendere? quomodo haſce vocales mediantibus punctis Hebraicis indigitare & definire? quomodo diſtinguere nomina Hebraica a verbis, & utrumque a dictionibus Hebraicis? litteras ſerviles, conjugationes, rationem affixorum in nominibus & in verbis, genera, numeros, adverbia, modum legendi ſine vocalibus, & cætera conſimilia quæ concernunt Grammaticam Hebraicam, quorumque Maſorethæ fuerunt Auctores?

450.

450. *Reſpondeo primo* vulgo ad hominem : Si lingua Hebraica Maſorethas non latebat, oſtendatur mihi velim, quomodo didicerunt ? quo magiſtro? quibus præſidiis ? dici non poteſt ex parentibus & nutricibus, quoniam a multis antea ſeculis vulgus Hebræorum amiſerat avorum linguam, & ut nuper diximus Maſorethæ una cum lacte linguam Arabicam ſuxerunt. Neque ex aliquo magiſtro ſive traditione & vivà voce, uti ad uſque Hieronymi tempora addiſcebatur; quoniam ex depromptis Maſorethæ ea ætate vixerunt dum Hebræa in ore hominum perverſa admodum & corrupta, pro arbitrio effutiebatur, oblivioni data a tribus ſaltem ante ſeculis, neque tam longo labente tempore fuit qui de eâ curarit. Nec tandem mediantibus regulis Grammatices, quia ex dictis pariter ante Maſorethas nec nomen Grammatices Hebraicæ auditum: aut itaque adverſarii, oportet, tribuant Maſorethis peculiarem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, longe uberiorem ea quam in Septuaginta Senioribus & in Hieronymo perperam inficiantur, quum ſine magiſtro Hebraicam mirum in modum didicerint & extumularint, aut eoſdem ignaros penitus fuiſſe Hebraicæ veteris, illius etiam quæ Hieronymiana ætate vigebat, velint, nolint, concedant.

451. *Reſpond. ſecundo:* Utique Maſorethæ ſive Grammatici præſtiterunt quod percenſetur in argumento, ſed nolim putes id recte adhibuiſſe, & præſidio alicujus peritiæ quam de Hebraica habuiſſent; ſed præpoſtere, inepte, & dumtaxat ex quadam excogitata ſubtili collatione, inſtituta inter Textum Hebræum ex una parte, & ex altera omnes Bibliacas verſiones diverſarum linguarum quas ad manus habebant, & intelligere poterant; potiſſimum tamen adpendentes omnes voces Hebræi Textus ad lancem verſionis Arabicæ, utpote quæ tam cum punctis, quam ſine punctis ipſis erat intellectu facilis, & quoad idioma non longe ab Hebræo diſtabat. Quamvis enim lingua Hebraica habeat characteres, verba, nomina, & ſermonem, diſtin-

ſtincta & diverſa a characteribus, verbis, nominibus, & ſermone Arabico, tamen ut bene advertit laudatus Morinus (a), *in utraque eædem linguæ proprietates, eadem conjugationum tempora, eædem prope litteræ ſerviles & hemanticæ: eadem Affixorum in nominibus & verbis ratio, & quod hic potiſſimum ſpectamus idem ſcribendi modus ſine vocalibus* (b). Hinc minime Maſorethis difficile fuit extumulare quandam linguam Hebraicam, quæ in nominibus in verbis & orationibus cum vetere Hebraica conveniret, licet non ſine craſſiſſimis barbariſmis, ſolœciſmis, aliiſque ſpeciebus orationis vitioſæ, obſcuræ, & inordinatæ. Itaque præſidio illius luminis, quod habebant de characteribus Hebrai-

(a) *Lib. II. Exerc. XVIII. cap. V. p. 527. col. 1. A.*

(b) *Ut cuique innoteſcat quomodo ſe habeat ſcribendi modus ſine vocalibus intermediis, effingatur, quod apud Latinos hanc vocem* manus, *hac lege ſcriberem*, mns, *ſublatis nimirum e medio duabus vocalibus* a *&* u. *Hujuſmodi ſcribendi modus cauſſa erat, ut quævis Scriptura apud Hebræos & Arabes fuiſſet ambiguæ lectionis, & ſæpe ſuboriretur legentium diſſenſio: quis enim non colliget, quod ſi ad ſignificandam vocem* manus *inter Latinos, dumtaxat exararem* mns, *non multa dubia exurgerent? non enim eſſet potior ratio, ut in hac dictione ſubaudiatur vox* manus, *atque* manas *a verbo mano, aut* manes *a maneo, aut* minas *a nomine minæ, arum, aut* minos *quod eſt nomen illius Regis qui primus Cretenſibus legem dedit, & de quo loquuntur Lactantius Cicero & Virgilius; aut* minus, *vel* mones, *vel* munus. *Quamobrem de hujuſmodi ambigua ſcribendi ratione apud veteres Hebræos, ſcripſit Hieronymus Epiſt. CXXVII. ad Evagrium Tom. III. p. 706. E.* Nec refert, utrum Salem, an Salim nominetur, quum vocalibus in medio litteris perraro utantur Hebræi, & pro voluntate Lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diverſis ſonis, atque accentibus proferantur. *Et in cap. IX. Hieremiæ Tom. IV. p. 152. C.* Verbum Hebraicum, quod tribus litteris ſcribitur *daleth, beth, res*, vocales in medio non habet, pro conſequentia & legentis arbitrio: ſi legatur *dabar* ſermonem ſignificat, ſi *deber* mortem, ſi *daber* loquere. *Quantum vero ſpectat linguam Arabicam, anno Egiræ 36. Chriſti 556. quum multæ ex allegata vocalium abſentia controverſiæ exortæ fuiſſent ſuper intelligentia Alcorani, Othman IV. Imperator Arabum præcepit, ut mediantibus punctis jam ab Ali Abnaditalcbo excogitatis ejuſdem lectio determinaretur, quod fuit executioni mandatum:* Tanta enim *fert Abraham Ekellenſis apud Morin. cit. p. 529. col. 1. D.* legentium erat diſſenſio, ut niſi Othomanni coercita fuiſſet auctoritate & determinata lectio punctis, quæ Ali excogitaverat, jam de Alcorano actum eſſet.

braicis, & tincturæ Hebraicæ linguæ ad ſuam uſque ætatem ſuperſtitis, incubuerunt lectioni Hebræi Textus, & valuerunt deprehendere abſentiam litterarum vocalium in medio dictionum. Non aliter poſteà proceſſerunt ad definiendas mediantibus punctis litteras vocales, quæ in eodem Hebræo Textu ſubaudiendæ erant, niſi ex minutiſſima collatione cujuslibet vocis ejuſdem Textus cum ſingulis vocibus verſionis Arabicæ aliarumque verſionum; eam nimirum litteram vocalem determinando, quæ per ejuſdem poſitionem colligebatur Hebræum reſpondere verſionibus: & quoniam Grammatici Arabes jam determinarant modum appoſitionis punctorum, relative ad ſingulas litteras vocales, quibus ſcripta quoque Arabica carebant, Maſorethæ iſtos imitati invenerunt puncta Hebraica, *Et*, opportune Morinus (*a*), *contra conſuetudinem ſuam tanta ſeculorum ſerie confirmatam, Libris ſacris inſcripſerunt innumeram punctorum, & apiculorum multitudinem . . . Tantæ mutationis cauſſa & occaſio fuerunt Arabes: hos imitati Maſorethæ Tiberienſes apiculis iſtis, quos videmus, Libros ſuos ſacros inſignierunt.*

452. Eodem tempore, in quo hæc peregerunt, innumerabilibus indiciorum ſubſidiis & adminiculis, quæ perſæpe ſibi occurrebant, eruerunt, quid apud Textum Hebræum potuiſſet ad modum Arabicæ Grammatices habere rationem nominis, cujuſque generis, vel numeri, vel caſus; quid rationem pronominis, vel affixi; quid rationem verbi, cujuſque temporis cum notis characteriſticis conjugationum; quid tandem conditionem adverbii, vel præpoſitionis, vel conjunctionis, vel interjectionis, & cætera conſimilia, quæ per Grammaticam Arabicam didicerunt; itaut idem Morinus ſcribere habuerit (*b*): *Sane conſequens his omnino videtur, Judæos qui tum temporis, ut ipſi fatentur & deplorant, linguæ ſuæ penitus fere obliti erant, & quorum omnes Doctores*

(a) *Loco cit. p.* 525. *col.* 2. *E.*
(b) *Loc. cit. cap. VI. p.* 531. *col.* 1. *B.*

Digitized by Google

res & Academiæ Arabum imperio ſubjiciebantur, puncta tam vocalia, quam orationis diſtinctiva, Arabum imitatione & exemplo inveniſſe, & ſcribendo uſurpaſſe. Verum hoc capite ulterius pergam, & demonſtrabo Maſorethas Tiberienſes ab Arabum Grammaticis omnia prope ſua verbum e verbo mutuatos eſſe, pauca addidiſſe, etſi, ut vulgo dicitur, inventis facile ſit addere. Quod ſi res ita ſe habet jam vides, neque puncta vocalia a Maſorethis Hebræo Textui affixa, neque regulas Grammatices Hebraicæ quas digeſſerunt argumento eſſe, ut dicamus, quod veteris Hebraicæ periti fuerint, ſive quod aduſque eorum ætatem peritia veteris Hebraicæ perſeverarit apud Judæos.

453. RESTAT MODO ut videamus, quam convenientiam lingua Hebraica, præfata ancipiti methodo extumulata a Maſorethis, potuerit habere cum ea qua ſacri Libri conſcripti fuere, vel quæ ſaltem currebat Hieronymiano tempore. Quocirca imaginemur quæſo & effingamus *primo*, quod omnes Libri tam Italici, quam Latini non habeant vocales in medio dictionum: *ſecundo*, quod nemo ſit hodie qui rectum Latinum ſermonem intelligat, aut fando auſcultarit, neque adſint alii Latini libri præter ſolam Vulgatam Latinam, quam quoque ſupponamus a Hieronymo elucubratam antequam Latinus ſermo fuiſſet deperditus: *tertio*, quod tametſi apud libros Italicos non ſint litteræ vocales in medio dictionum, non deſint tamen plerique viri, qui callentes Grammaticam Italicam, perfecte ſciant tam legere ſine vocalibus, quam in eoſdem libros Italicos ſubſtituere puncta loco vocalium abſentium: *quarto* tandem quod mihi menti occurrat, & nimio ſit deſiderio legere, & intelligere adminiculo verſionis Italicæ, (quam fingimus etiam ante jacturam Latini ſermonis ex Vulgata Latina expreſſam) ipſam verſionem Latinam, & ſimul conficere Latinam Grammaticam (quam nuſpiam antea extitiſſe comminiſcimur) ad normam Grammatices Italicæ. Hac itaque ſtatuta hypotheſi, in primis aperio codi-

cem Latinæ editionis, & ſub initium hæc mihi obviam veniunt:

In-pr nc p o-cr t-D s-C l m-et-t rr m.

Quo viſo pergo ad diſpiciendum codicem verſionis Italæ, qui ita orditur:

N l-pr nc p o-cr ò-D o-il-C lo-e-la-t rra.

Quum autem juxta datam hypotheſim mihi adſit peritia tum ſermonis, tum Grammatices Italicæ, idcirco in verſiculum Italicum, loco vocalium abſentium ſubſtituo puncta, quæ ſtudio claritatis non aliter exprimo, niſi utendo eiſdem vocalibus ex ſuperiori tamen parte collocatis, & minori figura, hac lege:

e i i i e i ie e
N l-pr nc p o-cr ò-D o-il-C lo-e-la-t rra.

Jam vero procedam ad conferendum hunc verſiculum punctis illuſtratum cum ſuperiori Latino, cui additis iiſdem punctis vocalibus, ita redditur:

i i i eu eou i ieo e a
In-pr nc p o-cr t-vel-cr t-D os-C l m-&-t rr m.

& eadem methodo gradatim progrediendo aduſque poſtremas paginas præfatorum Bibliorum, non obſtante quod Latinus ſermo a me abeſſet, immo nec fuerim auſcultatus, adhuc integræ Vulgatæ Latinæ puncta vocalia affigam.

454. Ad Grammaticam Latinam conficiendam nunc opus eſt incumbam. Et ſane obſervo, primam particulam *Nel*, apud Grammaticos Italos habere eo loci rationem præpoſitionis ablativi caſus; ergo ſi huic particulæ *Nel* verſio Latina reſpondet per *In*, colligo, quod apud Latinos vox *In* habeat quoque rationem præpoſitionis ablativi. Progredior, & mihi perſcrutanti innoteſcit, quod ſi *τὸ principio* in verſione Italica habet rationem nominis, & quidem caſus ablativi, eodem plane munere fungetur in dato loco verſionis Latinæ. Tandem ne in hiſce rebus puerilibus immoremur amplius, vox Itala *creò* eſt verbum, & quidem tertiæ ſingularis perſonæ temporis præteriti; itaque *creut* vel *creout*

apud

apud Latinos eandem conditionem induet : ſicque cum omnimoda inſcitia Latini ſermonis, Grammaticam Latinam ex Italica mihi pro modulo conficiam.

455. Jam vero, quod exemplificandi tantum ſtudio hactenus commentati ſumus, & pro arbitrio confinximus ſuper Linguis Italica & Latina, Maſorethæ ſive primi verporum Grammatici facto præſtiterunt reſpectu Arabicæ & Hebraicæ, licet eadem vel conſimili agendi ratione. Etenim tam apud Arabes, quam apud Hebræos non erant vocales in medio dictionum, Maſoretharum ætate nemo erat qui rectum ſermonem Hebræum intellexerit aut fando auſcultarit, & quoad Libros characteribus & ſermone Hebræo veteri deſcriptos, ſolus Hebræus Textus praſto erat: item, licet apud Libros Arabicos litteræ vocales non erant in medio dictionum, Maſorethæ autem quum fuiſſent hujus Linguæ periti, idcirco perfecte ſciebant tam legere ſine vocalibus, quam in eoſdem Arabicos Libros ſubſtituere puncta loco vocalium abſentium. Quod ſi poſtea deprehendiſti me circa reſtitutionem primi verſiculi Vulgatæ Latinæ tribus craſſis barbariſmis offendiſſe, & de conſequenti etiam circa confectionem Latinæ Grammatices; viri æqui judicent, quoties, quotve modis Maſorethæ aberrarint tam circa appoſitionem punctorum Hebraicorum, quam reſpectu regularum Grammatices Hebraicæ, quas ex adminiculis adeo gracilibus & infirmis emendicarunt: ea de re non defuerunt viri docti, qui pleraque Maſoretharum vitiorum ſpecimina adtento digito notarint. Nemo certe ſibi ſuadebit Maſorethas exactius intellexiſſe & expreſſiſſe Hebræum ſuis punctulis, quam Septuaginta, Joſephus Hebræus, & Hieronymus fuerunt aſſequuti; ſiquidem præter ſingularem peritiam qua Septuaginta inſigniti erant, eiſdem quoque in negotio verſionis adſtitit divinum Numen, ut alibi depromſimus (a): De Joſepho eo tempore floruiſſe ſcimus dum

(a) *Cap. III. n. 198. & ſeqq.*

dum Hebræus Textus adhuc limpide fluebat, & bene multi Hebraicam callebant: de Hieronymi peritia ſatis ex dictis, & longe plus ex dicendis; tot itaque in locis credendum eſt Maſorethas circa affixionem punctorum hallucinatos, quot in locis diſcrepant a præfatis viris. Porro ita pergit Morinus (*a*) *Maſorethæ pronuntiant* Nebucadnetſar; *Septuaginta Interpretes Joſephus & Hieronymus*, Nabuchodonoſor. *Joſephus Hieronymus Septuaginta*, Joſue; *Maſorethæ*, Jehoſuah. *Septuaginta Hieronymus Joſephus*, Jeroboam filius Nabat; *Maſorethæ*, Jarobham filius Nebat. *Septuaginta Joſephus Hieronymus*, Roboam; *Maſorethæ*, Rechabham. *Septuaginta Joſephus Hieronymus*, Jedalias ſive Gedelias; *Maſorethæ*, Gedaliahu. *Septuaginta Joſephus Hieronymus*, Darius; *Maſorethæ*, Dariaveſch. *Septuaginta Joſephus Hieronymus*, Cyrus; *Maſorethæ*, Coresh. . . . *Non modo innumera ſunt alia ejuſmodi, verum etiam vix videas Septuaginta Interpretes Joſephum & S. Hieronymum . . . cum Maſorethica pronunciatione concordare:* & per conſequens ſi Senioribus Joſepho & Hieronymo ſtudio fuiſſet Hebræo Textui puncta addere loco vocalium abſentium, longe aliter ac Maſorethæ egiſſent. Neque credas in ſola nominum expreſſione Maſorethas deceptos. Idem Morinus demonſtrat (*b*), eoſdem diſtare a Hieronymo, & quolibet alio antiquiſſimo codice quoad diſtinctionem verſuum: & alibi (*c*) pleraque loca Hebræi profert quorum interpretationes opponuntur Hieronymo, quaſque Maſorethæ ſive celeberrimi Rabbini mutuo acceperunt *e Talmude e lingua Arabica & Græca, ab Ancilla & Mercatore Arabe forte fortuna cum Rabbino colloquentibus:* Item, Willelmus Lindanus Epiſcopus Ruremondenſis, linguæ Hebraicæ peritus, toto Libro primo de optimo genere interpretandi (*d*) pleriſque ocularibus exemplis evincit

(a) *Lib. II. Exerc. XVIII. cap. I. p.* 513. *col.* 2. *A.*
(b) *Lib. II. Exerc. XVII. cap. II.*
(c) *Lib. I. Exerc. VI. cap. IV.*
(d) *Teſte Morin. lib. II. Exer. XII. cap. II. p.* 389. *col.* 1. *E.*

Digitized by Google

cit, Maſorethas multis in locis Hebræum corrupiſſe, & loquens de ſolo Pſalmorum Libro: *Sexcenta*, inquit, *occurrent loca quæ D. Hieronymi ætate aliter legebantur*, *atque nunc ſunt punctis ſuffecta*. Tandem, ut alios miſſos faciam, Genebrardus (*a*) *opportunius fortaſſe Epimenidis*, *aut potius mortuorum ſomnum dormiiſſent Maſorethæ*, *quam quando Tiberiadem Palæſtinæ*, *ut Elias Levita narrat*, *convenerunt*, *ut ex uno Legis Paſuk multos verſus conficerent*, *accentibus partim diſtinguentibus*, *partim continuantibus Scripturam univerſam inciderent*, *litteras punctis*, *ſimilibuſque minutiis efficerent*.

456. Nec ſane mirum, quoniam ſi Maſorethæ nonniſi per Arabicam & ex Arabica Hebraicam indagarunt, quomodo poterant non ſæpe errare, non obtrudere innumerabiles barbariſmos, ſolœciſmos? In quotne vitia Latini ſermonis non laberetur ille, qui per regulas Grammatices Italicæ, & a Magiſtro Latini ſermonis penitus ignaro didiciſſet Latinam? ſi Arabica eſt congeneris ſive filia Hebraicæ, etiam Itala eſt filia Latinæ: ſi in Arabica & in Hebraica ſunt eædem linguæ proprietates, eadem conjugationum tempora, eædem prope litteræ ſerviles, & potiſſimum idem ſcribendi modus ſine vocalibus; in illis quoque eadem immo major cognatio adfulget, quoniam non ſolum conveniunt quoad præpoſitiones, quoad conjugationum tempora, & quoad ſcribendi modum cum vocalibus, ſed inſuper eadem pene habent elementa, ſive litteras: quod ſi poſtea nonniſi cum riſu & cachinno auſcultaremus hominem illum, qui Latino ſermone vix per Grammaticam Italicam expiſcato Terentium ageret, aut Ciceronem, miror ſane quomodo Critici Chriſtiani non ſolum crediderint Judæis jactantibus exquiſitam Maſoretharum peritiam, ſed inſuper ſuo calculo confirmarint, ac pro re explorata tradiderint; dicam plus, curis non pepercerint ut hujuſmodi

(a) *Epiſt. ad Lector. præfixa Commen. in Pſalm.*

Digitized by Google

di Hebraicam Maſorethicam ad perfectionem addiſcerent, omne quoque ſtudium adhibentes, ut eadem Hebraica fieret obvia non quidem ſolis Theologis, ſed quoque Philoſophis, Medicis, Forenſibus, Mathematicis, Conſiliariis, Navigantibus, Militibus, Typographis, uno verbo iis omnibus quibus cordi foret eruditi characterem ſibi vindicare. Incolumem ſervet Deus, ut reapſe a faucibus mortis peculiari præſidio abripuit, florentiſſimum Regem Luſitanum Joſephum I., qui quippe ſuo regali edicto ſubſignato die VI. Julii 1759., præſcribens methodum in lyceis ſuæ ditionis in futurum ſervandam, inter cætera abolevit ſtudium linguæ Hebraicæ, ſolis quibuſdam Regularibus ordinibus commendaturus (*a*). Quorſum dices tam longa de imperitia Hebraicæ, qua Maſorethæ laborabant, repetita oratio? memento quo ſcopo huc pervenimus. Quidquid dicebamus num. 440. Recentioribus tam Judæis, quam Chriſtianis Hebraiſtis de regulis hujus Grammatices adfulget, totum totaliterque in eoſdem derivatum non quidem ex aliquo veteri docto Chriſtiano, ſed unice ex Maſorethis, aliiſque verporum Grammaticis: quum ergo ex hactenus depromptis conſtet, hoſce fuiſſe imperitos Hebraicæ veteris, illius etiam quam Hieronymus calluit, conſectarium eſt, noſtros quoque Recentiores Hebraiſtas ſive ex Judæis ſint ſive ex Chriſtianis, eadem Hebraicæ imperitia laborare, & quantumvis pro adipiſcenda fatigent in futurum atque deſudent, in tenebris profecto ſemper ambulabunt, ſulcabunt aquam, cum umbris luctabuntur; atque ita

(a) Eſſendo (*ſic legitur in opuſculo cujus titulus* Editto di S. M. Fedeliſſima per cui ſi aboliſcono le ſcuole minori de' Geſuiti ec. *editionis Ulyſſiponenſ. per Michaelem Rodriquez an.* 1759. *pag.* 29.) lo ſtudio della lingua Ebrea privativamente neceſſario per le erudizioni divine, ed eſſendo ciò più proprio de' Profeſſori della Sacra Teologia, non ſi preſcrive in queſta inſtruzione il metodo per ſtudiare detta Lingua, perchè ſua Maeſtà ha già riſoluto di raccomandare ad alcuni Ordini Regolari l' inſegnamento di eſſa.

Digitized by Google

ita ex defectu linguæ Hebraicæ haud obſcure eruitur vanitas regularum Critices.

457. *Objicies* Recentiores Hebraiſtæ potiſſimum Chriſtiani quoad peritiam Hebraicæ longe tranſcenderunt atque tranſcendunt ipſos Maſorethas, uti palmari argumento eruitur tam ex tot hallucinationibus Maſoretharum, quas adcurate adnotarunt, quam ex permultis novis Grammaticis quas longe diligentius digeſſerunt; quibuſque mirum in modum reſtituerunt non tantum eam Hebræam, quæ tradebatur Hieronymiano tempore, ſed etiam qua ipſimet Prophetæ loquebantur: itaque quidquid ſit de Maſorethis, id unum noſtra refert, quod noſtris Recentioribus Hebraiſtis data adſertio non quadrat.

Reſpond. Quum peregrinus ab ea via, quæ ſola ad patriam ducit, aberrat, tametſi deprehendat ſocios longe plus ipſo deflectentes, non inde infertur ipſum rectum tenere tramitem: ita licet Recentiores multa Maſoretharum vitia deprehenderint & taxarint, minime tamen id argumento eſt, ut ipſis tribuamus peritiam Hebraicæ veteris. Per eam unice viam, vel propius, eo unice præſidio quis poteſt adipiſci Hebraicam Prophetarum, quo profecto tradebatur antequam fuiſſet apud Hebræam gentem deperdita, & eadem lege Hieronymus didicit: quare quum Maſorethæ, ut nuper explicavimus, ridicule eam ſibi compararint, factum eſt, ut in prope innumerabiles errores lapſi fuerint. Porro nemo certe veterum Hebræorum ex mortuis ad Recentiores venit, qui viva voce & ſuo magiſterio Hebræam veterem, quantum ſaltem oportebat, eoſdem docuerit: non alio ſane adminiculo iſti Hebraicam didicerunt, addiſcunt, & in futurum addiſcent, niſi iiſdem regulis quas Maſorethæ ex Grammatica Arabica emendicarunt: qua de cauſſa Waltonus ſcripſit (a). *Etſi abſque cognitione linguæ Hebrææ, ut quibuſdam placet,*

 Ara-

(a) *Proleg. XIV.* §. 7. *p.* 404. *col.* 1.

Arabica addiſci poſſit; *nemo tamen Hebrææ perfectionem ſine Arabica aſſequi poteſt*. Neque pariter Recentiores vitia Maſorethica aliter deprehenderunt & declinarunt, niſi, ut cuique perſpectum eſt, adminiculis conjecturarum magis veriſimilium, obſervationum adcuratiori criterio adhibitarum, inſpectionis & collationis plurimorum Biblicorum codicum venerandæ antiquitatis, ſicut etiam locorum Scripturarum, quas veteres Eccleſiæ Patres & Scriptores in ſuis Commentariis aliiſque operibus uſurparunt; & per conſequens ſi Recentiores una cum Maſorethis eadem ſunt in navi, in eoſdem quoque ſcopulos quamvis non adeo immanes, opus eſt, impingant.

458. Et ſane licet Recentiores pro viribus contenderint penitius introſpicere regulas omnes Grammatices, ut facilius feliciuſque invenirent veterem Hebraicam, adhuc Martianæus facta collatione cum iis quæ S. Hieronymus interdum notavit, diſconvenientiam obſervat. Namque Hieronymus de Nominibus Hebraicis (*a*) ad nomen *Cham*: *ſciendum*, inquit, *quod in Hebræo* Chi *litteram non habet: ſcribitur autem per* Heth, *quæ duplici aſpiratione profertur*. Eodem in loco ad nomen Gomorrha: *ſciendum quod* G *litteram in Hebraico non habet*; *ſed ſcribitur per vocalem* Ain: & tamen *ſi Hebræorum*, animadvertit Martianæus (*b*), *nupera opera Grammatica contendas cum iſtis obſervationibus Hieronymianis*, *multa in illis contraria vel diverſa reperies*. *Inſuper Hieronymus docet litteram* Heth *non eſſe conſonantem*; *pariter* Ain *eſſe vocalem*; *utrumque tamen negat Alphabetum Hebræorum ubi omnia elementa ſunt litteræ conſonantes*, Heth *&* Ain *ut cæteræ viginti* . . . *Quo ſane diſſidio*, ſic nobis Martianæus præivit, *ſatis liquet germanam eos ignorare Hebræorum elementorum pronunciationem ac idioma*

(a) *Tom. III. p.* 930. *A.*
(b) *Comment. in lib. Hieronymianum de Nominibus Hebraic. Tom. II. col.* 331.

ma Hebraicum, *cujus fuit callentiſſimus S. Doctor* Hieronymus.

459. Item, ſi Hebraica quæ hodie in ſcholis traditur, eſt via ſufficiens & certa ad reſtituendam germanam lectionem in hodiernum Hebræum, unde evenit tam ingens atque inenarrabilis Hebræi Textus varia interpretatio? quomodo contingit, ut circa eundem verſiculum, immo circa eandem dictionem tam mirabiliter Recentiores diſſentiant, atque digladientur ad invicem? unum ſpecimen ex ſexcentis proferam. Super hunc locum Geneſeos, *In principio creavit Deus*, quam lectionem a primo Latino Interprete Eccleſia Occidentalis accepit, Hieronymus in ſua Verſione retinuit, & conſtanti ſeculorum uſu Catholica Eccleſia uſque hodie conſervat & veneratur, attende quæſo, & vide quot varias interpretationes ſive lectiones noſtri Critici, præſidio Hebraicæ quam poſſident, ſuppeditarint. Nonnulli ex Rabbinis verterunt teſte Vatablo (a), *Initio creavit Deus*: alii docti Hebræi reddiderunt, ***Primum omnium creavit Deus***: alii, *In principio creandi Deum*, quibus adſtipulatus eſt Mariana: alii, *Quum primum creavit Deus*. Quantum vero Criticos Chriſtianos ſpectat, Vatablus *Initio quum creavit Deus*: Munſterus, *In principio creavit Dii*, cui Iſidorus Clarius adhæret, & Druſius refragatur: Grotius vult legendum, *In principio creare Deum* (b); & tandem ut alios prætermittam Hieronymus Oleaſter interpretatur (c) *In principio diviſit Deus Cœlum & Terram*. Dicam plus: licet omnes Critici amica conſenſione afferant in Vulgata Sixtina ſive Clementina ſupereſſe menda corrigenda, nullus tamen in toto corpore Vulgatæ locus eſt, quem iidem communi voto pro vitioſo habeant: quot tragœdias excitarunt Hæretici, ut probarent Geneſeos III. v. 15. eſſe vi-

(a) *In ejus nota ſuper hunc locum*.
(b) *Apud Criticos Sacros Tom. I. par.* 1. *hunc in loc. cit.*
(c) *Apud Salmeron. Comment. in cap.* 1. *Geneſ. p.* 35. *col.* 2. *A.*

Digitized by Google

tium in eadem Vulgata legente *Ipſa conteret Caput tuum?* & tamen longe plures Hebraiſtæ tenent oppoſitum: item, taliter de regulis Grammatices Hebraicæ diſputant ut nonniſi incertitudo & confuſio regularum abundet: hinc eſt quod ſæpiſſime unus adprobat interpretationem primi Latini Interpretis & Hieronymi, alius inſimulat, hic eos criminatur de vitio interpretationis obſcuræ, ille incultæ latinitatis, iſti pugnant pro una radice, aut genere, aut numero, aut affixo, alii ſtant pro oppoſitis: neminem Hebraiſtarum alicujus nominis reperies, qui ſuperiores Hebraiſtas ignorantiæ Hebraicæ aut hallucinationis non redarguerit, & neminem pariter auſcultabis qui pari ratione non fuerit reprehenſus ab aliis: tot tandem ſunt Auctores qui duobus ab hinc ſeculis egerunt de rebus pertinentibus ad Grammaticam Hebraicam, ut ſi eoſdem petas apud ſolam Bibliothecam Jacobi Le Long, invenies excedere numerum 800. Ecquid aliud dici poteſt? nonne hæc omnia oculari argumento commonſtrant hodiernos Criticos imperitiſſimos eſſe veræ linguæ Hebraicæ, & eam quæ in ſcholis hodie traditur eſſe medium obſcuriſſimum, incertiſſimum, ineptiſſimum ad penſandam & ſtabiliendam rite vel unicam vocem ſive in Textu Hebræo, ſive in Vulgata Latina; quinimmo quis poterit eorundem non miſereri, utpote qui tanto molimine nihil egerunt, & dum lucem majorem promiſerunt, omnia involverunt obſcurioribus tenebris?

460. Quod ſi nec & iſta tibi ſufficiant, audi eundem Eraſmum qui tam grande piaculum, de non parendo clauſis oculis antiquo Latino Interpreti, cælo Chriſtiano injecit, unde Marianus Victorius Pium IV. alloquens (*a*) dicere habuit: *Eraſmus Roterodamus Catholici hominis partes profeſſus, antidoto nominis venenum fudit:* namque Eraſmus etiam confeſſus fuit incertitudinem, & confuſionem quæ haben-

(a) *In Epiſt. dedicatoria præfixa primo Tomo Operum D. Hieronymi edit. Pariſ.* 1624.

Digitized by Google

bentur in lingua Hebraica hodierna quum affirmavit (*a*): *Ego ſane vix unquam duos vidi qui in re Hebraica conſentirent.* Riccardus Simonius non alio ſcopo teſtatur texuiſſe hiſtoriam Grammaticorum Judæorum cum origine & progreſſu, niſi ut cuique illuceſceret incertitudo Grammatices hujuſmodi: *Nullos*, inquit (*b*), *dubito Judæos Grammaticos qui Arabes imitati fuere, multa tum in pronunciatione, tum in ſcriptione immutaſſe, nec adeo certæ ac tutæ rationes, quibus inſtaurata eſt lingua Hebraica, ut nihil incerti & ambigui habeant. Id vero quo melius perſpicias operæ pretium duxi Libros Judæorum Grammaticorum examinare, ut hinc linguæ Hebraicæ in conſtantia clarior innoteſcat.* Idipſum viſus eſt Waltonus tradere quum ſcripſit (*c*): *Lingua vero Hebræa licet olim vocabulis magis numeroſa, mutila tamen & exigua ſua parte in Vet. Teſtam. tantum hodie extat, unde ex Arabica, quam integram habemus, ſuppleri & explicari debet.* Lutherus quoque (*d*): *Omnino melius eſſet, omiſſo ſtudio Hebraicæ linguæ ſimpliciter retinere illam hactenus receptam & uſitatam verſionem Bibliorum . . . . Quam tot novas verſiones æmulari propter pauca quædam loca, ubi aut Hebraica lectio alia eſt, aut quarundam vocum interpretatio nondum certa eſt.* Alii tandem cum Druſio hodiernam Hebræam paſſim vocant *Hebraicam Barbaram*: quæ quippe & conſimilia ipſimet Hebraiſtæ tradiderunt, ne viderentur rem patentem ignorare, aut temere inficiari; quibus de cauſſis confidenter aſſero, hodiernos Hebraiſtas quantumvis peritiſſimos, tantum & non amplius certitudinis habere de vetere lingua Hebraica, quantum de Latina habeſet ille, qui vix ex Grammatica Italica aliiſque infirmis conjectu-

ris

(a) *In cap. XXI. Matth. ad verſ. 42. apud Crit. Sacros Tom. IV. p. I. col. 631.*

(b) *Hiſt. Crit. vet. Teſt. lib. I. cap. XXX. in fine p. 154.*

(c) *Prolegom. XIV. §. 7. p. 404. col. 1.*

(d) *Apud Domin. Gravin. lib. IV. Praſcript. Controv. ultim. de Biblior. verſ. artic. unic. p. 425. col. 1.*

ris eam hauſiſſet: atque ita viri æqui quos opto, judicent, utrum uſus regularum Critices, quoad reſtituendam germanam lectionem in fontem Hebræum & in Vulgatam, ſit bonus, & utilis, an potius irritus, caſſus, & vanus. Prima potiſſimaque baſis, cui hic uſus nititur, eſt peritia Hebraicæ, adeout ipſis Criticis textibus & judicibus qui Hebraica caret haud ad hanc palæſtram idoneus; itaque ſi ab ipſis Criticis abeſt ea Hebraica qua ſacri Libri conſcripti ſunt, & illa quam iidem poſſident non ſolum diſtat, ſed inſuper inexplicabili ambiguitate & incertitudine exundat, plane ex defectu Hebraicæ linguæ uſus ſacræ Critices, quoad effectum ſtabiliendi &c., ineptus, irritus, & vanus.

461. Quidquid de Hebraica notavimus proportione ſervata adaptari poterit cæteris Orientalibus linguis, nimirum Samaritanæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, Perſicæ, Copticæ, & Armenicæ quas penitius introſpexiſſe Waltonus aliique paſſim ſe ſe jactant, & gloriantur. Ultro libenterque agnoſco hujuſmodi linguas, quoad ſuos peculiares characteres & voces, fuiſſe eorundem Criticorum ſummis curis extumulatas; denego tantum ita hodie addiſci atque multis retro ſeculis apud eos populos eæ ſonabant, & litteris mandabantur; quoniam ut notavimus num. 435. linguæ temporis fluxu varia mutationum fata ſubire ſolent: quare Simonius deprehendit (*a*) diſcrimen inter Syrum idioma *quo Chriſti ævo Hieroſolymitani utebantur, & Syrum quod ſic hodie vocamus*: & quoad linguam Æthiopicam idem Simonius, Ludolphus, & Jacobus Le Long (*b*) obſervant, eam quæ nunc apud Æthiopes eſt vulgaris, diverſam eſſe ab illa in quam olim Scriptura verſa fuit: idipſum cernitur circa linguam Arabicam, ut eruitur ex num. 359.

§.IV.

(a) *Loc. cit. lib. II. cap. XV. p. 79.*
(b) *Biblioth. Sac. cap. II. ſect. VI. p. 127. col. 2. B.*

Digitized by Google

§. IV.

Vanitas ejuſdem uſus petitur ex defectu Biblicorum codicum.

462. PROBATUR I. Ad hoc ut ſtabiliatur vera lectio in fontibus hodiernis & ſubinde in Vulgata Latina, requiritur juxta placitum Criticorum inſpectio & collatio non quidem unius vel alterius codicis, ſed bene multorum, & melioris notæ; ſed ſive ſpectemus codicum multitudinem, ſive meliorem notam in utriſque conſpicietur Criticorum vanitas; ergo uſus regularum ſacræ Critices, quoad effectum ſtabiliendi germanam lectionem in hodiernis fontibus, ex defectu Biblicorum codicum ineptus, & vanus. Circa primam propoſitionem *Nam*, ita Waltonus (*a*), *illa lectio quæ . . . cum aliis bonæ notæ codicibus concordat*, & *ex antiquis Patrum Eccleſiæ ſcriptis corroboratur*, *proculdubio pro vera & genuina habenda eſt*: poſt pauca refert ſecundam regulam quæ ſic ſonat: *Quæ lectio cum pluribus & melioris notæ codicibus congruit, præferenda eſt ei, quæ paucioribus, vel non ita accurate ſcriptis nititur*: ſubdens, *Hic enim valet illud Tertulliani in Præſcript.: Quod apud multos unum invenitur, non erratum ſed traditum*. Ut quis itaque hujuſmodi palæſtram exacte exerceat, ad eorundem Criticorum mentem, non ſufficit ut cernat unum tantum codicem ex ſingulis Contextibus Bibliacis & veterum Patrum ſcriptis, ſed bene multos, immo ſingulos ex ſingulis ut tutiori via incedat: quoniam hac lege ſine erroris periculo germanam lectionem deprehendet: quum enim apud Scripturæ Textus, Verſiones, & Veterum Patrum ſcripta, ex oſcitantia Scribarum & Typographorum, variæ lectiones irrepſerint, idcirco prius oportet, ea lectio de qua dubitabitur, ſtabiliatur in ſingulis Contextibus & Patrum ſcriptis, & poſtea præſidio harum ſelectarum lectionum fiat acceſ-

(a) *Proleg. VI. §. 6. p. 273. col. 1.*

Digitized by Google

acceſſus ad mutuam earumdem collationem. Hinc haud exacte ſe geret qui contendens definire utrum E. G. legendum ſit *Ipſa conteret Caput tuum*, ut in Vulgata habetur, an potius *ipſe* vel *ipſum*, conferat unum exemplar Hebræi Textus cum uno alio exemplari verſionis Viralis, alio uno Verſionis Italæ, Vulgatæ veteris, Textus Samaritani, paraphraſis Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, cum alio quoque uno exemplari D. Hieronymi, Origenis, Auguſtini &c.; hoc enim in caſu quemadmodum alia exemplaria Hebræi Textus, Septuaginta, Italæ &c. non conſuleret, ita non poſſet rite definire, in quam lectionem major pars codicum Hebræi Textus, Septuaginta, Italæ &c. confluueret; ſicque præſidio ambiguarum lectionum, quas aſſumpſiſſet ex uno exemplari ſingulorum Contextuum & Patrum, oſcitanter pergeret ad mutuam earundem collationem. Qua de re viris doctiſſimis (ita paſſim diſcurrunt) noſtræ ætatis, ſummis curis fuit non ſolum ditare cælum Chriſtianum voluminibus Bibliacis quavis lingua olim conſcriptis, ſicut etiam operibus omnium veterum Eccleſiæ Scriptorum; ſed inſuper ut adcuratiori criterio rem conficerent, ea ediderunt, non quidem ad normam unius vel alterius exemplaris, ſed bene multorum quæ diligenter inſpexerunt, & contulerunt ad invicem. Ita Maſorethæ ex multis codicibus ejuſdem Hebræi Textus ediderunt Maſoram; ita Robertus Stephanus ex ſexdecim exemplaribus Textus Græci Novi Teſtamenti, tres nitidiſſimas ejuſdem Græci editiones adornavit; ita Lucas Brugenſis collatis ad invicem permultis vetuſtiſſimis exemplaribus MSS. Latinæ verſionis, pleraque menda in codices recentiores annotavit, & correxit; idem inſtitutum tenuerunt PP. Maurini in perpoliendis operibus SS. Auguſtini, Hieronymi, aliorumque veterum Eccleſiæ PP.; & per conſequens juxta Criticorum regulam, ut quis ſine erroris periculo valeat ſeligere, & ſtabilire germanam lectionem Scripturæ neceſſario inſpicere debet, & diligenter conferre ad invicem ſingulos codi-

codices ſingulorum Textuum, Contextuum, & veterum Eccleſiæ PP. Quo prælibato.

463. Probatur min. quoad primam part. Ad mentem itaque Criticorum opus eſt, ut is cui arridebit ſtabilire ſine erroris periculo germanam aliquam lectionem, ad manus habeat ſingulos codices ſingulorum Textuum, Contextuum, & veterum Eccleſiæ PP.; at hoc non modo eſt difficile obtentu, ſed pluſquam moraliter impoſſibile. Namque ad fidem ſyllabi Longhiani quem retulimus n. 391., ſola manuſcripta Biblica, quæ hodie ubique gentium extant, conficiunt n. 1414.; porro minime dictum velim quod ad voluntatem Criticorum is, cui arrideret ſeligere legitimam lectionem, indigeret hujuſmodi ingenti copia manuſcriptorum Biblicorum, ſicut & omnium exiſtentium manuſcriptorum veterum PP.; ſed dicam dumtaxat, quod præfato viro deberent adeſſe & præſto eſſe ſaltem ea integra Biblia manuſcripta in lingua Hebraica numero 61., Syriaca num. 10., Arabica num. 5., Græca num. 18., & Latina 55. in eodem Longhiano elencho relata; at quis rationis compos non agnoſcet etiam id eſſe perdifficile obtentu & pluſquam moraliter impoſſibile? Apud Longhianam Bibliothecam ſolum extat memoria ſive mentio præfatorum Biblicorum manuſcriptorum, codices autem quam diligentiſſime & ſub clavibus ſervantur Romæ, in univerſa Italia, in Hiſpania, apud Anglos, Germanos, Britannos, & in aliis longinquis diſſitiſque regionibus, a quibus profecto facilius Theſaurus acciperetur mutuo quam præfata Manuſcripta; & per conſequens quemadmodum eſt pluſquam moraliter impoſſibile, quod aliquis ad manus habeat ſingulos codices ſingulorum Biblicorum Textuum, Contextuum, & veterum Eccleſiæ Scriptorum, ita uſus ſacræ Critices ex defectu codicum, quoad requiſitam copiam & multitudinem, ridiculus eſt, caſſus, & vanus.

464. Si oppoſueris, haud hodie eſt neceſſaria inſpectio ſingulorum exemplarium cujuslibet Bibliaci Contextus,

& veteris Eccleſiæ Scriptoris, quoniam ſuperiores Critici jam nos ditarunt genuinis eorundem Contextuum, veterumque Scriptorum lectionibus, ſelectis ex permultis veteribus exemplaribus MSS. ubique terrarum ſervatis, quaſque ſelectas lectiones luci publicæ iidem eruditi donarunt: primo velim definiatur, quinam, & ubi ſerventur iſti exacti codices impreſſi Contextuum, & veterum Scriptorum a ſuperioribus Criticis elucubrati, quibuſque Critici poſteriores contenti ſint, atque clauſis oculis iiſdem confidant? Licet recentiores Critici commendent arduas curas Maſoretharum, Roberti Stephani, Lucæ Brugenſis, & eorum virorum, qui communi ſtudio & labore inſudarunt in elucubrandis, atque edendis Polyglottis Complutenſibus, Antuerpianis, Pariſinis, & Londinenſibus, non ita tamen ut hiſce fuerint contenti, & novam criſim reapſe non inſtituerint, communi ſententia inde concludentes, meliores editiones quærendas, & inveniendas. Neminem enim hactenus ſcio, qui aut obſervationes Maſoretharum, aut Roberti Stephani, aut Lucæ Brugenſis pro exactis agnoverit, vel qui adſeruerit præfatas Polyglottas eſſe omnibus numeris abſolutas: ita pariter quoad veterum Scriptorum opera, unuſquiſque ſuam editionem præfert editionibus præcedentibus, dicens, haſce expreſſas fuiſſe oſcitanter & ex paucis lacunoſis manuſcriptis, quæ nullimode ſunt comparanda iis, quibus ipſe uſus eſt. Inſigni hujus rei teſtimonio nobis eſt Oxonienſe folium de quo ſupra num. 415., quodque longe lateque hodie circumfertur: quandoquidem, licet ſuperioribus ſeculis tam Judæi, quam doctiſſimi Chriſtiani omnem ferme laborem exantlarint ad hoc, ut imprimerent Hebræum Textum caſtigatum ab erroribus, qui in eum irrepſerant; adhuc in præfato folio difertis verbis aſſeritur, *primo*, quod omnia exemplaria Hebraica hactenus impreſſa innumerabiles pene errores complectantur, & quidem gravioris momenti; *ſecundo*, quod præfata exemplaria fuerint eruta ex

MSS.

MSS. recentiſſimis & minime bonis; *tertio*, quod MSS. quæ hodie habentur in Anglia ſint antiqua, permulta, & optimæ notæ; *quarto*, quod hiſce de cauſſis ab omnibus eruditis, & divinas litteras amantibus vehementer optandum, ut novum ſcrutinium inſtituatur de Hebraicis codicibus MSS., & priſtino nitori ſacer Textus reſtituatur; *quinto*, quod hujuſmodi ſcrutinium reipſa nunc fiat in præcipuis Urbibus, *quæ ſunt* (ſic legitur §. X.) *Roma*, *Florentia*, *Bononia*, *Mediolanum*, *Genua*, *Venetiæ*, *& Conſtantinopolis*, *& in aliis Europæ partibus*, *Toletum*, *Varſavia*, *& Luſitania*: vides igitur quomodo Recentiores minime ſunt contenti laboribus anteriorum Criticorum; & conſequenter corruit objecta cavillatio, quod nimirum non ſit hodie neceſſaria inſpectio ſingulorum codicum ſingulorumque Contextuum, ex quo ſuperiores Critici præfato ſtudio incubuerunt. Nec mirum, quoniam Neoterici cordi habent eam regulam mutuo ab Eraſmo acceptam: *Haud aliis Interpretibus fidendum*, *ſed quiſque propriis oculis rem cernat*, ob idque nec parcunt Septuaginta Interpretibus, nec D. Hieronymo, nec Romanis Correctoribus: quod ſi iſtis parere renuunt, tuum eſto judicium utrum fidem adhibeant illis Criticis, qui revera craſſiſſimis hallucinationibus perſæpe offenderunt (*a*).

465.

(a) *Quibus colliges dari non poſſe editionem aliquam Bibliorum, quæ univerſitati Criticorum arrideat, quoniam unuſquiſque vult rem propriis oculis cernere, & judicare ad fidem illorum exemplarium, quæ ipſi adſunt, & ad normam illarum regularum Grammatices, quæ magis arrident. Præterea quod ſi Eccleſia concederet ampliſſimam facultatem Criticis, ut pro eorum arbitrio unam Latinam verſionem conderent, haudquaquam concordarent, ſive nuſpiam ad eandem unam editionem amica conſenſione tenderent; ſed immani igne accenſo acriter acerrimeque digladiarentur ad invicem, & dato etiam quod unanimi conſenſu conſpirarent in unam, neque finis; quoniam eorum diſcipuli eidem regulæ nixi*, haud aliis Interpretibus fidendum &c., *minime eorundem editioni acquieſcerent, ſed ipſi quoque contenderent eam ad proprium judicium adpendere, & novam fabricare, ea penitus lege, ac apud Hæreticos eſt in more (vide num.* 390. *& num. XXV. Reſponſionis Apologet.) ſicque proceſſus in infinitum.*

Digitized by Google

465. Si cauſſaberis, neminem Criticorum vel ſubodoratum fuiſſe tot excogitatas minutias, quas ex mente eorum ipſe deſcripſi, quum vix commendent inſpectionem, & collationem Hebræi Textus cum verſionibus, præſcindendo ab inſpectione, ſive paucorum, ſive omnium exemplarium ſingulorum Contextuum & veterum Scriptorum: reſpondeo, ea profecto lege qua nituntur ex inſpectione & collatione Hebræi cum ſupradictis Contextibus & Commentariis veterum reſtituere germanam lectionem, eadem lege oritur neceſſitas inſpiciendi & conferendi omnia & ſingula exemplaria cujuslibet Contextus & veteris Scriptoris, ad hoc ut ordinate exactiuſque procedant ad mutuam ſelectarum lectionum collationem, ut nuper oſtendiſſe arbitror: item, Critici minime flocci faciunt variantes exemplarium lectiones, & pro hiſce annotandis haud parum inſudarunt hodieque plerique incumbunt: item, laudibus & encomiis proſequuntur eos, qui multa exemplaria ejuſdem Contextus contulerunt ad invicem: item, juxta eorum ſyſtema non eſt potior ratio, ut ex his tantum & non ex aliis exemplaribus ejuſdem notæ genuina lectio eruatur: tandem ad relationem folii Oxonienſis, idcirco hodierni Angli dant operam collationi Hebraicorum MSS., & jactitant ſe ditaturos Rempublicam litterariam perfectiori editione Hebræi Textus, quia poſſident permulta MSS. Hebraica, quia jam contulerunt MSS. Bibliothecæ Vaticanæ, & dummodo eruditi confluant ad ſublevandas impenſas neceſſarias, ſe ſe offerunt etiam alia MSS., quæ apud exteras gentes conſervantur, perſcrutari, & conferre: quorſum iſta, niſi quia ad voluntatem Anglorum & aliorum Neotericorum, eo tutius atque exactius deprehendetur germanitas alicujus lectionis, quo multo plura MSS. conſpicientur & conferentur ad invicem? Quod ſi poſtea objectaveris, inſpectionem, & collationem omnium exemplarium ſingulorum Contextuum & veterum Scriptorum eſſe difficillimam, & moraliter impoſſibilem, idcirco ipſe dicebam atque dicam, uſum ſacræ Cri-

Critices ex defectu Biblicorum codicum vanitatem ſpirare?

466. Id vero quod omnem admirationem ſuperat profecto eſt, quod Critici ubi tam impenſe commendant inſpectionem, & collationem multorum codicum Textuum, & Contextuum, poſtea permulta Vulgatæ loca non alio præſidio taxant, & aliam lectionem ſubſtituendam eſſe contendunt, niſi inſpectione ſolius hodierni Hebræi: ecquis id credet? quis admiratione non replebitur? Super hæc verba Vulgatæ: *Fiat Firmamentum* (a) Munſterus inquit: *Sonat vox Hebræa non* Firmamentum, *ſed* Extenſionem. Fagius legit: Sit Expanſum, *vox Hebraica & Chaldaica* Rahia *non proprie* Firmamentum . . . *ſignificat, ſed magis expanſionem; Rahia enim Hebræis expandere, extendere, deducere ſignificat*. Iſidorus Clarius, Firmamentum *ſonat vox Hebræa extenſionem*. Caſtalio reddit, Liquidum inter aquas *Hebraice a deducendo dictum ſignificat Liquidum*. Druſius, ſit expanſum in medio aquarum . . . *ſane vox Hebræa* Rahia *a verbo quod expandere, ſive extendere ſignificat*. Grotius eodem tendit cum cæteris multis Novatoribus, adeout teſte Riccardo Simonio (b) *Novi contendunt, vocem Hebræam ſignificare* expanſum *non* Firmamentum. Quibus in meridie vides quam turpiter præfati Critici obliti fuerint inſpectionis & collationis multorum codicum ad invicem, quas cæteroquin ubique inculcant: haud enim veriti ſunt, præſidio ſolius Hebræi, & unius forte vel alterius Hebræi exemplaris, rejicere Vulgatam legentem *Fiat Firmamentum*. Dixi unius forte vel alterius Hebræi exemplaris, quoniam alii Hebraiſtæ quos inter Pagninus, Morinus, aliique, hujuſmodi mendum minime agnoſcunt; atque ita ſi hic locus inſpectus fuiſſet ſaltem apud plurima exemplaria Hebræi, vel ad minus apud unum exemplar non tantum Hebræi ſed cæterorum Biblicorum Contextuum, & veterum Eccleſiæ Scri-

(a) *Gen. I. v. 6.*
(b) *Lib. II. Vet. Teſt. cap. V. pag. 29.*

Digitized by Google

Scriptorum, haudquaquam præfati Critici fuiſſent auſi contra flumen ire. Namque ſi id petieris apud Polyglottam, non dicam alicujus Doctoris Catholici, ſed Waltoni, comperies, omnes Biblicos Contextus nimirum verſionem Septuaginta, veterem Italam, Latinam, Vulgatam, Textum Samaritanum, Chaldaicam paraphraſim, Syriacam, Arabicam legere *Firmamentum*. Idipſum invenies ſi otium tibi fuerit conſulere ſuper hanc vocem Eccleſiæ Patres: obviam profecto occurrent Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Baſilius, Eucherius, Rupertus, Beda, Gloſſa interlinealis, aliique (*a*), qui omnes minime legerunt, vel ſuis Commentariis illuſtrarunt *Fiat expanſum* vel *Liquidum*, bene vero *Fiat Firmamentum*, quemadmodum fideliſſime Vulgata noſtra ſemper retinuit atque tenet; Criticis itaque bene quadrat quod olim de Phariſæis Chriſtus Dominus inquit (*b*). *Dicunt enim, & non faciunt, Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere*. Noſtri Ariſtarchi contendunt, quod Eccleſiæ filii ſi velint intelligere ipſum Dei verbum quod Sanctis hominibus inſpiratum fuit, & detegere in Vulgata menda Interpretis, opus eſt quemlibet Vulgatæ locum adpendant ad lancem omnium ſingulorumque Biblicorum Contextuum, & Scriptorum veterum, quamquam ipſi hujuſmodi inſpectionem & collationem multorum Codicum, neque adhibuerint, neque adhibeant.

467. *Probatur minor quoad ſecundam partem*. Ad ſententiam Criticorum, ut vera lectio ſtabiliatur in Fontibus, & in Vulgata, requiritur inſpectio codicum melioris notæ; atqui nullus codex talis hodie reperitur, ſive Fontium, ſive Verſionum qui ab eiſdem Criticis communi ſuffragio pro tali habeatur; ergo ex defectu codicum melioris notæ uſus

(a) *Legeſis Gloſsam Magnam litteralem in Geneſ. ſuper hunc verſic. Tom. I. p.* 560. *& ſeq.*
(b) *Matth. XXIII. v.* 3.

Digitized by Google

uſus ſacræ Critices vanus eſt, & irritus. Minorem propoſitionem, cui conſenſus denegabitur, oſtendo. Per codices melioris notæ ipſi intelligunt exemplaria antiquiora; quoniam quum per pauciores deſcriptiones ex ipſis Autographis exſcripta fuerint, idcirco minus expoſita oſcitantiæ amanuenſium, aliiſque cauſſis quæ in exſcriptione exemplarium facile occurrunt, atque ita exiſtimantur fidelius Autographa repræſentare: *Veritas enim*, iteremus oportet verba Waltoni (*a*), *eſt errore antiquior, & codices quo antiquiores eo primis Autographis propiores, & per pauciores deſcriptiones a primis fontibus derivantur: quo enim ſæpius unum ex altero exemplar deſcribitur, eo facilius errata irrepere poſſunt . . . Hinc colligitur lectionem quam ſequuti ſunt antiqui Eccleſiæ Scriptores, qui propius Apoſtolorum temporibus vixerunt, plus auctoritatis habere, quam Recentiorum quorumcunque, utcunque doctrina polleant*. Et alibi commendat inſpectionem verſionum Septuaginta, Italæ, Vulgatæ Latinæ, Textus Samaritani, paraphraſis Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, Perſicæ, & Copticæ, quia tenet haſce omnes eſſe antiquiſſimas: *Quumque*, inquit (*b*), *ex Scribarum incuria aliiſque cauſſis fieri non poſſit quin in minutis quibuſdam codices frequenter varient, ideo melius ſtabiliri non poteſt vera lectio, quam ex antiquorum exemplarium & verſionum collatione, quæ ex ipſis libris Archetypis per pauciores deſcriptiones traducta eoſdem clarius & fidelius repræſentant, quam quæ ſerius deſcripta ſunt, quæ ſicut rivuli quo longius a fontibus feruntur, eo minus eorum puritatem ſervant, faciliuſque ſordes contrahunt*. Huc tandem collimant nugæ recentiorum Auctorum, qui initio ſuorum operum Lectores monent, ſe vetuſtiſſimis exemplaribus, ad quorum fidem ſua opera concinnarunt, fuiſſe uſos; quoniam bene noſcunt, apud omnes eo exemplar aliquod æſtimari exactius & melioris,

(a) *Proleg. VI. §. 6. p. 273. col. 1.*
(b) *Præfat. Polyglot. præfixa p. 3.*

lioris notæ, quo majori antiquitate fruitur: non alind itaque noſtra refert niſi ponere in apricum, utrum Criticis adſint hujuſmodi codices vetuſti, quibus valeant ſtabilire germanam lectionem &c.

468. Et ſane jam obſervavimus, permulta manuſcripta pro antiquis hodie venditari, quæ revera recentiſſima ſunt: inſuper tametſi pleraque iſtorum vere vetuſta ſint, nec ea tamen reapſe frui perantiqua ætate ad quam nonnulli referunt; & tandem licet aliquod manuſcriptum quo antiquius eo fidelius cenſeatur reſpondere Autographo, id vero non tam arcte intelligendum, ut antiquitas ſolitarie inſpecta ſinceritatem, & auctoritatem ei conciliet, ſed & aliæ conditiones ſedulo inquirendæ (*a*). Quod ſi res ita ſe habet, cuique liberum eſto judicium in definiendo, quam difficile ſit inveniri codex qui vere antiquitatem & ſinceritatem ſpiret: non itaque ſufficit, ut quis dicat ſe habuiſſe uſum antiquiſſimorum & correctiſſimorum manuſcriptorum; ſed ante omnia ipſi incumbit tam gravibus indiciis probare antiquitatem & integritatem ſuorum codicum, ut viri prudentes non denegent conſenſum. Ultraquamquod ipſimet Critici ſunt nobis exemplo, ut hoc in rerum themate eorum obteſtationes parvifaciamus: annon Ximenius teſtatur maximam ſui laboris partem in eo potiſſimum verſatam fuiſſe, ut adhiberit caſtigatiſſima omni ex parte vetuſtiſſimaque exemplaria Hebræa, Latina, & Græca, non ſine ſummo labore undique conquiſita? annon Arias Montanus etiam prodit, in Polyglottis Regiis concinnandis adhibita fuiſſe exemplaria varia & correctiſſima Romanorum, Venetorum, Conſtantinopolitanorum, Germanorum, & Complutenſium, ſumma fide & diligentia collata ad invicem? annon hoc ipſum pro ſuo modulo præſtitere editores Polyglottarum Pariſienſium? & tamen Waltonus eodem lenocinio vetuſtiſſimorum manuſcriptorum, optimorum-

(*a*) *Conſulesſis expoſita* §. *IV. ſuperioris Appendicis a num.* 414. *& ſeqq.*

rumque exemplarium impreſſorum, quæ ſatur undique conquiſiſſe, necnon ſumma fide contuliſſe ad invicem, minime dubitavit ſæpe in ſuis Polyglottis aliorſum tendere, in multis diſcedendo ab exemplaribus præcedentium Polyglottarum; ea de re quoad Samariticum minime adprobavit omnes conatus Joannis Morini, quoad verſionem Viralem & Latinam Italam, rejecit eam quam exhibent Ximeniana; quamque ſequuti fuerant Doctores Antuerpienſes; Paraphraſim quoque Buxtorfii ſecundum editionem Baſileenſem, non autem Antuerpianam, & Pariſienſem adoptavit; eidem, ut alia cæteroquin enucleata (a) miſſa faciam, lubuit adhærere Roberto Stephano, & impio Tremellio circa Novum Teſtamentum Græcum & Syriacum, non autem eiſdem tribus Polyglottis: ſicque experientia conſtat, nullum pene hodie reperiri codicem Bibliacum, ſive fontium, ſive verſionum, quo Critici communi ſuffragio contenti ſint, & eundem exiſtiment melioris notæ; quinimmo iidem nobis exemplo ſunt, ut de omnibus codicibus prudenter dubitemus, quantumvis jactitentur pro vetuſtis, & exactis. Si quæ fuerunt MSS. melioris notæ, ea maxime quorum uſum habuerunt Ximenius, vel Lovanienſes, aut Pariſienſes; quod ſi poſtea iſtorum Polyglottis Waltonus in multis ſe oppoſuit, & inſuper poſteriores Critici neque Ximenium, neque Lovanienſes, neque Pariſienſes, neque tandem Waltonum ſunt fideliter ſequuti; dicam plus, & quidem non ſine ſtupore magno: *Exemplaria*, hanc ſententiam eruditi Angli hodie tenent & propalant apud Oxonienſe folium §. III. *Hebraica hactenus impreſſa cum codicibus MStis recentiſſimis, & minime bonis concordare deprehenduntur ... Et dant ſenſum vel nullum vel Contextui repugnantem*; quis non videt, univerſos Criticos tantummodo eos codices exiſtimare melioris notæ qui ſunt apud ſe, nulli e contra alteri co-

 dici

(a) *Vid. n.* 409. *&* 410.

dici præfatam conditionem tribuentes, & per conſequens quomodo ex defectu codicum melioris notæ irritus non evadet uſus ſacræ Critices?

469. PROBATUR II. Idcirco Critici confidunt inſpectione & collatione hodiernorum codicum Hebræi, & Verſionum ſtabilire germanam lectionem, quia pro explorato habent, Hebræum hodiernum haud corruptelas ſpirare, vix in quibuſdam minutis differre ab Archetypo, & inſuper Verſiones omnes fuiſſe ex Hebræo transfuſas antequam præfatas ſordes Hebræus incurriſſet; qua de cauſſa flocci faciunt corruptelas, quibus hodierni codices Hebræi & Verſionum ſcatent: quod enim (paſſim dicunt) aut malitia, aut incuria Scribarum, aut quævis alia cauſſa efficere potuit in uno aut in alio codice, minime tamen in omnibus nimirum in Hebræo, in Septuaginta, in Itala, in Samaritano, in Paraphraſibus, in Verſionibus Syriaca, Arabica &c. diverſis linguis, locis, temporibus editis, & conſequenter *Conſenſus* concludit Waltonus (a) *& harmonia tot Verſionum* (ſupple antiquarum) *diverſis temporibus factarum, & apud Gentes tantis terræ mariſque intervallis diſtantes, quaſi vox Dei eſt de Cœlo teſtificantis ſe horum librorum Auctorem eſſe, qui contra omnem hujus mundi potentiam eos mirabiliter conſervavit*. Atqui Hebræus Hodiernus longe diſtat non ſolum ab Archetypo, ſed ab eo etiam qui Hieronymiano tempore circumferebatur; & excepta ſola Verſione virali quæ ex Hebræo puro fuit expreſſa, cæteræ autem aut non ex Hebræo, aut ex Hebræo corrupto hauſtæ ſunt; ergo inſpectio & collatio hodiernorum codicum minime ducere valent ad ſtabiliendam germanam lectionem.

470. Minorem propoſitionem probemus oportet. Et quantum attinet ad hodiernum Hebræum id unum pro comperto habeo, quod omnia exemplaria Hebræi quæ ho-

(a) *Præfat. in Polyglot. p. 3.*

hodie habentur nonniſi ſunt Maſorethica (*a*) ; ſed quod exemplaria Maſorethica longe diſtent ab Archetypo, & eò etiam qui circumferebatur Hieronymiano tempore uti affatim deprompſimus cap. 1. per totum, & alibi ſignanter num. 455. ergo &c. Quoad Latinam Italam hæc, ut alibi diximus, eruta fuit non ex Hebræo, ſed ex Verſione virali quæ tempore Hieronymi tot ſcatebat vitiis, ut Sanctus Doctor excitatus fuerit ad novam adornandam. Targumim quamvis ex Hebræo redditæ, ſed eo tamen tempore in quo omnia exemplaria Hebræi inſignes corruptelas contraxerant, & inſuper elucubratæ ab infenſiſſimis noſtris. Pariter de Verſione Syriaca, Arabica, Æthiopica, Perſica, Coptica,

(a) *Etenim ut obſervat Joannes Morinus lib. I. Exercit. cap. I. p. 4. col. 2. B.* Apud Judæos codices manuſcripti annis quingentis vetuſtiores non reperiuntur, nec vetuſtiores referunt Judæi, qui noſtro ſeculo reſtituendis libris ſuis operam navaverunt. *Et Waltonus hanc rationem profert Prolegom. IV. §. 8. p. 263. col.* 1. Ratio etiam probabilis reddi poteſt, cur non habeamus codices Hebræos ita antiquos, ut Græcos quoſdam veteris ac novi Teſtamenti, quia ſcilicet poſt Maſoretharum criticam & punctationem ab omnibus receptam, Judæorum Magiſtri omnes codices his non conformes, ut profanos & illegitimos damnarunt; : unde poſt pauca ſecula, omnibus juxta Maſoretharum exemplaria deſcriptis, reliqui rejecti, & aboliti. Hinc eſt, quod pauca habemus exemplaria Hebraica 500. vel 600. annorum. *Porro Morinus fatis ceſſit an. 1659. Waltonus 1661. quum vero Maſorethæ, ſive primi verporum Grammatici juxta dicta num. 442. floruerint undecimo ſeculo, plane infertur omnia exemplaria Hebraica, quæ hodie habentur eſſe Maſorethica. Morino & Waltono Critici communiter adhæſerunt, & neſcio quo fundamento Buxtorfius affirmarit, ſe vidiſſe exemplar Hebraicum 700. vel 800. annorum, ſive conſcriptum octavo, aut nono ſeculo a Chriſto nato; in hiſce enim duobus ſeculis uti retulimus num. 448. Hebrais ſolemne fuit dilucidare traditiones Talmudicas, & inſuper omnes codices Hebraici ante Maſorethas perierunt, utpote qui pro illegitimis habebantur. Nec refert quod nonnulli parum vel nihil de hiſce rebus inſtructi, credant eſſe vetuſtiora Maſorethis ea exemplaria, quæ punctis Maſorethicis non conſpiciuntur deſcripta; etenim Rabbini Recentiores adminiculo ejuſdem Grammatices Maſorethicæ didicerunt legere ſine punctis, & ita ſine punctis nonnulla exemplaria reſtituerunt, contendentes hac lege, referente Bernardo Lamy in Apparatu Biblico lib. II. cap. VI. p. 368. morem gerere ſuis proceribus apud quos ſacrum volumen erat ſine punctis, & ſine accentibus.*

Digitized by Google

& Armenica certi ſumus ab initio turbide fluxiſſe, ut quæ ſive ex Hebræo ſive ex Septuaginta jam longe antea corruptis & depravatis expreſſæ, cum additione quod neque earum Auctores, neque Auctorum religio nobis tuto innoteſcant, quemadmodum iſthæc & alia huc conducentia abunde enucleavimus in propriis ſedibus, quæ ſi neceſſitas poſtulaverit eodem loci inquirere poteris. Quis igitur non miretur Criticos contendentes ex tam lacunoſis codicibus eruere germanam perpolitamque lectionem Hebræi, & quod majus eſt, præfatæ lectioni tantam certitudinem tribuere, ut credant tuto & ſecure conviciſſe de vitiis Vulgatam a S. Sede correctam. *Quæ eſt igitur*, apprime Morinus (a), *illa gigantea temeritas, & amentia de re tanti momenti prorſus incognita tam inſolenter pronuntiare? Sacroſancta ſcripta quæ nota ſunt vilipendere, & convitiis inſectari, ut ea quæ juxta cum ignariſſimis neſciunt, laudibus in cælum evebant.* Si omnes allegati Contextus Bibliaci hauſti fuiſſent ex Hebræo nondum corrupto, & ab Auctoribus optimæ notæ non ita certe diſſentirem allegatæ Waltoni conjecturæ: *quod enim aut malitia, aut Scribarum incuria, aut quævis alia cauſſa efficere potuit in uno aut in alio codice, minime tamen efficere potuit in omnibus*; at agitur de Hebræo, de Samaritano, de Verſione Septuaginta, & Itala licet a ſuis Auctoribus limpidiſſime profectis, a primis tamen Eccleſiæ ſeculis depravatis; agitur de Chaldaica, Syriaca, Arabica, Æthiopica, Perſica, Ægyptiaca & Armenica, quæ non tantum hauſtæ ſunt ex turbatis codicibus ſive Hebræi, ſive duarum Verſionum Viralis & Latinæ, ſed inſuper elaboratæ ab hominibus adeq obſcuris, ut neque ætas, neque locus, neque nomen nobis certo adfulgeat; agitur tandem quod hodierni codices neque congruant cum iis qui a primo fuerint editi, & neque eorundem linguæ, ut olim ſonabant hodie addiſcuntur. Vide

(a) *Lib.* I. *Exercit.* I. *cap.* I. *p.* 4. *col.* 2. *E.*

Digitized by Google

de igitur quam præpoſtere & perfunctorie ſe gerat ille qui lectioni Vulgatæ correctæ præfert eam, quam ex principiis adeo ambiguis & gracilibus emendicavit, aut emendicabit in futurum.

471. Verum objectabis ſi hæc vera forent, jam præfati Contextus quam longiſſime diſcreparent, & diſcordarent ad invicem, quo quid falſius nemo non videt. Aſt utique longe amplius diſcordarent ad invicem ſi Critici, eo penitus modo & religioſiſſima fide typis mandaſſent manuſcripta Textuum & Verſionum, atque fuerunt ipſis tradita (*a*). Eſt obſervatio laudati Morini nuper citati, tametſi Recentiores ſtuduerint ita imprimere Hebræum Textum ac ſi ex uno eodemque manuſcripto dimanaſſet, ea quaſi lege qua ex una Vulgata Verſione Clementis VIII. concordantes impreſſiones factæ ſunt, adhuc *Reclamant* ſubdit *Judæi*, *mendaſque innumeras*, *ingenteſque a manuſcriptis diſſentiones*, *non dicam in Chriſtianorum editionibus*, *ſed in iis quas ipſi Judæi emendatiſſime elaborarunt*, *Rabbini adnotant*. Nemo certe Chriſtianorum inveniretur, qui cachinnis & irriſionibus non inſectaretur paraphraſes Chaldaicas, ſi ita impreſſæ fuiſſent ac manuſcripta inſigniora a Ximenio comparata produnt: quis ignorat permultos Recentiores pro ſuo peculiari judicio criminari aut Ximenium, aut Flaminium Nobilium, utpote qui non fideliter & exacte vetuſta manuſcripta Verſionis Septuaginta typis mandarunt? annon ipſimet editores hodiernorum Biblicorum codicum ſuo ore, ſuoque calamo teſtantur, multa utpote inutilia vel noxia detraxiſſe, alia neceſſaria & utilia ex aliis Contextibus reſtituiſſe, alia ſumma diligentia immutaſſe & correxiſſe? quid ergo mirum ſi hodie Contextus iſti non ita diſcordent ad invicem atque olim diſcordabant, & propter datas rationes diſcordare deberent? Hinc affirmare auſim iis ſolis exceptis Scripturæ locis, quæ a veteribus PP. & Scriptoribus notata ſunt in Te-

(a) *Recole quæ diximus num.* 349.

Digitized by Google

Textu Hebræo, in Samaritano, in Græco Novi Teſtam., in Septuaginta, in Itala, in Syriaca, & inſuper ita adamuſſim in hodiernis codicibus habentur, iis inquam exceptis, cæteris omnibus (ut ut ſim modicæ entitatis) nullam fidem adhibeo, niſi in quantum fideliſſime cum Vulgata Correcta congruant, aut adjumento nobis ſint ad eandem clarius intelligendam. Et ſane iis exceptis locis, circa alia nihil certitudinis habemus, qua teneamur credere ita olim apud eoſdem Contextus fuiſſe lectum. Hæc, inſtabis, adfulſerunt nobis ex vetuſtiſſimis correctiſſimiſque manuſcriptis; at quo monumento credis & affirmas, hujuſmodi manuſcripta revera fuiſſe antiquiſſima, correctiſſima & edita a viris doctis & piis? inſuper religioſiſſime aduſque noſtra tempora ſervata? & tandem a noſtris Criticis fideliter tranſcripta, & mandata typis? Mirum ſane! Non obſtante quod PP. Tridentini in Spiritu Sancto congregati unanimiter teſtati fuerint, atque præceperint ipſam Vulgatam Veterem habendam fore pro authentico ſacræ Scripturæ codice, non obſtante quod ipſa Romana Sedes ſummo nobis ſit ac maximo teſtimonio, quod Vulgata a Sixto V. caſtigata, & ſub Clemente VIII. edita ipſam præſeferat Vulgatam veterem, adhuc de veritate dubitant Critici, & exantlatis laboribus in emendicandis prætextibus tempus conſumunt, ut ipſorum moroſa dubia confirment: modo clauſis oculis credunt hodiernos Textus & Verſiones ex antiquiſſimis & correctiſſimis manuſcriptis hauſta fuiſſe, non alio quidem ſuffragio niſi maxima ex parte Judæorum, & Hæreticorum, quibus bene quadrant divina illa oracula: *Non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis* (a). Quantumvis ergo hodierni Textus ac Contextus conſentiant ad invicem, nuſpiam tamen eorum harmonia tanti facienda eſt, ut vel pro

(a) *Jerem. XIV. ver. 14.*

Digitized by Google

pro minimo detrahat Vulgatæ correctæ, quoniam maxima ex parte profecta eſt ab ipſiſmet Criticis, ſtudentibus verſiones omnes emendare ad normam fontium & non Vulgatæ, committentes hac lege craſſiſſimum circulum vitioſum. Etenim poſtquam reſtituerunt antiquas verſiones ad normam hodierni Maſorethici Hebræi Textus, modo ex harmonia verſionum cum Hebræo contendunt ſtabilire lectionem in Hebræo, Hebræi integritatem tueri, & inde Vulgatam de vitiis criminari. Itaque allegata Waltoni ſtropha, *Conſenſus & harmonia tot Verſionum . . . . quaſi vox Dei eſt de Cælo teſtificantis ſe horum librorum Auctorem eſſe &c.* commentitia eſt, inſulſa eſt, temeraria eſt, ſapit blaſphemiam ſaltem dehoneſtativam.

§. V.

Ejuſdem Sacræ Critices vanitas eruitur ex defectibus eorundem Criticorum.

472. *Primo* idcirco Critici contendunt præſidio linguarum & Biblicorum codicum ſtabilire germanam lectionem in fontibus ubi variant, & poſtea in Vulgata Latina, quia pro explorato tenent atque ſupponunt hæc duo: *primum*, non tantum in hodiernis fontibus aliiſque Contextibus ſupereſſe menda corrigenda, ſed etiam in Vulgata Latina a S. Sede correcta; *ſecundum*, facultatem diſcernendi lectionem germanam a ſuppoſititia reſidere non tantum apud S. Sedem, aut Epiſcopos in Concilio Œcumenico, ſed cuique privato Spiritui, qui ſit linguarum peritiſſimus, & juxta regulas Critices rem exacte diſcutiat atque definiat; ſed circa *primum*, ſublatis mendis typographicis (de quibus initio hujus operis), cæterum eſt probatu difficile vel unicum mendum reperiri in Vulgata editione hodierna, quod ſit correctione dignum: & quoad *ſecundum*, tantummodo apud Romanam Sedem, aut Epiſcopos in Œcumenico Concilio,

reſi-

Digitized by Google

reſidet facultas rite & inconcuſſe diſcernendi lectionem ſinceram a ſuppoſititia; ergo ex defectu hujus poteſtatis Critici incaſſum & inaniter ſtudent regulis Critices. Major propoſitio probatione non indiget; namque non alio ſcopo nituntur ſtabilire germanam lectionem in fontibus, niſi ut probent Vulgatam ſcatere mendis ubi a germana lectione fontium diſcrepat, adeout ſi ſuam fidem, ut par eſt, religioſe alligaſſent Sedi Apoſtolicæ, & propius hiſce verbis Præfationis Vulgatæ correctæ, *Porro in hac editione nihil non canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt*, ſicut etiam ſedulo attendiſſent, facultatem rite diſcernendi lectionem genuinam Scripturæ a ſuppoſititia haudquaquam competere Criticis quantumvis eruditione exundantibus, ſed unice & ſolummodo Romano Paſtori aut Epiſcopis in Concilio Œcumenico, minime tot exantlatos labores fudiſſent in addiſcendis linguis Orientalibus, in conquirendis & comparandis tot Bibliacis codicibus quavis lingua conſcriptis, in annotandis tot variantibus lectionibus fontium & Verſionum, in taxandis tandem pleriſque locis Vulgatæ veteris, quam Apoſtolica Sedes a mendis perpolivit. De prima parte *minoris* nil penitus agendum expedit, quum huc unice tres noſtræ *Biblico-Demonſtrationes* poſitæ paragrapho primo Capitis Prodromi colliment.

473. *Probatur itaque ſecunda pars minoris.* Eccleſia Chriſti, ut ſuos filios inſtruat circa ea quæ neceſſaria & utilia ſunt ad ſalutem, longe majori neceſſitudine indiget lectione genuina Scripturæ, quam genuina ejuſdem Scripturæ interpretatione; eo quippe jure quo noſtra maxime refert prius habere incorruptum aliquod inſtrumentum, ut hæreditatem E. G. nanciſcamur, & poſtea ejuſdem inſtrumenti genuinam interpretationem: quum enim dubitabitur de integritate ipſius inſtrumenti, ridicule conquiretur legitima ejuſdem interpretatio: atque ita nonniſi præpoſtere ageret prætor ille, qui prætermiſſa & neglecta inquiſitione ſuper

Digitized by Google

ſuper genuitate alicujus verſus aut voculæ dati inſtrumenti, progrederetur ad definiendum germanum ſenſum ejuſdem verſus aut vocis. Præterea licet idem Scripturæ locus poſſit plures rectas interpretationes ſuſcipere, minime tamen patitur diverſitatem aut pluralitatem lectionum, quarum quælibet ſit Canonica & Divina; quoniam ut ipſemet Waltonus recte animadvertit (*a*): *Quum uno tantum modo ſcripſerit Propheta, & unica lectio ſit ex ſe divina; impoſſibile eſt eſſe utramque authenticam, licet altera nihil falſi in ſe contineat, in ſe ſpectata ut propoſitio*. Neque Morinus, ut perperam a Waltono eo loci accuſatur, uſpiam ſomniavit aſſerere, dari poſſe duas lectiones authenticas circa eundem Scripturæ locum, ſed dumtaxat duas lectiones Catholicas, quarum una ſit ex ſe divina utpote a ſacro Scriptore exarata; & altera idcirco catholica quia nihil complectitur contra fidem, aut mores: *Quum*, inquit (*b*), *hic agatur de mendis, quæ nihil in Textum inferunt contra fidem bonoſque mores. . . ex variantibus lectionibus eam ſemper S. Hieronymum elegiſſe, quæ ab ipſo Propheta in Textu ſcripta fuerat, nec unquam aberraſſe, licet variæ illæ lectiones veræ eſſent omnes, & Catholicæ*: Eccleſiæ igitur potiori jure neceſſum eſt, ut habeat germanam, canonicam, divinamque Scripturæ lectionem, quam rectam & ſanam ejuſdem lectionis interpretationem; atqui interpretatio authentica, & infallibilis Scripturarum ſolummodo reſidet in Romano Pontifice, aut Epiſcopis in Concilio Œcumenico, & nullimode in privatis hominibus quantumvis dignitate & doctrina conſpicuis, ut adverſus Novatores noſtrates affatim invicteque depromunt (*c*); ergo a fortiori, ut vul-

(a) *Proleg. VI. §. 6. pag.* 273. *col.*1.
(b) *Lib. I. Exercit. VI. cap. XII. num. V. p.* 154. *col.* 1. *B.*
(c) *Proteſtantes convicti argumentis Catholicorum demonſtrantium regulam fidei, nimirum, Scripturam non eſſe confundendam cum judice controverſiarum fidei, hunc alium cavillum excogitarunt*: Singulos Chriſtianorum, ſi debite invocaverint Spiritum Sanctum poſſe ſine errore ex ſacra Scriptu-
ra

go dicitur, poteſtas ſeligendi & ſtabiliendi genuinam divinam & authenticam lectionem ſive in fontibus ſive in Vulgata, unice reſidet apud eandem S. Sedem aut Concilium Œcumenicum, privative nimirum quoad alios quantumvis Orientalium linguarum peritos, Biblicisque codicibus abundantes. Ea enim cenſetur genuina lectio quæ ex ſeſe divina eſt, Canonica, & authentica; itaque ſi a ſolo Pontifice aut Concilio Œcumenico declarari poteſt, incaſſum plane, & maxime poſt editionem Vulgatæ correctæ, Critici inſudarunt & inſudabunt, quum nonniſi actum egerint & agant.

474. Dixi *poſt editionem Vulgatæ correctæ*, quia licet antea cuique viro docto licebat & expediebat doctrinaliter & pro-

ra lecta, vel audita quorumcunque hominum etiam Conciliorum generalium doctrinam expendere & dijudicare vera, an falſa ſit propoſita: *ita Reformati apud Valemburgios Tom. I. controv. 1. ſect. 11. §. I. Lutherus in libello edito Wittemberg* 1523. *cujus titulus:* De jure & poteſtate Chriſtianæ communitatis *hæc effutit:* Chriſtus adimit Epiſcopis, Doctoribus, & Conciliis jus & poteſtatem judicandi doctrinam, eamque omnibus tribuit. *Calvinus IV. Inſtit. cap. IX. §. 12. 13. privatos etiam homines judices facit in fidei controverſiis: & lib. IV. §. 25. c. 17. auctoritate ex ſuo privato ſpiritu accepta extorſit verba Evangelii, occaſione ſacræ Cœnæ a Chriſto prolata. Centuriatores* Donum, *inquiunt lib. II. cap. IV. centur.* 1. interpretandi, & intelligendi Scripturas non alligatum ad certas perſonas hominum, ſed a Deo ad ædificationem Eccleſiæ libere donari ſacram Scripturam legentibus & meditantibus. *Ita quoque Melanchton, Brentius, Kemnitius, Hunnius, Junius, & univerſi Hæretici*, adverſus quos, *teſtatur noſter Auguſtinus Mattheucci controv. III. cap. III. num. 2. p.* 118. *col.* 1. ſunt univerſi Catholicæ Eccleſiæ Doctores, Becanus Tom. I. opuſc. X. Leytan ſynopſ. de Eccleſ. Milit. diſcept. I. ſect. 2. Lambrech Scot. Viennen. qu. 7. num. 17. Duhamel Tom. IV. Theol. Cleric. diſſert. 2. cap. 2. concl. 1. Scarſo Sacr. ſtrom. II. Porter ſecur. Evang. pag. 2. diſt. 4. art. 4. Guarnieri de Eccleſ. lib. 2. cap. 21. §. 2. Seſſa Scrutin. Doctrin. cap. 2. art. 9. num. 2. *quibus adjicies Thom. Stapletonum contr. V. de Poteſt. Eccleſ. quæſt. IV. art. 11. Bellarmin. lib. III. de Verbo Dei a cap. III. aduſque X. Domin. Gravin. lib. IV. Præſcrip. de Bibl. Interp. art. 1. p. 479. alioſque permultos eodem calamo arcentes a quolibet privato ſpiritu facultatem interpretandi Scripturas authentice, & infallibiliter, ſed ſolummodo doctrinaliter & probabiliter.*

Digitized by Google

probabiliter petere & expiſcari Vulgatam veterem, non quidem ex Fontibus hodiernis, ſed juxta dicta num. 432. primo & potiſſimum ex vetuſtioribus & correctioribus codicibus Latinis; quum vero Romana Sedes veterem Vulgatam taliter perpolitam edidit, ut ſit verum dicere: *In hac Editione nihil non canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt*, jam irrita, jam illicita evaſit quævis Criticorum hac de re perquiſitio, ſive ſcrutinium, etiam quoad effectum ſtabiliendi dumtaxat *doctrinaliter & probabiliter*, germanam genuinamque lectionem: quemadmodum licet prius quam S.Sedes definiret quinque propoſitiones Janſenii eſſe hæreticas, cuique licitum erat *doctrinaliter & probabiliter* rem diſcutere, & etiam ſentire oppoſitum; minime tamen quum eadem Apoſtolica Sedes auctoritate Dei & SS. Apoſtolorum ſuam tulit ſententiam. Verum enim vero ſi etiamnum liceret Theologis ſuis monumentis probare præfatas propoſitiones non eſſe Hæreticas, relinquendo nimirum momenta inſoluta, quid aliud hoc eſſet niſi ſubdolo prætextu procedendi *doctrinaliter & probabiliter*, non autem *auctoritative*, velle ipſam Petri Cathedram illudere, irridere, de errore redarguere, atque convincere? Nullimode eſt in poteſtate fidelium ad liberam criſim revocare quod ſemel Chriſti Vicarius ſufficienter propoſuit fidelibus credendum atque tenendum: quiſne pro temerario non haberet eum, cui curæ foret licet *doctrinaliter* & non *auctoritative* ad criſim revocare cauſſam alicujus Servi Dei, quem S. Sedes jam definivit in cælis cum Chriſto regnare, concludendo nimirum, haud eundem in oſculo Domini clauſiſſe lumina? Ita in caſu Clemens VIII. Paulus V. Urbanus VIII. ſatis ſuperque teſtati ſunt Vulgatam, quæ ſub eodem inclyto Clemente ter ex Typographia Vaticana vidit lucem, eam eſſe quam S. Hieronymus adornavit, ſequentes Patres Eccleſiæ uſurparunt, conſtanti multorum ſeculorum uſu Eccleſia Catholica conſecravit, & Concilium tandem ſuo cal-

Digitized by Google

culo probavit (*a*) ; quomodo ergo licebit Theologis hanc ipſammet Vulgatam emendicato velamine examinandi *doctrinaliter* & *probabiliter* certo criminari vitiis, immo concludere noviter recenſendam, & a vitiis quæ ſuperſunt iterum repurgandam ? Bene noſco id potiſſimum Criticos Catholicos vexare ; at ideo adjicere operæ pretium exiſtimavi, ut ab iiſdem viris Catholicis in media luce deprehendatur: ſyſtema Proteſtantium, quibus hoc in negotio Janſeniſtæ adhærent, nullimode concordare poſſe cum inconcuſſis Catholicorum principiis. Aurea hic refricentur Eliæ verba (*b*) *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum : ſi autem Baal, ſequimini illum.*

475. *Secundo* ad Scripturas recte interpretandas requiritur, ut interpres ſpeciali munere ſit divinis rebus addictus; cujus defectu ita S. Hieronymus, de quibuſdam licenter ſe ſe ingerentibus, alte querebatur (*c*) : *Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum lignorumve cæſores, lanarii quoque, & fullones, & cæteri, qui variam ſuppellectilem & vilia opuſcula fabricantur, abſque Doctore non poſſunt eſſe quod cupiunt. Quod medicorum eſt, promittunt medici : tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant . . . hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant . . . Taceo de mei ſimilibus, qui ſi forte ad Scripturas ſanctas, poſt ſæculares litteras, venerunt, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint ; quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint: ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia : quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus depravare ſententias, & ad voluntatem*

(a) *Recole quæ innuimus de Diplomate Clem. VIII. num.*411., *ſicut & diſcrimen quod intercedit inter viros Catholicos & Hæreticos apud noſtram Apologiam num. XXVI.*

(b) *III. Reg. cap. XVIII. v.* 21.

(c) *Epiſt.* CIII. *ad Paulinum cap. VI. Tom. III. p.*673. *D.*

tem ſuam, Scripturam trahere repugnantem. Quid ergo dicemus de noſtris Criticis qui vel medicinæ, vel foro, vel militiæ, vel aliis ſæcularibus diſciplinis, ſive negotiis dediti & implicati, propter umbratilem notitiam Orientalium linguarum, audacter ſeſe immiſerunt Scripturis interpretandis & vertendis, artem prætoriam exercentes, atque criminantes modo Septuaginta Seniores, modo D. Hieronymum, modo veteres Patres, modo ipſam Vulgatam a S. Sede recenſitam? Annon Lutherus maxime incubuit ſuis plantandis atque colendis erroribus? Calvinus nuſpiam Theologiam didicit? Robertus Stephanus peculiari profeſſione Bibliopola? Ugo Grotius cauſidicus, Sebaſtianus Munſterus Mathematicus, Andreas Maſius Juriſconſultus, Sixtinus Amama Grammaticus, Waltonus linguis Orientalibus potiſſimum addictus? Jure quippe merito iteratis laudibus proſequor religioſum inſtitutum hodierni fideliſſimi Regis Portugalliæ, qui ne ſacra forte miſcerentur profanis, ad ſolos Eccleſiaſticos viſus eſt relinquere ſtudium Hebraicæ, ut innuimus num. 456.

476. *Tertio* Joannes Chryſoſtomus ſuper iſta verba, *Erratis neſcientes Scripturas*; ab hiſce intelligendis & interpretandis arcet eos omnes qui vivunt ſecundum ſenſus carnales, ita pergens (*a*): *Qui enim legens de Deo vult invenire Deum, feſtinet vivere Deo digne, & ipſa converſatio ejus bona ſit, quaſi lampadis lumen ante oculos cordis ejus viam aperiens veritatis: qui autem non feſtinat vivere digne Deo, legens non Deum quærit ad ſalutem ſuam, ſed ſcientiam Dei ad gloriam vanam. Ideo & ſi ſemper legat nunquam invenit: ſicut nec Philoſophi invenerunt qui ipſam cauſſam quærebant. Putas Sacerdotes Sadducæorum non legebant Scripturas? ſed cognoſcere non poterant Deum in eis, quia nolebant vivere digne Deo. Nec enim poterant ſua verba docere, quos mala opera docebant. Talis eſt enim Scriptura nolenti*

(a) *In cap.* XXII. *Matth. Homil.* XLII. *Tom.* II. *col.* 948. *D.*

Digitized by Google

lenti vivere ſecundum Deum, quemadmodum ſi aliquis agricolæ non habenti voluntatem pugnandi exponat bellicam diſciplinam, e contrario autem viro bellatori nolenti colere terram agriculturam exponat . . Ubicunque fuerit deſiderium hominis, illuc dirigitur & ſenſus ipſius. Hactenus Chryſoſtomus: an autem Eraſmus, Lutherus, Calvinus aliique ſeductores ita Chriſto vixerint, ut inde inferre valeamus eoſdem fuiſſe aſſequutos intelligentiam, & germanam lectionem Scripturarum, tuum eſto judicium. Id unum ſcio, quod Lutherani cælibatum ſacerdotum, vota Religioſa, jejunia, abſtinentias, cæteraſque corporis afflictationes ad meras diabolicas ſuperſtitiones pertinere contendunt: ſcio etiam, quod geſta veterum Eccleſiæ PP., qui Chriſto vixerunt, & ſacris Scripturis interpretandis ſedulam navarunt operam, quam longiſſime diſtant ab operibus noſtrorum Criticorum: veteres enim de Scripturis diſſerentes imitati ſunt Chriſtum & Apoſtolos, non ſolum eliciendo ex Spiritus Sancti verbis litteralem genuinum ſenſum, ſed excitando quoque ad pietatem lectorum animos; Criticis autem arriſit flocci facere non tantum exemplum Patrum Eccleſiæ, ſed ipſius divini verticis & columnarum Chriſtianæ fidei; prementes clauſis oculis veſtigia Judæorum, Eraſmi & Lutheri, atque ita profanantes finem, ob quem Deus Scripturas nobis donavit, quum totum Scripturarum ſtudium ad nudam eruditionem, & quidem ſubtilem, ambiguam, incertam, & otioſam detorſerint. Neminem latet Judæos nullum ſenſum ſpiritualem agnoſcere, propter quod *in eos* teſtatur eximius Salmeron (*a*), *Paulus ſcripſit: Littera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Item, conſtat Eraſmum, Lutherum, alioſque Neotericos detraxiſſe veteribus propter ſenſum non tantum litteralem, ſed etiam ſpiritualem quem ex Scripturis hauſerunt, quaſi quod allegorica interpretatio fuiſſet a veteribus temere intruſa, & non potius ab Apoſtolis accepta,

(a) *Proleg.* VII. *ſub init. p. 69. col.* 1.

Digitized by Google

pta, ut eruitur ex num. 425. Hinc Eraſmus, *Veteres* evomebat (*a*), *Eccleſiæ Doctores in allegoriis explicandis partim variant, partim ſic agunt, ut mihi ludere nonnunquam videantur:* & Lutherus proprio ſuperbiæ typhone illuſus, ita magnum Eccleſiæ Theologum S. Dionyſium irridebat (*b*): *In Eccleſiaſtica hierarchia Dionyſius ludit in allegoriis . . . quod eſt otioſorum ſtudium:* hoc ipſum paſſim jactitant recentiores Critici, potiſſimum Somniator Simonius in ſua Hiſtorica critica veteris Teſtamenti. Quid? confidenter dicam: quia iſti profanatores divinarum Scripturarum ſpiritum ignoraverunt, nec ipſam litteram ſunt aſſequuti: *Spiritus enim*, eſt apertiſſima ſententia Apoſtoli (*c*), *omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt; ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis . . . Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe a nemine judicatur.* Annon Scriptura nobis a Deo donata eſt? annon omnia quæ in Scripturis continentur Dei ſunt? ergo ſi Apoſtoli teſtimonio animalis homo non percipit ea quæ a Deo donata ſunt nobis quæque ſunt Spiritus Dei, quomodo Critici ſolius humanæ intelligentiæ fundamento poterunt exacte penetrare & ſeligere genuinum Scripturarum ſenſum? Non itaque mirum ſi eadem Scriptura apud Commentarios SS. PP. tanquam ſacer caritatis rubus legentium animos illuminat, erudit, accendit, fovet, & recreat; in craſſiſſimis autem Neotericorum Bibliacis codicibus pene emarcida, languens, deficiens, ac frigidiſſima jacet: haud quo-

(a) *In Nov. Teſt. in Epiſt. ad Cæſarem Paraphraſibus ejus præfixa.*
(b) *Apud Salmeron. cit.*
(c) *I. Ad Corinth. cap.* II. *v.* 10. *& ſeqq.*

Digitized by Google

quoque mirum ſi commentaria veterum generent apud pios lectores ſanam Scripturarum intelligentiam, Chriſtianam earundem certitudinem, claritatem, venerationem, bonoſque mores; volumina autem Criticorum mentes legentium turbent, de quolibet Vulgatæ loco dubia, caligines, & confuſionem eiſdem ingerant, & viam tandem ſtruant ad dubitandum de præcipuis Chriſtianæ fidei myſteriis, quæ apud Vulgatam clara extant, & manifeſta.

477. *Quarto*, ut alia multo plura miſſa faciam. Conſtans ſententia eſt, neminem ſine peculiari Spiritus Sancti lumine idoneum eſſe ad interpretandas ſive litteraliter, ſive ſpiritualiter divinas litteras. Petrus Apoſtolus (a) *Hoc*, inquit, *primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Lucæ cap. ultimo fertur, ipſum divinum Servatorem aperuiſſe diſcipulis Scripturas, ut ſenſum intelligerent: *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant . . . Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas*. Inter omnes fere Patres qui ſuffragantur audiatur Hieronymus, quo nemo magis hoc in rerum themate expertus: *Lex enim*, ita diſcurrit (b), *ſpiritualis eſt, & revelatione opus eſt, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypſi ſeptem ſigillis ſignatus oſtenditur, quem ſi dederis homini ſcienti litteras ut legat, reſpondebit tibi, non poſſum: ſignatus eſt enim. Quanti hodie putant ſe noſſe litteras, tenent ſignatum librum, nec aperire poſſunt, niſi ille reſeraverit qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit*. Profert quoque exemplum David qui ita Deum deprecabatur: *Revela oculos meos; & conſiderabo mirabilia de lege tua*: exemplum Eunuchi qui licet ſtu-

(a) *Epiſt.* II. *cap.* I. *v.* 20.
(b) *Epiſt. nuper cit. ad Paulin. p.* 673. *A.*

Digitized by Google

ſtudioſiſſimus, & amator divinæ legis, ei tamen nonniſi Philippus, qui Spiritu Sancto repletus erat, oſtendit ei Jeſum, qui in littera clauſus latebat: alibi (*a*) agnoſcit Septuaginta interpretes Spiritu S. plenos; & tandem ita cordi fixam hanc veritatem tenebat, ut ad Deſiderium ſcribens: *Nunc*, inquit (*b*), *te precor Deſiderj cariſſime, ut me, quia tantum opus ſubire feciſti, & a Geneſi exordium capere, orationibus juves, quo poſſim eodem ſpiritu quo ſcripti ſunt libri, in Latinum eos transferre ſermonem*.

478. Ex quibus in meridie deprehendis quam longiſſime aberrarit Paulus Sarpius cum ſuo annotatore Le Courajer, aliiſque irreligioſis ſpiritibus, dum vel nuſpiam intellectis, vel malitioſe ſimulatis tot perſpicuis Hieronymianis ſententiis duntaxat mentionem faciunt iſtius: *Aliud eſt eſſe vatem, aliud eſt eſſe interpretem: ibi ſpiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia ea, quæ intelligit, transfert*, unde non tantum inferunt ad Scripturas interpretandas minime requiri peculiare divini Numinis flatum, ſed inſuper hujuſmodi falſiſſimo principio nixi pergunt: *intelligere Textum Latinum non eſt intelligere verbum Dei, quod eſt infallibile, ſed verba hominis erroribus obnoxii*, atque ita Tridentinos Patres non bene ſe geſſiſſe, quum Vulgatam antiqui Interpretis declararunt authenticam: vide, inquam, quantum iſti aberrarint, in quot errorum ſcopulos impegerint. Diſcrimen quod in hoc teſtimonio Hieronymus ſtatuit inter Prophetam & legitimum Interpretem, minime ſe tenet ex Spiritus Sancti aſſiſtentia, quam in utroque conſtantiſſime agnovit, ſed ex vario modo quo influit in Prophetam, & in legitimum Interpretem: In Propheta ſolus Spiritus Sanctus, & nullimode humana ſolertia futura referat, quum ſolius Dei ſit futura præfari juxta Iſaiam (*c*): *Annunciate*

(a) *Præfat.* II. *in Paralip.*
(b) *Epiſt.* CIV. *Tom.* III. *p.* 680. *A.*
(c) *Cap. XLI. v.* 23.

Digitized by Google

quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos; in Interpretem autem Spiritus ſimul, & humana Interpretis ſolertia, ſive eruditio & verborum copia confluunt; adeout quæ divino Numine afflante Interpres intelligit, pro ſua eruditione referat. Adde, Hieronymus præfata verba profert occaſione Septuaginta ſeniorum, quos licet ſecundum rigorem ſermonis minime Prophetas eſſe probavit ſed ſimplices Interpretes, quia tamen fuere Interpretes rectiſſimi ac digniſſimi, idcirco eoſdem habuit pro hominibus Spiritu Sancto plenis (*a*); immo & horum translationem Chriſtus, Apoſtoli, & omnes Eccleſiæ Patres tanquam Scripturam divinam, canonicam, & authenticam agnoverunt & conſecrarunt: Sarpius itaque & qui ei adblandiuntur neſciunt quod dicunt, & nos interim concludamus cum doctiſſimo Cano (*b*): *Magnus error eorum eſt, qui ſine Spiritus Sancti peculiari dono Scripturam ſacram exiſtimant ſe poſſe vel intelligere vel interpretari.* Cum Bellarmino (*c*): *Beatus Petrus probat, non debere exponi Scripturas ex proprio ingenio, ſed ſecundum dictamen Spiritus Sancti, quia non ſunt ſcriptæ humano ingenio, ſed ex inſpiratione Spiritus Sancti*: & per conſequens irridendam vanitatem Criticorum, qui vel ſine cæleſti lumine contendunt ſtabilire germanam lectionem, vel hujuſmodi cæleſte donum temere ſibi vindicant; quoniam ut laudatus Canus obſervat, præfatum donum *quanto magis ſacris litteris intelligendis, atque interpretandis opus eſt, tanto rarius difficiliuſque contingit*: & maxime quod nullum inter eoſdem Criticos invenio, qui peculiari Spiritus Sancti luce ſuffultos agnoverit Maſorethas, Aben-Eſram, Iſaacum Abravanel, Azariam, Eliam Levitam, Rab. Jonam, Rab. Hiug, Abrahamum Zacuth, Kimhi, Maimonidem, Saadiam Gaonum, aliosque circumciſos, quo-

(a) *Conſuleſis dicta cap.* III. *n.* 199. *& dicenda in Demonſtr. ſecunda.*
(b) *De locis Theol. lib.* II. *cap. XIV. p.* 640. *col.* 2.
(c) *De Verbo Dei lib.* III. *cap.* III. *col.* 137. *D.*

Digitized by Google

quorum peritiam & opera non infrequenter Recentiores laudant: & quamvis Nicolaus Gurtlerus ſtuduerit ambitioſis neniis fucare Reuchlinum, Eraſmum, Lutherum, Fagium, Melanchtonem, Pellicanum, Calvinum, Zuinglium, Bugenhagium, alioſque quos in exponendis litteraliter Scripturis *Heroas* vocat (a), minime tamen fuit auſus allegatum cæleſte lumen eiſdem, vel per micam tribuere. Item, ut alias oſtendimus, neque inter Judæos, neque inter Chriſtianos Criticos fuit cujus peritia & elucubrationibus iidem Recentiores contenti fuerint, ut potius de pleriſque hallucinationibus reprehenderint, quæ certe cum Divini numinis flatu minime congruunt. Itaque ex defectibus quoque ſe tenentibus ex parte ipſorum Criticorum irritus, vanuſque eſt uſus ſacræ Critices.

Tametſi aliæ viæ non deficiant, quinimmo ſint præſto, quibus uſus iſte abundantius confutari poſſit; ne tamen Lectorem longiori orationis prolixitate & tædio afficiam hiſce, ut ut ſint contentus ſum, exiſtimans fore, ut hactenus expoſita pro ſuſcepto ſat fuerint & copioſa.

§. VI.

Maximum expenditur graviſſimumque Hæreticorum momentum.

479. Quum ſcriptum Dei verbum ſit Chriſtianæ fidei regula, ac lapis angularis ſuper quem Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificavit, idcirco ad hujuſmodi unicè normam omnes controverſiæ fidei & morum reſecandæ venient; quumque permultæ variantes lectiones injuria temporum, & oſcitantia Scribarum irrepſerint, nemo ſanæ mentis non videt neceſſitatem, qua cogimur germanam lectionem ſeligere & ſtabilire: uno enim modo Spiritus Sanctus per os Prophetarum & Apoſtolorum loquutus eſt; una itaque ex tot variantibus lectionibus genuina erit, & canonica.

(a) *Præfat. ad Lector. tomo primo Sac. Critic. præfixa.*

Quam profecto neceſſitatem nec & ipſi Tridentini PP. auſi ſunt inficiari , quamquam inſcitiſſime & præpoſtere eidem providerint , declarando canonicam & authenticam Vulgatam antiqui Interpretis, abſque eoquod prius ad lancem fontium antiquarumque verſionum, & juxta regulas critices eandem recognoviſſent. Verum enim vero præter inſita momenta quæ evidenter ſuadent , Textum Latinum Vulgatæ veteris neque præferendum neque coæquandum originariis Textibus, plerique viri doctiſſimi potiſſimum Sixtinus Amama, & Petrus Suavis, ſive Paulus Sarpius cum ejus annotatore Franciſco Petro Courayer ad oculum commonſtrant apertiſſima præjudicia, & populares rationes, quibus Papiſtæ in conventu Tridentino abrepti , præceperunt germanam Scripturarum lectionem ſtabiliendam , non quidem mediante uſu regularum critices, ſed infirmiſſimo præſidio Vulgatæ veteris , quam in omnes ſingulaſque partes reſtituendam mandarunt : nulli itaque dubium eſſe debet, quod uſus regularum ſacræ critices ſit Eccleſiæ Chriſti ſumme neceſſarius & utilis, ad hoc ut valeamus, omnibus partium ſtudiis rejectis & eliminatis , ingenua fide diſcernere lectionem veram a falſa, germanam ab adſcititia, divinam ab humana.

480. *Reſp.* Hoc eſt unum ac præcipuum ex giganteis cavillis , qui nedum Lutheranos & Calviniſtas magis inflatos reddidit ; ſed bene multos doctos Catholicos mirifice fefellit , atque ſeduxit . Quamquam propter nonnulla menda levioris momenti , quæ in Vulgatam veterem irrepſerant, & graviſſimos tumultus quos occaſione iſtarum labecularum Novi ſeductores in populo Dei faciebant, ubique clamantes: Scriptura qua utuntur Papiſtæ innumeris vitiis ſcatet, nec doctiores inter ipſos id audent ire inficias, neceſſarium viſum fuit, atque expediens Tridentinis PP. ad ejuſdem Vulgatæ correctioni imponendam manum, adminiculo illarum unice regularum, quas ex Brugenſi excerpſimus num. 432. Perpolito autem per ipſam S. Sedem

eo-

Digitized by Google

eodem antiqui interpretis Latino Textu, & ſummis curis edito ſub vigilantiſſimo Papa Clemente VIII., non tantum omnis penitus neceſſitas, aut utilitas regularum critices deſivit, & evanuit; ſed quoque earundem uſus ſuperfluus eſſe cœpit, irritus, & illicitus (a); atque ita prima pars argumenti, quæ ſuadet neceſſitatem ſtabiliendi germanam Scripturarum lectionem, flocci penitus hodie facienda, immo ſpernenda, & devitanda.

481. Subditur in argumento, quod Patres Tridentini inſcitiſſime & præpoſtere allegatæ neceſſitati providerint; ſed huic craſſiſſimæ cæcitati qua Proteſtantes laborant, religioſum eſt, ignoſcamus eoſdem duntaxat interrogando: ecquodne rectius, exactius, tutiuſque medium ſeligere illi poterant ad ſtabiliendum in medio Eccleſiæ verum, germanumque Dei verbum ab omnibus mendis perpolitum? Liquatis monumentis jam oſtendiſſe putamus, uſum regularum critices fuiſſe, & eſſe medium ineptiſſimum ad ſtabiliendam germanam lectionem in fontibus hodiernis & in Vulgata, tum propter imperitiam illius Hebraicæ qua hodie laboramus, quæque huic negotio neceſſaria foret; tum propter defectum Biblicorum codicum; tum tandem propter alias conditiones, quæ ab hodiernis Criticis quam longiſſime abſunt. Haud itaque dicere ſat eſt, & apud imperitos venditare: nonniſi adjumento regularum critices valemus diſcernere lectionem veram a falſa, germanam ab adſcititia, divinam ab humana; ſed ante omnia opus eſt rite probetur, hujuſmodi uſum eſſe revera medium idoneum, quo certius, atque tutius germana lectio reſtitui & ſtabiliri poſſit, & poſtea ipſum critices uſum commendare. Quomodo fateri poterimus uſum ſacræ critices ita ſe habere, quum ex omnibus ſinguliſque partibus quibus conſtituitur ſedulo inſpectus, nonniſi vanitatem ſpiret, incertitudinem creet, unice ad diſperſionem & confuſionem Scripturarum collimet ac ten-

(a) *Recole dicta cap. Prod. num.* LIII. *num.* 474. *&* *inferius dicenda*.

Digitized by Google

ac tendat ? Patres itaque Tridentini quam rectiſſime conſuluere præfatæ neceſſitati, non quidem præſidio hujuſmodi uſus, bene vero face & adjumento illius Vulgatæ quam a ſuis incunabulis Romana Eccleſia conſecravit, & plus mille ante Tridentinum annis S. Hieronymus a mendis contractis perpolivit, priſtinoque nitori reſtituit; adeout dicere auſim, etſi cætera monumenta deficerent, quibus nobis conſtat PP. Tridentinos fuiſſe in Spiritu Sancto congregatos, ſolum decretum de Authentia Vulgatæ veteris, manifeſtat divinum Numen fulgentiſſimis radiis adſtitiſſe eiſdem, ſicut ſol in meridie adeſt nobis. Mirum ſane, quod Patres illi tempore quo totus mundus poſt uſum regularum critices clauſis oculis abibat, inſtar filiorum Noe in arca, nec & fimbriam ſui veſtimenti in univerſali diluvio madefactam ſenſerint; ita inquam Scripturarum certitudini, firmitati, & authentiæ jure optimo proſpexere, ut neque per micam univerſales hallucinationes, quæ ſapientium hujus ſeculi mentes occupabant, contraxerint.

482. Haudquaquam eos digniſſimos ſapientiſſimoſque viros latuere iſta: *primo*, omnes Scripturarum codices ſive fontium ſive verſionum, partim Judæorum & Hæreticorum malitia, partim injuria temporum & Scribarum oſcitantia, ante Hieronymianam ætatem permultas corruptelas contraxiſſe; itaut integrum Dei verbum in nullo penitus ſingulari codice continebatur, ſed vix in ipſa omnium codicum univerſitate (*a*). *Secundo*, linguarum peritiam potiſſimum Hebraicæ a multis antea ſeculis fuiſſe deperditam, & eam quæ Concilii tempore in ſcholis tradebatur vix repræſentare aliqualem umbram illius linguæ Hebraicæ, quæ aduſque Hieronymum, & paulo poſt, apud eruditos tantum Hebræorum viguit, *Tertio*, Hieronymum fuiſſe virum ſanctiſſimum, doctiſſimum, codicibus Bibliacis ditiſſimum, & ad divinas Scripturas interpretandas & reparandas divinitus

(a) *Id expoſuimus cap.* I. *n.* 120. *& ſeqq.*

nitus excitatum, ob idque illis omnibus diſciplinis, quæ ad hujuſmodi munus exactiſſime obeundum deſiderari poterant, mirabiliter ornatum. *Quarto*, eundem Hieronymum totum incubuiſſe, non quidem correctioni fontium aut aliarum verſionum, ſed ſolummodo emendationi illius Latinæ editionis, cui eo tempore primæ referebantur. *Quinto*, latinam verſionem a Hieronymo concinnatam ex tunc agnitam fuiſſe pro genuina & exacta, itaut ipſimet Hebræi illius temporis faſſi ſint veracitatem, majores noſtri prætulerint Vulgatæ Italæ, & Eccleſia perenniter conſecrarit. *Sexto*, Hieronymo, qui ex Hebræis, Græcis, & Latinis codicibus ſuam verſionem adornavit, adfuiſſe codices longe melioris notæ, ac ii quorum uſum habebant Recentiores critici. Quod ſi poſtea luce clarius iſthæc Concilio innotuere, cujus prudentiæ fuiſſet adpendere recenſionem Textus Latini ad lancem, non Vulgatæ Veteris ſive Hieronymianæ, ſed illorum codicum fontium & verſionum, qui nec a Hieronymo vel ab aliis veteribus emendati, longe plus depravati tam longo ſeculorum fluxu, & nuſpiam ab Eccleſia Occidentali, ubi illuceſcit D. Petri Cathedra, ad uſum aſſumpti? item nec homines erant qui tanta ſimul ſanctitate, doctrina, linguarum peritia, & copia meliorum codicum fuiſſent præditi, quibus Hieronymus in domo Dei adfulſit? quinimmo idcirco Novatores acriter pro fontibus hodiernis propugnabant, ut longiorem latioremque viam ſibi ſtruerent ad eludenda ea Vulgatæ teſtimonia, quibus ipſorum hæreſis mirifice jugulatur? Quis enim adeo cæcutiens qui non agnoſcat, quod ſi Concilium alio modo providiſſet recenſioni Scripturarum, ſemper medium ineptum ſelegiſſet, reliquiſſet certum pro incerto, clarum pro obſcuro, viæ regiæ prætuliſſet ſemitam ambiguam, fallacem, ſpinis, vepribus, foveiſque refertam? Concilium itaque quam rectiſſime inter omnes Scripturæ Textus & Contextus ſolam Vulgatam veterem declaravit authenticam, decernens inſuper, ut in negotio correctionis ejuſdem inquire-

re-

Digitized by Google

retur, & emendatiſſime imprimeretur non quidem alia Latina editio, ſed ipſa Vulgata vetus, prætermiſſis omnibus interpretationibus quæ ſtudio Novatorum, & collatione hodiernorum fontium irrepſerant: quandoquidem nuper expoſitæ rationes, quæ ſuadent integritatem & auctoritatem Vulgatæ veteris, nullimode confluunt in gratiam fontium vel alterius verſionis; ſicque hujuſmodi profecto momenta fuerunt tanquam vox Dei de cælo teſtificantis, ſe eſſe auctorem, cuſtodem, & defenſorem Vulgatæ, qui contra omnem mundi potentiam, eandem mirabiliter conſervavit ad firmamentum, & ſoliditatem ejus ſacroſanctæ Eccleſiæ.

483. Jam vero accedam ad alteram expoſiti argumenti partem, nimirum, præter inſita momenta quæ evidenter &c. Ne doloſæ Hæreticorum methodo, qua multa ſimul ſine debitis probationibus reponere aſſolent, ipſi nos offendamus, ideo quæ concernunt momenta de Textu Latino præferendo vel poſtponendo hodiernis fontibus capite ſequenti ad trutinam revocabimus: interim diſcutiemus duntaxat, quod circa præſens argumentum commentati ſunt Sixtinus Amama, & Paulus Sarpius. Sixtino itaque imaginari arriſit, idcirco Concilium Tridentinum flocci feciſſe inſpectionem fontium, & iviſſe ad Vulgatam veterem, quia *pleriſque*, inquit (a) *Eccleſiæ Romanæ erroribus haud leviter patrocinari longo annorum uſu didicerat. Irrepſerat in codices ejus vox (Ipſa) Gen. III. 15., inde idolatricas B. Virginis laudes ſtabilitum ivere. Ex locis Gen. VI. v. 5. Lucæ II. v. 14. prave converſis viribus liberi arbitrii quæſitum fuit velamentum: Geneſ. XIV. 19. Miſſam: Geneſ. XXIII. 3. Purgatorium. XXXVII. 25. Limbum ad Heb. XIII. v. 16. Meritum congrui & condigni. Hebr. XIII. v. 16. adorationem Sanctorum. Hebr. XI. 21. Imaginum. Pſal. XCIX. 5. Rerum ſacrarum: Joan. XIV. 6. infallibilitatem Conciliorum. Eccleſ. IX. 1. incertitudinem gratiæ; alioſque inſuper errores loca*

(a) *Lib. 1. Anti-Barbari Biblici cap. VII. p. 49.*

loca ejus aliquot vel manifeſte vel in ſpeciem ſtatuminabant, quibus ex Textu originali aliiſque verſionibus nihil ſperabant patrocinii. Hactenus Amama (*a*), cujus phantaſmata alicujus penſi viderentur eſſe, ſi PP. Tridentini iviſſent ad aliquam editionem ab ipſiſmet, aut a recentioribus Romanis Pontificibus, aut ſcholaſticis Theologis conſarcinatam; verum, ut cuique innoteſcit, Concilium eam unice Vulgatam declaravit authenticam, quam aliquis vel aliqui, ſi non Chriſti, ſaltem Apoſtolorum diſcipuli in Spiritu Sancto digeſſerunt, Hieronymus a mendis quæ irrepſerant perpolivit, omneſque Eccleſiæ Occidentalis Patres uſu ſuo conſecrarunt. Itaque ſi ad voluntatem Sixtini erravit Concilium eundo ad Vulgatam veterem, erraſſe quoque, opus eſt dicat, primum vel primos hujus Vulgatæ Sanctiſſimos editores, Hieronymum quoque, & quotquot ex veteribus Latinis ea uſi ſunt; dicat inſuper, Vulgatam veterem ab initio patrocinium tuliſſe erroribus Romanæ Eccleſiæ; immo una cum lacte ſanctarum Scripturarum eidem Eccleſiæ, Matri Chriſtianorum & Magiſtræ, miniſtraſſe venenum & ſcorpiones. Has profecto abſurdiſſimas conſecutiones haudquaquam Sixtinus vel per ſomnium vidit, & conſequenter haud mirandum ſi illorum penitus præjudiciorum criminatus eſt Concilium Tridentinum, propter quæ ipſe, ipſiuſque gentiles merito reprehenduntur atque damnantur. Cæterum nullus ſæpius error incomitatus ambulat: quum enim Vulgata vetus Proteſtantium errores apertiſſime commonſtret, ut ex præfato ejuſdem Amamæ teſtimonio ipſe eruis, idcirco odio habent Latinam ve-

(a) *Cujus verba exſcribere duxi, ut pro meridiana luce intelligatur, tum Hæreticos non alio ſcopo tueri oppoſitum ſyſtema, niſi ſtudio quærendi patrocinium ſuis erroribus, quorum tenebras, bene noſcunt, ſubſiſtere non poſſe coram clariſſimo lumine Vulgatæ veteris; tum etiam quantum Romanæ Eccleſiæ detrahant illi Catholici, qui ſyſtemati Hæreticorum ſe ſe ſubſcribunt, & non levi incitamento ſunt, ut iſti animoſiores reddantur, magiſque in ſuis erroribus obfirmentur.*

Digitized by Google

veterem, & novas Latinas interpretationes obtrudere moliuntur. Ea ſemper tamen interpretatio, ipſis quoque Gentilibus Philoſophis ſuffragantibus, verior cenſenda eſt, quæ ante ſubortam litem ſuam duxit originem: talis eſt ſola Vulgata vetus reſpectu omnium interpretationum Latinarum quas hactenus Recentiores obtruſerunt, aut proferent; ſicque non veritatis vel Religionis ſuffragandæ, ſed ſuis præjudiciis protegendis temere criminantur tam Vulgatam, quam PP. Tridentinos.

484. Circa ea quæ Paulus Sarpius (*a*) iniqua perſcrutatione perhibet adverſus Vulgatam & PP. Tridentinos, in anteceſſum notes velim ſequentem obſervationem Cl. Sfortiæ Pallavicini in præfatum Sarpium, vel alio nomine Petrum Suavem. *Va poi egli*, inquit (*b*), *diviſando i pareri di varj Teologi a ſuo piacere ſenza portarne verun riſcontro: ed io poſſo affermare, che di gran parte neſſuna ombra ne ho ritrovata in tanta copia di ſcritture da me vedute. Ma così vuol farſi ne' Romanzi: poca Iſtoria, e molta Favola. Qualche fede meriterebbe il Soave intorno a ciò, che ne diſſero i Luterani Tedeſchi; eſſendo veriſimile, che ciaſcuno ſappia le coſe della ſua propria fazione: ma ſi è ſcoperto da me altre volte, che egli dona liberalmente alla gloria dell' ingegno altrui ciò che nacque nella ſua teſta*. Sarpius enim eoloci quinque præ aliis inducit ad loquendum, Aloyſium Cataneum Dominicanum, *ſecundo* majorem partem Theologorum, quos minime nomine appellat, *tertio* alios Theologos qui præcedentibus, ut inquit, ſuum cum plauſu accommodarunt conſenſum, *quarto* Iſidorum Clarum Benedictinum, *quinto* tandem Andream Vegam Franciſcanum. Quod vero omnem callidam cogitandi rationem ſuperat illud eſt, quod hiſce inſignibus Concilii membris tali artificio utatur, ut ubi iſti ſuadeant Textum Latinum minime poſſe authen-

(a) *In Hiſtor. Concil. Trident. lib.* II. *pag.* 159. *& ſeqq.*
(b) *Lib.* VI. *Hiſt. Concil. Trid. cap.* XVII. *p.* 647.

thenticum declarari, talia momenta eos protuliſſe narret in aula Congregationis Conciliaris habitæ die 15. Martii 1546., ut ipſimet profecto Lutherani & Calviniſtæ haudquaquam doctiores Patronos invenire & ſeligere potuiſſent: quum vero iidem ſuadeant Vulgatam veterem declarandam fore authenticam, eas rationes proferant, ut oſtium cuique viro docto rem ſedulo penſanti aperiant detrahendi, tum authentiæ Vulgatæ, tum S. Œcumenicæ Synodi.

485. Paucis ſelectis exemplis oſtendam adſertam primam partem, ſubjectis quoque notulis quæ Sarpiano artificio medelam facient. Primo itaque adſumit Aloyſium Cataneum, ita in Conciliari Congregatione ediſſerentem (*a*): Cajetanus, cujus doctrinæ nemo Theologorum ejuſdem Concilii æquiparandus, experimento comperuit, idoneum medium ad convincendos, & revocandos ad Romanam Eccleſiam Hæreticos eſſe, expendere ſenſum litteralem Textus ſacræ Scripturæ, ut eſt in originariis linguis; qui quoque fari ſolebat, intelligere Textum Latinum non erat intelligere verbum Dei infallibile, ſed verbum Interpretis erroribus obnoxii: ſolummodo prophetare, juxta Hieronymum eſt Spiritus Sancti opus, non autem interpretari (*b*): Utinam & prioribus ſeculis id in more fuiſſet poſitum, pendere nimirum ab originariis Textibus, quoniam Hæreſes Lutheranæ haudquaquam inveniſſent locum (*c*): Canon *ut Veterum*

(a) *Sarp. loc. cit. p. 159.*

(b) *Conſule num. 476. &* 478.

(c) *Vide quo lethiſero lenocinio ſtuduerit Sarpius ſuadere Hæreticorum ſyſtema. Si enim, ut pluries expoſuimus, Lutherani idcirco ad ſontes provocant, ut ex ambiguis & plerumque corruptis, aut adſcititiis lectionibus patrocinium & velamentum ſuis erroribus captent, qua lege uſus originariorum Textuum poterit Lutheranos reducere ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ? Si enim Eccleſia ſemper ſtetit pro Vulgata Latina, & iſta mediante multas Hæreſes jugulavit, & Novatores e contra propugnant pro uſu fontium, jam in hypotheſi quod Eccleſia poſtponeret Vulgatam fontibus, potius Eccleſia tranſiret ad Lutheranos alioſque Novatores, quam iſti redirent ad Eccleſiam.*

Digitized by Google

præcipit: *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita novorum Græci ſermonis normam deſiderat* (*a*): adprobare aliquam interpretationem tanquam authenticam eſt ipſum S. Hieronymum condemnare (*b*), ſicut eos omnes, qui eidem provinciæ dederunt operam; ſi una eſt authentica quorſumne aliæ inſervient? Magna foret vanitas edere exemplaria incerta quum exemplar authenticum præſto foret (*c*): tenendum itaque cum D.Hieronymo & Cajetano, quemque Interpretem tametſi omnem adhibuerit diligentiam ne ab originali diſcederet, potuiſſe tamen in errores impingere (*d*). Sarpius pariter, eodem ſcopo reſtaurandi momenta Hæreticorum, aſſumit Iſidorum Clarum texentem rerum hiſtoriam, & larva Cla-

rii

(a) *Huic monumento, de quo paſſim Hæretici gloriantur, fiet ſatis cap. ſequenti num.* 541. *&* *ſeqq.*

(b) *Præfatum abſurdum vexat ipſos Novatores, qui moliuntur obtrudere novum Textum Latinum, inſimulantes quoque D.Hieronymum inſcitiæ, & inconſtantiæ; non autem Romanam Eccleſiam, quæ ejuſdem D. Hieronymi editionem longo ſeculorum uſu conſecravit, adprobavit, & perpolivit; quinimmo eundem Hieronymum nuſpiam tot laudibus & encomiis proſecuta eſt, ac occaſione recenſionis verſionis ejuſdem, ut ex verbis diplomatis Sixti V. & præfationis Vulgatæ Clementis VIII. claret.*

(c) *Aut ſermo erit de operibus Hæreticorum, aut* Catholicorum. *Quod omnia Hæreticorum opera ad Religionem pertinentia (uti ſunt SS.Scripturarum interpretationes, commentaria, ſcholia, &c.) habenda ſint pro damnatis, eruitur ex regulis Librorum prohibitorum, quibus quivis liber de Religione tractans, cujus Auctor ſit Hæreticus, proſcribitur. De operibus autem Catholicorum, aliter loquendum de iis quæ exhibent varias Latinas interpretationes, erutas ex Textibus & Contextibus Bibliorum ad effectum dilucidandi Vulgatam veterem; & aliter de eiſdem ad effectum ejuſdem Vulgatæ corrigendæ, & emendandæ. Per adprobationem Vulgatæ veteris & emendatiſſimam editionem ejuſdem ſub Clemente, poſteriora tantummodo & non priora Catholicorum opera haberi debent pro rejectis & inutilibus; ſicut & magna erit hodie vanitas & temeritudo elaborare, & edere conſimilia opera, utpote quæ detrahunt tum Vulgatæ correctæ, tum judiciis Apoſtolicæ Sedis, uti explicavimus num.* 474.

(d) *Hoc tamen, eodem Hieronymo teſte, minime verificatum de Septuaginta interpretibus, uti probavimus num.* 199., *neque de ipſo Hieronymo, ut in ſecunda Demonſtratione affatim.*

Digitized by Google

rii indutus ita pergit loc. cit. pag. 161. Editio Latina quam hodie habemus, maxima ex parte eſt D. Hieronymi, & ineptum eſt tribuere divinam aſſiſtentiam ei, qui proprio ore a ſe removit: unde nuſpiam verſio aliqua Textibus originariis coæquanda eſt (*a*): eodem tandem pravo artificio aſſumit Andream Vegam confirmantem nuper expoſita rejectaque dicteria; & conſequenter Sarpius eo dolo uſus eſt Theologis Tridentinis, ut quum iſti conſulerent nullam verſionem etiam Vulgatam declarandam fore authenticam, mirum in modum pro Hæreticis cantare ſecerit.

486. Oſtenditur modo, pari dolo tales rationes adfixiſſe eiſdem Theologis conſulentibus Vulgatam declarandam authenticam, ut quiſque eruditus & vir æquus eas intelligens & probe penſitans, incitetur ad detrahendum authentiæ Vulgatæ, & Tridentinæ Synodi, utpote quæ popularibus rationibus excitata Vulgatam adprobarit. Itaque ad relationem Sarpii loc. cit. p. 160., Theologi Tridentini idcirco monuerunt Vulgatam neceſſario habendam eſſe in omnibus ſuis partibus pro divina & authentica, ad hoc ut Lutherani non gloriarentur de optata victoria, neque oſtium aperiretur aliis hæreſibus, quæ in futurum Chriſti Eccleſiam perpetuo turbarent; tum etiam quia Romani Pontifices & Scholaſtici ſuper hanc Vulgatam fundarant Romanam Eccleſiam; quod ſi Linguarum peritis liberum relinqueretur provocare ad fontes, iſti ſane confunderent omnia, ſeſe conſtituerent fidei prætores, & loco Theologorum & Canoniſtarum hujuſmodi pædagogi, opus eſſet, ut ſubſtituerentur in Epiſcopatus & infulas Cardinalitias; quod ſi divina

(a) *Circa Hiſtoriam, ut apud Sarpium jacet, non eſt opus immoremur, quum tot ſit mendaciis & cavillis referta, ut abſque prolixitate minime queant refelli, & maxime quod ex dictis & dicendis veritas eluceſcet. Quod Hieronymus eliminarit a ſemetipſo aſſiſtentiam Spiritus S., pix iſta recoquetur Demonſtratione ſecunda: item quod verſio Vulgata præferenda ſit hodiernis fontibus, videbimus capite ſequenti.*

vina Providentia proſpexit Judæis, & Græcis eis largiendo Scripturam authenticam, multo magis Eccleſiæ Romanæ quam longe majori dilectione proſequitur, atque ita hanc quoque credendum eſt, accepiſſe Scripturam a Spiritu S. dictatam: & in hypotheſi quod nonnulli renuant concedere Latino Interpreti Spiritus S. aſſiſtentiam, minime denegare poterunt Concilio approbanti Vulgatam editionem, addita etiam anathematis pœna in eos qui pro tali eam non agnoſcerent. Quibus poſitis diligenter velim adtendas. Si Concilium hiſce rationibus excitatus & ductus, Vulgatam declaraſſet authenticam, quis adeo imperitus qui apertis oculis non videret, Concilium hoc in graviſſimo negotio minus recte ſe geſſiſſe, & conſequenter neque Vulgatam eſſe revera authenticam, neque Synodum ſub Spiritus Sancti aſſiſtentia declaraſſe Vulgatæ auctoritatem? Reipſa hiſce Sarpianis cavillationibus deceptus & inebriatus Courayer inferre habuit (*a*): *Ces ſortes de raiſons populaires, qui reellement n' ont aucune ſoliditè, ſont pourtant ordinairement celles qui ont le plus d' influence dans les dècisions. La crainte de voir des Grammairiens s' èriger en Juges des vèritès de la Religion n' empèche pas qu' un Original ne ſoit preferable a des Traductions; mais c' eſt pourtant ce qui a principalement dèterminè les Pères du Concile à juger en faveur d' une Traduction, de peur de laiſſer prendre aux Grammairiens une autoritè que les Evèques, qui ne ſont pas toù jours les plus babiles, craignojent de trouver très prèjudiciable à la leur.* Et iterum (*b*). *C' eſt ainſi que les ſyſtèmes s' etabliſſent non ſur des preuves & des faits, mais ſur des convenances?*

487. *Adde* ſi juxta principia Catanei, Clarii, & Vegæ ad fidem Sarpii referentis p. 160. & 162., aliqua Latina verſio non alio modo declarari poterat authentica, niſi fuiſſet examinata, & ca-

(a) *Annot.* 21. *in hunc loc. Sarpii Tom.* I. *p.* 277. *edit. Abaslenſ.* 1738.
(b) *Nota* 22. *p.* 278.

caſtigata ad normam originariorum (*a*) plane, quum cuique eruditorum perſpectum ſit, Vulgatam veterem, nullo penitus adhibito hujuſmodi ſcrutinio, fuiſſe a Concilio declaratam authenticam, jam meridiana luce clarius eruetur, neque Vulgatam eſſe authenticam, neque potuiſſe authenticam declarari. Quod quoque argumentum paſſim cum citato Le Courajer (*b*) hodierni Critici proferunt, dicentes: non eſt in poteſtate Concilii verſionem aliquam Scripturæ declarare authenticam, niſi prius ſufficienter conſtet eandem fideliſſime Autographis reſpondere; alioquin poteſtatem condendi Scripturas divinas ſibi arrogaret, quod nemo hactenus eorundem Catholicorum auſus eſt affirmare: ſiſtendo itaque Sarpianæ relationi, Concilium nonniſi temere approbavit Vulgatam. Nec officit quod verſutus abutatur perſona Andreæ Vegæ quatenus hic dixerit (*c*), Eccleſiam habere pro authentica Latinam editionem in locis tantum pertinentibus ad fidem & mores; etenim ſi juxta Theologos ab eodem doloſo homine adpellatos, intelligere Vulgatam veterem non eſt intelligere verba Dei ſed hominis, jam Vulgata nec etiam quoad fidem & mores erit authentica & divina. Item, ſi Concilium in rebus tantum fidei & morum Vulgatam agnoviſſet pro authentica penitus actum egiſſet, quoniam tam Proteſtantes, quam Catholici, tam ante quam poſt

(a) *Cataneus*, Certa coſa eſſere, che ſe il S. Concilio eſsaminaſſe, et emendaſſe al teſto vero una interpretazione, lo Spirito Santo, che aſſiſte alli Sinodi nelle coſe della Fede gli ſopraſtarebbe che non faceſſe errore: et una tal tradottione coſsì eſſaminata, et approvara ſi potrebbe dire autentica. Ma ſe ſenza tal eſſamine ſi poſſi approvarne una, et prometterſi, che lo Spirito Santo aſſiſta, non ardiva dirlo. *Clarus*, Pertanto eſſere di parere, che l'Edizione volgata foſſe antepoſta a tutte, et approvata, corretta però al teſto originale. *Andreas Vega*, Approvò il parere di S. Gierolamo, che le qualità dell' interprete non ſono Spirito Profetico, o altro divino ſpeziale, che gli dia infallibilità, e la ſentenza del medeſimo Santo et di S. Agoſtino, d'emendar le tradottioni co' teſti della lingua originale.

(b) *Annot.* 19. *p.* 276.

(c) *Apud Sarpium p.* 162.

poſt Concilium uno ore concedebant, eam in rebus fidei & morum nullum penitus complecti vel leviſſimum mendum, & quam fideliſſime reſpondere originariis.

488. *Replicabis* cum Sarpio proferente in ſcenam Cardinalem Cervinum alioſque Theologos Tridentinos: Concilium ſuo decreto providere voluit, ut nemo in futurum novas Latinas verſiones ederet, ut nonniſi verba Vulgatæ aſſumantur in publicis lectionibus, diſputationibus &c., ut nullo prætextu quis audeat illam rejicere; at quotieſcunque Concilium idcirco Vulgatam veterem non adprobavit quoad omnia, in quantum neque præferenda eſt, neque coæquanda originariis, in quantum in multis ab eiſdem originariis diſcordat, toties immerito, vel ut Hæretici effutiunt, tyrannice Concilium vetuiſſet Eruditis lucubrationem novarum Latinarum verſionum, tyrannice eoſdem coegiſſet ad adoptanda verba Vulgatæ in publicis lectionibus, diſputationibus, tyrannice anathemate percelleret eos qui illam rejicerent: quivis enim doctus ita poſſet Criticorum cauſſam agere; ſi Concilium minime Vulgatam prætulit aut coæquavit originariis, ſi ea tantum approbavit in rebus fidei & morum & non quoad cætera, ſi idcirco non adprobavit quoad cætera quia in multis Vulgata diſcordat ab originariis, quomodo poſtea poterat removere a viris doctis facultatem concinnandi novas Latinas verſiones, quæ fidelius reſponderent originariis? quomodo eoſdem arctare ad adhibenda tantum Vulgatæ verba in publicis lectionibus &c., non obſtante quod eiſdem præſto forent lectiones Latinæ longe correctiores, & originariis magis reſpondentes? Et ſi alia tandem momenta deeſſent ad evincendum ſerpentem Sarpium, ea lege uſum fuiſſe Theologis Tridentinis circa adprobationem Vulgatæ, ut iſtorum momenta cuique inſervirent ad criminandum tam Vulgatam quam ipſum Concilium, adhuc ſat foret id quod Courajer nullimode animadvertens Sarpianas calliditates, incautus credidit, cæcus adoptavit, & hiſce fallacibus decipulis ni-

nixus majores excogitavit falſitates, impleto in ambobus eo Chriſti oraculo (a): *Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?*

489. Quæ tamen & conſimilia diſteria Neotericorum facili negotio extirpaveris, ſi diligenter obſerves *primo*, quod Vulgata vetus non ſemper retinuit & conſervavit eam puritatem, ſecundum quam ab ortu Romanæ Eccleſiæ in lucem prodiit; ſed interdum fuit vitiis obnoxia, uti eruitur ex §. I. Cap. IV., & ex dicendis num. 539.: hinc fit quod aliter loquendum eſt de Vulgata vetere in ſeipſa, ſive in priſtina puritate inſpecta, & aliter de eadem uti depravata mendis. Porro Concilium minime agnovit pro Authentica Vulgatam veterem interdum commaculatam, bene vero in ſeipſa inſpectam, uti innuimus §. VII. & VIII. noſtræ Apologiæ, & diſertius infra; & per conſequens ſi Vulgata vetus in ſeipſa conſiderata nullum penitus mendum complectitur quod ſit correctione dignum, nullum quoque momentum ſuppetit, quo teneamur confugere ad frigidiſſimam illam ſtropham, quod Concilium Vulgatam adprobarit quoad loca quæ pertinent ad fidem & mores, & non quoad omnia: eo vel maxime, quod hujuſmodi diſtinctio de Scripturis attinentibus & non attinentibus ad fidem & mores, neſcio quo rato fundamento excogitata fuerit a Recentioribus, quum nihil penitus in ſanctis Scripturis quid vel minimum reperiatur, quod ſaltem indirecte non pertineat ad fidem & mores, quemadmodum ſuadebimus num. 520. Obſerves *ſecundo*, quod ea momenta primo & potiſſimum excitarunt Tridentinos PP. ad declarandam Authentiam Vulgatæ veteris, quæ retulimus ſupra 482., non autem quæ narrantur a Sarpio, quæque retulimus num. 486., & 487. Illa equidem tanquam intrinſeca, & firma principia probant Vulgatam veterem in ſeipſa inſpectam, & ab initio fuiſſe verſionem ex ſe

(a) *Lucæ* VI. v. 37.

Digitized by Google

ſe Authenticam Archetyporum Hebræi V. T., Græcive N.; atque ita jure meritoque a PP.Tridentinis pro canonico Scripturæ Textu agnitam: quæ vero referuntur a Sarpio, ſi revera confluxerant, non quidem ceu rationes excitantes & moventes, ſed tanquam acceſſoriæ & conſequentes; ideoque omni ſemota caligine claret, interpretationes a Recentioribus adhibitas, quibus conati ſunt concordare ſyſtema Neotericorum cum decreto Concilii, eſſe mera febricitantium ſomnia. Verum enim vero ſi Concilium adprobavit Vulgatam veterem in ſeipſa inſpectam, ſive ut ab omnibus mendis correctione dignis immunem, jam eandem adprobavit quoad omnia & ſingula verba, ſicque importuna & ridicula evadit evulgata cantilena, de Scripturis pertinentibus & non pertinentibus ad fidem & mores: ſi adprobavit Vulgatam veterem in ſeipſa, ſpectatis momentis expoſitis num. cit. 482. eruitur, eam ex ſe ſe eſſe Authenticam verſionem originalium Prophetarum & Apoſtolorum, necnon germanum Textum Scripturæ cæleſti diſpoſitione Latinæ Eccleſiæ collatum, plane omnes calumniæ, quibus Amama, Sarpius, Courayer, aliique Nebulones conati ſunt afficere Sanctam Synodum corruunt, & per conſequens jure optimo adprobata fuit Vulgata vetus, abſque eo quod fuerit recognita juxta regulas critices ab Hæreticis accumulatas.

§. VII.

Aliis Criticorum Spiculis ſit ſatis.

490. Et primum momento illo expoſito Cap. Prodr. n. XXX. Qui audet uſum ſacræ critices inficiari, ſive pro vano habere certe ingratus eſt, temerarius, & invidus; ingratus quidem, quia non agnoſcit tot egregios fructus per eruditiſſimos ſacros Criticos divinis Scripturis partos; temerarius quoque, quia eam adcuratiſſimam agendi methodum da-

damnat, quam olim maxima cum laude exercuere Origenes circa emendationem verſionis Septuaginta, Hieronymus circa correctionem veteris Italæ, & Romani Correctores in emendatione Vulgatæ veteris; invidus tandem tum veterum tum Recentiorum eruditorum, quia deſpectui habet præfatam ſacram criticen, propter imperitiam Orientalium linguarum qua forte laborabit, atque ad eam exercendam impeditur. Quid quod ſacram criticen damnare perinde eſt ac opponere lapides, ne Eccleſia Chriſti puriores ac exactiores Scripturas habeat?

Reſpond. ad ſingula. Circa fructus per ſacros Criticos divinis Scripturis partos, diſtinguendi ſunt cum eodem Servatore noſtro Jeſu (*a*) fructus boni a fructibus malis: fructus boni, quantum hic noſtra refert, fuerunt & ſunt illæ utilitates, quas pluries deſcripſimus (*b*), propter quas in æternum benedicta erit memoria eorum de Romana Eccleſia, qui Orientalibus linguis, & inſpectioni Textuum & Contextuum ſedulam navarunt operam, ut eaſdem utilitates colerent & amplificarent (*c*): fructus malos e contra tam Sanctis Scripturis, quam Eccleſiæ Chriſti pepererunt qui ſubdolo prætextu perpoliendi Scriptum Dei verbum a ſordibus, eo fine incubuerunt linguis & codicibus Orientalibus, ad hoc ut Textum Latinum antiqui Interpretis abriperent de medio Eccleſiæ, & loco ipſius obtruderent interpretationes ſuas, vel Rabbinorum & Hæreticorum; *ſecundo* ut Eccleſia Romana privaretur Vulgata veteri cujus teſtimoniis ipſa ſolidatur, ſuoſque hoſtes invicte confodit, & in futurum expugnabit; *tertio* ut aſpernabilis & odioſa redderetur auctoritas veterum SS. Patrum, qui ſummis curis ſtuduerunt non tantum ſenſui litterali, ſed etiam ſenſui Chriſtiano & ſpirituali, prementes veſtigia

Qq 2 Chri-

(a) *Matth.* VIII. *v.* 17.
(b) *Potiſſimum cap.* 1. *n.* 133. 404. *& alibi.*
(c) *Videſis n.* 426.

Digitized by Google

Chriſti & Apoſtolorum; *quarto* (omiſſis aliis noxiis fructibus quos malæ arbores parturiere, & ex toto, ut ut ſit, noſtro opere poteris exſpiſcari) ut adimerent a Romano Paſtore privilegium illud Scripturarum ſeligendarum & interpretandarum, quod in ipſo ſolo aut in Concilio auctoritative reſidet : iis itaque, qui hac lege ſtuduerunt regulis critices, potius quadrat quod fuerint ingrati in Deum & in Dei Eccleſiam, non autem qui hujuſmodi uſum critices rationabiliter inficiatur, & pro vano habet.

491. Circa objectam temeritatem, ſane temerarius foret, qui eam methodum damnaret quam tenuerunt Origenes, Hieronymus, & Romani Correctores, quoniam nonniſi inconſiderate, aut prave taxaret digniſſimos labores eorum, qui communi bono Eccleſiæ, pro ſua religione, proſpexere. Dubium itaque reſtringitur, utrum temerarius exiſtat qui damnet ſyſtema eorum, qui adhuc hodie contendunt ſtabilire germanam lectionem in fontibus & in Vulgata correcta? Et ſane temeritas juxta Ciceronem eſt error turpis, nunquam cum ſapientia commiſcetur, & ſine judicio ſive prudenti conſideratione molitur aliquid; porro niſi hallucinatio me capiat, arbitror, ſatis oſtendiſſe quam futiliter, & congeſte exerceatur hodie præfatus uſus: itaque ii potius temeritate laborant qui nec pro tantillo examinatis rationibus, quæ ſive probent ſive improbent præfatum uſum, illius exercitio inconſulto ſe ſe donant.

492. *Inſtabis* Uſus critices pro ſtabilienda germana lectione in nihilo differt a methodo, quam ad eundem effectum ſervarunt Origenes, Hieronymus, & Romani Correctores: ut enim iſti reſtaurarunt Scripturas præſidio linguarum Orientalium quarum peritiam habebant, & multorum codicum Textuum Contextuumque, quos contulerunt ad invicem, ita Recentiores eadem & forte exactiori peritia neque ſolius Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, ſed etiam Samaritanæ, Chaldaicæ, Siriacæ &c., inſuper eiſdem & forte multo pluribus exactioribus codicibus eandem provinciam

Digitized by Google

ciam exercent; eadem igitur temeritudine laborat, qui damnaret conatus Origenis, Hieronymi, & Correctorum, ac qui in criticen Recentiorum invehitur.

Reſpond. Longiſſimum ſane latiſſimumque diſcrimen intereſſe illos inter & iſtos: Origenes, Hieronymus, & Romani Patres dederunt operam Scripturis reparandis & perpoliendis, quia revera correctione indigebant, & nullum Eccleſia adhibuerat remedium; ſed quod in Vulgata correcta, præciſis mendis typographicis, ſit aliquod mendum correctione dignum DIFFICILE PROBATU EST, & S. Sedes illis labeculis, quibus antea ſcatebat, ſatis ſuperque proſpexit, & providit. Item, Origenes, Hieronymus, & Romani Correctores minime ſtuduerunt in Eccleſiam obtrudere novas Scripturas, ſed veteres ſacroque uſu probatas a vitiis quæ irrepſerant, caſtigare: hinc Origenes laudatus a Fraſſeno (*a*): *Excuſſi*, inquiebat, *omnes omnium editiones, & varietates, ut collata varietate translationum melius intelligerem LXX. interpretationem, & illius ſenſus ſacros eruerem. Non enim fuit conſilium cudere quidquam quod diſcreparet a Scriptura in Eccleſia catholica recepta, neque volui dare anſam iis, qui quærunt occaſiones ut res receptiſſimas cavillentur, & communem ſententiam Eccleſiæ damnent.* Hieronymus (*b*): *Ubicumque ſenſus idem eſt, veterum Interpretum conſuetudinem mutare noluimus; ne nimis novitate Lectoris ſtudium terreamus.* Et infra (*c*): *Noluimus igitur immutare quod ab antiquis legebatur, quia idem ſenſus erat.* Hanc eandem methodum Correctores tenuerunt, ut cuique conſtat ex dictis num. 434. & alibi. Hodierni autem Critici nauci faciunt Textum Latinum tot ſeculis in Eccleſia probatum, & unuſquiſque pro ſuo cerebro definire contendit aliter, vel aliter legendum. Item, Hie-

rony-

(a) *Lib.* II. *Diſquiſit. cap.* IV. *p.* 273.
(b) *Epiſtol. CXXXV. ad Sun. & Fretel. tom.* III. 747. *H.*
(c) *Loc. cit. p.* 749. *H.*

ronymus & Romani Correctores ſpeciali S. Sedis mandato præfatæ provinciæ incubuerunt; Critici nec vocati nec quæſiti audacter ſe ſe ingerunt. Item, Origenes & Hieronymus illius plane Hebraicæ & Græcæ peritiſſimi fuere, quæ valde conducebant ad eas, quibus Libri Veteris & Novi Teſtam. a ſanctis hominibus conſcripti fuere; noſtri Critici qualem Hebraicam ſciant, abunde deprompſimus. Item, ex alias obſervatis Origenes & Hieronymus ad manus habuerunt codices longe melioris notæ, atque illi qui præſto ſunt Recentioribus: & maxime quod non alia Hebraica exemplaria eiſdem hodie ſuppetunt, quam Maſorethica ex libatis num. 470.. Item, illi omnia expendebant non tantum ſecundum nudam litteram & ſenſum carnalem, ſed adtendebant quoque ad ſenſum Chriſtianum & Spiritualem (*a*). Et tandem Hieronymus rebus divinis peculiariter addictus, omnibus huic muneri digne obeundo diſciplinis apprime ornatus, item divino peculiari flamine ad miraculum ſuffultus; & Recentiores prætores noſtri? qui legit ferat judicium.

493. *Replicabis* inſignes illæ dotes quas Criticis hodiernis denegas, a Romanis quoque Correctoribus abfuerunt; etenim illius adamuſſim Hebraicæ peritiam & ejuſdem notæ codices habuerunt illi, ac iſti; Correctores quoque dicendum foret fruſtra laboraſſe, atque ita neque recenſioni eorundem fidendum.

Reſpond. Utique momentum iſtud alicujus eſſet ponderis ſi ſcopus Romanorum Patrum fuiſſet inſtituere recenſionem Vulgatæ ad normam originariorum, in quo quippe caſu indiſpenſabiliter & ipſi habuiſſent opus peritia Hebraicæ veræ & non barbaræ, ſive hodiernæ Arabico-Hebraicæ, ſicut etiam copia codicum longe melioris notæ; at ex ſuperius expenſis cuique perſpectum eſt, non aliud a S. Sede impoſitum fuiſſe ipſis, niſi primum & potiſſimum ex co-

(a) *Legeſis num.* 356. & 476.

Digitized by Google

codicibus vetuſtioribus & correctioribus Latinis reſtituere, ubi opus erat, germanam lectionem, non quidem reſpondentem hodiernis originariis, ſed editioni antiqui Interpretis, quæ communi veterum calculo fideliſſime congruit cum Autographis; at nauſeat hic repetere quo longe aliter tendant hodiernorum Criticorum molimina. Circa poſtremas argumenti partes quæ ſpectant invidiam, & ponere lapides &c. ſatis ex dictis.

494. *Objicies II.* Rationes quæ probant vanitatem ſacræ critices quoad effectum ſtabiliendi germanam lectionem, probant quoque ejuſdem vanitatem quoad effectum Scripturarum perfectius intelligendarum: poſito enim quod hodierna lingua Hebraica vix repræſentet umbram illius qua ſacri Libri conſcripti fuere, & quod hodierni codices minime valeant nobis adjumento eſſe quoad primum, ipſiſſima quoque impedimento erunt, ut nullimode poſſimus Vulgatam penſiculatius intelligere.

Reſpond. Ideo rationes quæ probant vanitatem critices quoad primum effectum non evincunt quoad ſecundum, ex eo quia longe plus requiritur ad ſtabiliendam germanam Scripturarum lectionem, quam ad aſſequendam rectam earundem intelligentiam. Quum Spiritus S. uno modo per ſanctos homines loquutus fuerit, idcirco una eſt lectio germana, divina, & canonica; quum autem taliter loquutus, ut quælibet Scripturarum vocula complectatur Sacramentorum theſauros, hac ratione plures intelligentias Scriptura continet. Hinc quamvis imperitia veteris Hebraicæ, turbidus fluxus Textuum & Contextuum ſint nimio impedimento, ut tuto probemus Autographos ita vel aliter legiſſe, ac eruatur ex Textu Latino antiqui interpretis; minime tamen obſtant quo minus ex Hebraica, quæ hodie in ſcholis traditur, & ex hodiernis Textibus & Contextibus eruamus plures intelligentiæ ſenſus, ipſamque Vulgatam medullitus aſſequamur. Inſigne hujus rei exemplum tenes initio hujus Capitis: quamvis hodierna Hebraica,

ho-

hodiernique codices non inſerviant ad evincendum Vulgatam ſapere mendum Geneſ. I. ver. 1. *In principio creavit Deus*, impenſe tamen juvant ad hoc, ut vox *Deus* eo loci non temere aſſumatur ad ſignificandum vel Dei fortitudinem ſive potentiam, vel futurum ejuſdem judicium, vel Myſterium Trinitatis, vel quid ſimile quod eodem præſidio linguarum & codicum Orientalium erueretur, & minime opponeretur ſenſui S. Matris Eccleſiæ. *Adde* ubi Eccleſia reliquit facultatem, ut ex hodiernis codicibus eliciatur quivis ſenſus, modo bonus ſit & ſuis dogmatibus non difformis; a quolibet tamen abſtulit facultatem rejiciendi, aut pro tantillo immutandi Textum Latinum correctum, tametſi hujuſmodi immutatio nihil penitus eiſdem refragaretur: re itaque in ſe inſpecta, præſidia quæ requiruntur ad ſtabiliendam lectionem Scripturæ, longe certiora ac tutiora eſſe debent iis, quæ flagitantur ad ejuſdem intelligentiam, & interpretationem.

495. *Objicies III.* Auguſtinus diſerte tradit uſum regularum critices, quemque ſuo exemplo probat: *Linguarum*, inquit, lib. II. de Doctr. Chriſt. cap. XI., *ſcientiam neceſſariam eſſe ad Scripturæ cognitionem*, *& contra errores magnum remedium*: & reapſe lib. III. cap. III. præſidio linguæ Græcæ quam callebat, & inſpectione Græci codicis abſtulit ambiguitatem quam ſpirabat Textus Latinus quoad hanc vocem *os* poſitam pſalm. 138. v. 15. *Non eſt occultatum os meum*, inquiens: *In latina illud* os *ambiguum eſſe*, ſed ex Græco ambiguitatem tolli ubi legitur non ςόμα *ſtoma* ſed ὀςέον *oſteon*. Hactenus ex Waltono (*a*).

Reſpond. Tempore quo Auguſtinus præfata ſcripſit, tot fere circumferebantur Latinæ interpretationes quot erant codices: *Magnum*, inquit (*b*), *remedium eſt linguarum cognitio. Et Latinæ quidem linguæ homines quos nunc* in-

(a) *Proleg.* XVI. §. 8. *p.* 421. *col.* 1.
(b) *Loc. cit. Tom.* III. *col.* 24. G.

Digitized by Google

inſtruendos ſuſcepimus , duabus aliis Scripturarum divinarum cognitionem opus habent Hebræa ſcilicet & Græca , ut ad exemplaria præcedentia recurratur , ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas . Hinc Hieronymus reapſe præſidio Hebraicæ & Græcæ reſtituit priſtino nitori Latinam veterem ; ſed quam inepte , & perfunctorie ex hujuſmodi Auguſtini, Hieronymi, vel aliorum PP. doctrina , & exemplo Recentiores commendent uſum critices, ſatis alibi innuimus potiſſimum num. 283. 284. & 356. ubi oſtendimus, ſyſtema noſtrorum Criticorum quam longiſſime diſtare a ſcopo veterum ; & capite ſequenti a num. 542. enucleabimus , quod ideo Auguſtini ſeculo expediens erat, & neceſſarium uti regulis Chriſtianæ critices , quoad effectum etiam emendandi Latinum Textum , ex eo quia tunc temporis Latini codices nimis variabant , lingua Hebraica & Græca longe perfectiori modo concordabant cum iis quibus fontes fuerunt primitus conſcripti , & horum codices longe minus depravati ; quod totum e contrario hodie cernitur . Item , nuſpiam apud opera Aquilini S. Doctoris doctrinam invenies, aut exemplum , ex quibus eruatur Controverſias fidei & morum reſecandas ad normam fontium , uti ſentiunt hodierni Hæretici ; quum eorum omnium de quibus ille ediſſerit , ſive probationis , ſive reprobationis cauſſa , ſemper verba Textus Latini , quem Eccleſia conſecrabat , aſſumit : & ſi interdum , quamquam rariſſime , provocat ad fontes & verſionem Viralem ; non quidem ſtudio vel pro minimo detrahendi authentiæ Latini Textus , ſed ejuſdem aut comprobandi , aut clarificandi . Qua lege monuit conſulendos eſſe fontes ſuper illas voces *Amen* , *Alleluja* , & illud pſalm. *Os* , ut nimirum clarius & ſine errore intelligerentur. Cujus textum brevitati ſtudens non exſcribo , quemadmodum de aliis ſpiculis huc pariter tendentibus capite ſequenti opportunius ediſſeremus .

§. VIII.

Poſtremum Objectum hodiernorum Hæreticorum:

496. Id unum omnibus ratione bene utentibus compertum eſſe debeat, quod ſi detur locus aliquis Scripturæ quem circa omnes Bibliaci Contextus, omneſque veteres Eccleſiæ Scriptores harmonice concinant, & congruant cum hodiernis fontibus, & ſola Vulgata diſcrepet, pro indubio habendum, præfato in loco Vulgatam & non fontem hodiernum corruptelam ſpirare: atque ita uſum regularum critices, cujus unico præſidio hæc deprehendimus & ſcimus, ſumme neceſſarium eſſe & utiliſſimum Eccleſiæ Chriſti, non tantum quoad effectum intelligendi, ſed etiam ſtabiliendi germanam lectionem in fontibus & in Vulgata. Atqui in Vulgata etiam Correcta pleraque ſunt loca hujuſmodi: quod ut ad oculum commonſtretur unum proferatur exemplum: Geneſeos III. v. 15. ubi Vulgata, qua hodie Papiſtæ publice utuntur, habet: *ipſa conteret caput tuum*, omnes Bibliaci Contextus ſimul cum Hebræo, omnes fere veteres Scriptores ſimul cum Hieronymo, omnes ferme Recentiores ſive Judæi ſive Chriſtiani, cum pluribus ipſorummet Romanenſium emunctæ naris, legunt *ipſe conteret caput tuum*. Singula, ne videamur fucum facere, membratim ſubjiciemus.

497. Et in primis nemini ſuppetit dubitandi locus, quod Textus Hebræus habeat *ipſe*; etenim, ut cuique Hebraicæ perito adſulget, præfert genus maſculinum tam in pronomine quam in verbo, adeout neceſſario referendum ſit ad ſemen *Zera*, quod Hebræis maſculini generis eſt; ideoque omni procul errandi periculo legitur *ipſe*, non autem *ipſa*. Neque credas Bellarmino teſtanti, ſe vidiſſe unum Hebræum exemplar in quo legebatur *ipſa*; vel quod per enallagen ponatur maſculinum cum fœminino, & fœmininum conſtruatur cum verbo maſculino; quoniam hu-

hujuſmodi Bellarminianas nenias, ſtatim ac trivio ſonarunt, ſolidiſſime & jucundiſſime irriſit ex noſtratibus egregius Chriſtophorus Helvicus (*a*). Neque pariter audientia digneris Biblicum Diſquiſitorem Claudium Fraſſenum, temere denegantem ſinceritatem Hebræi quoad datum locum; quandoquidem ſi tibi otium erit diſpicere cujus criterii iſte fuerit, adeas alterum Papiſtam Natalem ab Alexandro, qui inter cætera præfatam temeritatem in apricum ponit (*b*);

(a) Nullum unquam exemplar Hebræum deprehenſum eſt, quod aliter habuerit. Nugatur enim Bellarminus ajens ſe vidiſſe unum, quod ambigue habuerit *Vau* cum *Hiric*, contra fidem & conſenſum omnium, quæ hactenus viſa ſunt, ipſe proculdubio vel alius falſarius ſic corruperat ....Quam operoſus eſt Diabolus, ut a perſpicua littera & clariſſimo verbo nos abſtrahat, & neſcio quas præſtigias conjecturarum animis inſinuet! Obſecro, Jeſuita, quæ tandem cauſſa eſt, ut maſc. mutem in fœm. per enallagen, & rurſum per novam enallagen transformem verbum maſc. in fœm.? & rurſum per aliam novam enallagen tertia vice mutem pronomen maſc. in fœm.?...Habes maſculinum *ipſe*, habes maſculinum verbum, habes maſculinum affixum. Pudeat vos tandem impudentes logodædali. *Ita Helvicus Lutheranus in libello, cui titulus Protevangelion Paradiſiacum. Apud Critic. Sac. Tom.* VI. *par.* 1. *col.* 77.

(b) Ne tamen Fraſſenum dimittamus, vel ex parte inauditum, ratiocinium hominis egregie ſubtilis audiatur. Fatetur *Hebræum Textum, quem jam habemus, maſculinum genus præferre tum in pronomine tum in verbo* .... Sed *hunc Textum ſincerum eſſe* negat, *& ita olim habuiſſe*. Unde vero id habes vir bone? Quandonam depravatus eſt? An poſt *Sanctum Hieronymum*? Sed ita S. Hieronymus vertit. An ante? Sed ita LXX. Interpretes tranſtulerunt. Qui fieri potuiſſet, ut error Codices tam Hebræos, quam Græcos, imo & Latinos invaderet, quibus Africana Eccleſia tempore S. Cypriani, Romana ætate S. Leonis utebatur? Rationem *a Fraſſeno* ſi quæramus, unde colligat ſic olim Hebræos Codices & Græcos habuiſſe *Hi*, nimirum, & *αὐτὴ* non *Hu* & *αὐτὸς*, vel *αὐτὴ* *ipſa*, non *ipſum*. *Do*, inquit, *Vulgatum Interpretem ſententiæ meæ fundum, quem quum nemo dicere audeat Hebraicæ linguæ adeo rudem fuiſſe ut genus maſculinum a fœminino ſecernere non potuerit, dubitari nequit quin præfatum Textum in fœminino legerit*. O egregium Diſquiſitoris Biblici ratiocinium! Quæritur an Vulgati Interpretis verſio cum Hebræo Textu conveniat Geneſ. 3. v. 15. Affirmat *Fraſſenus*; doctiores negant. Rationem ſententiæ ſuæ rogatus reſpondet, ſe ejus *fundum dare Vulgatum Interpretem*. Quid hoc aliud eſt, quam reſpondere manifeſta petitione principii, quæ novitio Theologo non parceretur; olim ita fuit in Hebræo, quia ſic habet Vulgatus Interpres &c. *Hucuſque Natalis ab Alexand. ſec. IV. Hiſt. Eccleſ. Diſſert. XL. art. IV. pag.* 262.

Digitized by Google

non eſt igitur qui ſtudens agere partes æqui eruditique Judicis, audeat vel dubitare de ſinceritate Hebræi habentis *ipſe*. Quod vero ſpectat Bibliacos Contextus, vide quomodo confluant ad confirmandum Hebræum: Verſio Septuaginta legit *ipſe ſervabit caput tuum*. Itala, *ipſe ſervabit caput tuum*. Pentateuchus Samaritanus *ipſum conteret tibi caput*. Verſio Syriaca, *ipſum conculcabit caput tuum*. Thargum Onkeloſi, Jonathanis, & Thargum Hieroſolymit., *ipſe recordabitur tui*.

498. Gemina habent Veteres Patres; & in primis laudandus Hieronymus, ut qui inter eos exactior atque linguarum magis peritus, quique non tantum legit *ipſe*, ſed conceptis quoque verbis teſtatur, ita in Hebræo ſuo tempore haberi. In Quæſtion. Hebraic. ſuper Geneſ. hæc ſcribit: *ipſe ſervabit caput tuum; & tu ſervabis ejus calcaneum*. Tum addit: *Melius habet in Hebræo: ipſe* conteret caput tuum: & tu conteres ejus calcaneum: *Quia & noſtri greſſus præpediuntur a colubro: & Dominus conteret Satanam ſub pedibus noſtris valde velociter*. Irenæus lib. IV. adverſ. Hæreſ. cap. LXXVIII. *Quemadmodum*, inquit, *ſacra Scriptura ait dixiſſe ſerpenti Dominum*: Et inimicitiam ponam inter te & mulierem; & inter ſemen tuum, & inter ſemen mulieris. Ipſe tuum calcabit caput, & tu obſervabis calcaneum ejus. *Et inimicitiam hanc Dominus in ſemetipſum recapitulavit de muliere factus homo & calcans ejus caput, quemadmodum in eo qui ante hunc eſt Libro oſtendimus*. Cyprianus lib. II. Teſtimon. adverſus Judæos, cap. IX.: *Hoc ſemen ait, prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput Diaboli in Geneſi. Tunc dixit Deus ad ſerpentem: quia tu hoc feciſti, maledictus tu ab omni genere beſtiarum terræ . . . . & ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter ſemen ejus*: ipſe tuum obſervabit caput, & tu obſervabis calcaneum ejus. Joannes Chryſoſtomus Homil. XVII. in Geneſ. ita legit: *ipſe obſervabit caput tuum, & tu obſervabis ejus calcaneum*

Digitized by Google

neum. Leo Magnus ſerm. II. De Nativit. Domini. *Deus omnipotens & Clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, ſtatim, ut nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificavit invidiæ, præparata renovandis mortalibus ſua pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignavit: denuncians ſerpenti futurum ſemen mulieris, quod noxii ſerpentis elationem ſua virtute contereret; Chriſtum ſcilicet in carne venturum Deum Hominemque ſignificans*. Petrus Chryſologus Serm. CLXXIII. *Serpentis germen caput hominis petit, cui ſuum caput ſententia principali ſciebat addictum, dicente Deo: ipſe ſervabit caput tuum; & tu illius obſervabis calcaneum*.

499. Eodem tandem deſcendunt Recentiores: ex Judæis R. Salom. R. Aben Eſra, R. Kimhiu, R. Bachai, Keli, Jacak, Rambum, cæterique bene multi: ex Romanenſibus Pagninus, Melchior Canus qui Tridentino interfuit, Franciſcus Ribera, Hector Pintus, Auguſtinus Eugubinus, Emanuel Sa, Thomas Malvenda, Joannes Mariana, Eſtius, Simonius cum aliis longe plurimis: ex noſtratibus vero Reformatæ Religionis omnes. Quibus illuſtribus textibus & teſtimoniis accedit perſpicua Helvici ratio, qua citato loco ita Bellarminum & Monachos perſtringit: *Annon enormis eſt impudentia palliare impiam depravationem, qua opus Chriſto proprium Mariæ tribuitur? Num enim Maria potuit Diaboli caput conterere, per mortem abolere eum qui mortis dominium habet, & infernum deſtruere? Quid ergo Joannes* Filium Dei ideo in mundum veniſſe *ait*, ut opera Diaboli deſtruat? *Itane Maria nunc homines liberabit a peccato & morte æterna? Ita Diabolo opponetur non Chriſtus, ſed Maria in opere redemptionis? Blaſphemum. Nec hilum valet exceptio: Mariam hæc præſtitiſſe dici, quia filium genuerit, qui illa præſtiterit. Toto ſiquidem cælo diſtant hæc a ſe invicem,* Maria conterit caput ſerpentis, & Maria peperit eum qui conterit caput ſerpentis. *Parere mulieris eſt; conterere regnum Diaboli, ſolius divinæ Potentiæ, ad quam per unionis*

gra-

gratiam humana Chriſti natura aſcendit. Deinde, idem axioma hac ratione non minus Evæ, Saræ, cæteriſve aviis Chriſti competeret quam Mariæ, quum tamen ſoli Mariæ Monachi hoc dictum accommodent; ſicut in Antiphona blaſpheme canunt . . . ſumunt ergo hinc argumentum adorationis Mariæ. Cur ergo non etiam Evæ, Saræ, Rebeccæ &c. quum quidem longe rectius Evæ poſſit adaptari quam Mariæ. Etenim pronomen demonſtrativum præfixum ipſa *digitum intendit ad Evam, quæ a ſerpente ſeducta fuerat.* Hucuſque Helvicus. Et citatus Natalis in Fraſſenum. *Digna ratio Fraſſeni cerebro . . . Pœnas minus idoneas Diabolum dediſſe fingit, ſi vir æque ac mulier victoriam de Diabolo reportarint. Quo vero tendit hoc ratiocinium? Ad blaſphemiam horribilem: ut mulier ſola, non vir; Maria ſola, non Chriſtus, caput ſerpentis contriviſſe, fortis armati ſpolia diripuiſſe dicatur. Sententiam illam in Serpentem, & in Diabolum qui eo inſtrumento uſus erat, latam,* Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius: ipſum conteret caput tuum: *ad Chriſtum Salvatorem referri Patres inde colligunt.* Hæc P. Natalis. Quibus omnibus ſedulo perſpectis, & penſitatis apparet, quam rationabiliter ſcripſerit Calvinus (*a*): *Locus hic, nimis luculento documento eſt quanta fuerit in Papatu Doctorum omnium inſcitia, & ſocordia, & incuria. Obrepit fœmininum genus loco maſculini vel neutrius . . . Communi igitur errore vitioſiſſima lectio recepta fuit. Deinde inventa fuit ſacrilega expoſitio dum Sanctæ Matri Chriſti adaptarunt, quod de ſemine dictum erat.* Furslerus (*b*). *Nihil, potuiſſe verti gloriæ Chriſti, & merito paſſionis ejus magis contumelioſum, nihil idololatricum magis & blaſphemum:* & aliis prætermiſſis, Sixtinus Amama (*c*): *Hanc lectionem (ipſa) idololatricas B. Virginis laudes, & has ſubſecutam ejuſ-*

(a) *In Antidoto Concil. Trident. apud Fraſſenum lib. II. Diſq. cap. VI. pag.* 340.
(b) *In Lexic. apud eund. Fraſſen.*
(c) *Lib. II. Antibar. Biblici penes Fraſſenum cit.*

Digitized by Google

ejuſdem invocationem in Chriſtianiſmum invexiſſe Theologi noſtri prodiderunt: ut ergo a doctiſſimis recentioribus Criticis non aliter detectum eſt præfatum Vulgatæ vitium, ſicut & pleraque alia, niſi adjumento regularum critices, ita iſtarum uſus Eccleſiæ Chriſti impenſe neceſſarius eſt, atque utilis.

Reſpondetur ad expoſitum Argumentum.

500. Denegando, ut dicunt dialectici, ſuppoſitum primæ propoſitionis: ſupponitur enim quod peritia Hebraicæ, & codices Orientales, quæ Recentioribus ſuppetunt, valeant nobis præſidio eſſe ad ſeligendam & ſtabiliendam germanam lectionem, quod quam a veritate ſit alienum abunde prodidiſſe putamus. Hoc enim fuit & eſt graviſſimum noſtrorum Criticorum præjudicium, ſeipſos nimirum fieri imitatores Origenis & Hieronymi, quaſi eædem dotes, & eadem penitus adjumenta quæ hiſce adfuerunt, & ipſis quoque præſto ſint, immo & meliori modo, uti nugantur & ad ridendum nos excitant Joannes Clericus, Joannes Buddeus, Antonius Lambridius, aliique Sycophantæ. Quæſtio nobis non eſt de ſtabilienda lectione aliqua, quæ juxta hodiernam Grammaticam exactius reſpondeat hodiernis originariis; bene vero de lectione quæ congruat cum Autographis Prophetarum & Apoſtolorum, per quos Spiritus Sanctus loquutus eſt: ad quam ſane divinam lectionem dignoſcendam, excepta ſola veteri Vulgata, quæ quaſi per manus ad nos pervenit, atque ad rem certius tutiuſque conducit, omnia alia quibus Critici confidunt, uti abunde oſtendimus, ſunt ambigua, obſcura, incerta ac inextricabilibus dubiis referta: itaque falſo ſuppoſito laborant, qui ſtudio commendandarum regularum critices viam ordiuntur a majori propoſitione præſentis objecti, aut earundem regularum præſidio progrediuntur ad excogitanda vitia in Textu Latino etiam correcto. Sed quoniam ſi qui Vul-

Vulgatæ locus eſt, in quem ſtudioſius & acrius Hæretici invecti fuerint, maxime eſt allegatum oraculum Geneſeos, *ipſa conteret caput tuum*; quumque hujuſcemodi oraculi firmitas & ſtabilimentum ſpeciali modo referatur ad SS. Deiparam, quæ a primo ſuæ Conceptionis inſtanti caput infernalis ſerpentis calcavit, confregit, & contrivit, quæque *ſola*, ut canit Eccleſia, *cunctas Hæreſes* interimit *in univerſo Mundo*, & ii tandem qui eam elucidant vitam æternam habebunt (*a*); hæc fateor mihi cauſſæ ſunt, ut minime hactenus depromptis ſim contentus, ſed inſuper qua ingenua fide retuli ſummam omnium, quæ ab Hæreticis & Catholicis, licet abſimili conſilio, hoc ſuper Vulgatæ loco accumulata ſunt, eadem diligentia expendam, ſicque clarius adfulgeat quam præpoſtere, quam perfunctorie hoc in rerum themate Recentiores elaborarint.

501. Et in primis præter tot momenta quibus Capite primo hujus Demonſtrat. & alibi oſtenſum eſt, hodiernum Hebræum iis omnibus in locis habendum pro corrupto in quibus a Vulgata correcta diſcrepat, modo peculiari ratione evincendum ſuſcipio, eundem Textum ab ortu ſuo aduſque Hieronymi tempora conſtanter legiſſe *ipſa*; atque ita ſi hodierna exemplaria Hebræa legunt *ipſe* vel *ipſum*, indubium erit fuiſſe corrupta. Verum enim vero S. Hieronymus, cui unice hoc in negotio eſt neceſſario fidendum (*b*), in Libro de Quæſtionibus, ſive Traditionibus Hebraicis hæc habet: *ipſa ſervabit caput tuum; & tu ſerva-*

(a) *Eccleſiaſtici XXIV. v. 31.*

(b) *Sola Hieronymi auctoritas poteſt hodie ab hujuſmodi labyrintho nos extricare, quandoquidem omnes codices Hebraici manuſcripti & culi, quos hodie habemus, ex ſuperius obſervatis potiſſimum num. 470. ſunt Maſorethici, & conſcripti poſt ſeculum decimum æræ Chriſtianæ. Et quamvis Origenes in Exaplis deſcripſerit Textum Hebræum, tamen juxta allegata num. 440. jamdudum ea perierunt. Ulterius inter omnes alios veteres Chriſtianos Hebraicæ peritos, ſolus Hieronymus hodie invenitur, qui rem iſtam indigitarit; non aliud itaque nobis oneri eſſe debet, quam eundem Hieronymum diligenter auſcultare, & ex eodem ſermonem ordiri.*

Digitized by Google

vabis ejus calcaneum. *Melius* (Liber hic Bereſith , ſive Geneſeos) *habet in Hebræo* ipſa conteret caput tuum : & tu conteres ejus calcaneum : *quia & noſtri greſſus præpediuntur a colubro: & Dominus conteret Satanam ſub pedibus noſtris velociter*. Eodem itaque Hieronymi teſtimonio liquet, Hebræum Textum ab initio ad ejus uſque ætatem conſtanter habuiſſe *ipſa* , non autem *ipſe*: dixi ab initio, quia ſi vox *ipſa* non a Spiritu Sancto per Moſen , ſed aut malitia , aut injuria temporum , aut Scribarum oſcitantia in Textum quo Hieronymus utebatur irrepſiſſet , haud quaquam hic aſſeveraſſet: *Melius habet in Hebræo : ipſa conteret caput tuum*. Bene intelligo hæc verba Hieronymum protuliſſe occaſione accepta ex voce *ſervabit*, ſive *obſervabit*, quæ ſuo tempore legebatur tam in codicibus Græcis quam Latinis, non autem propter vocem *ipſa*; at in hypotheſi quod Autographus Hebræus legiſſet *ipſe*, & poſtea quavis ex cauſſa Apographus haberet *ipſa*, τὸ *melius habet in Hebræo* a Hieronymo adſertum , quoad hanc partem redderetur falſum : quoniam refertur ad totam ſequentem lectionem , *ipſa conteret caput tuum* . Quod ſi poſtea hodiernis doctis admirationi fuero, ex eo quod omnia exemplaria Hieronymi hactenus impreſſa , omneſque Scriptores tam Hæretici quam Catholici qui tribus ab hinc ſeculis floruerunt & laudatum Hieronymi locum proferunt , uno calamo habent *ipſe*, non autem *ipſa* , ſcito : Venerabilis Beda in Quæſtionibus ſuper Geneſim (*a*) , primo exſcribit Textum Vulgatæ ſicuti ipſius ævo in Eccleſia legebatur : *inimicitias ponam inter te & mulierem , & ſemen tuum & ſemen illius , ipſa conteret caput tuum , & tu inſidiaberis ejus calcaneo:* quo relato immediate hæc ſubdit : *Hieronymus in Hebraicis Quæſtionibus : ipſa conteret caput tuum , & tu inſidiaberis calcaneo ejus : quia & noſtri greſſus præpediuntur a colubro , & Dominus conteret Satanam ſub pedi-*

(a) *Tom. VIII. col.* 118.

Digitized by Google

bus noſtris velociter. Hactenus Beda. Cl.Lyranus (*a*) expoſito in medio paginæ Textu Vulgatæ, quo ſuo pariter tempore Eccleſia utebatur, nimirum *ipſa conteret caput tuum*, a parte dextra hac lege fert eundem Hieronymi locum: *Hieron. ipſa ſervabit ca. t. & tu ſer. ejus calcaneum. Melius in Hebræo habetur: ipſa conteret caput tuum: & tu conteres calcaneum ejus: quia & noſtri greſſus præpediuntur &c.* Quo præfato dicas amabo te amice lector, quinam iſtorum majoris fidei tibi eſſe videntur, Beda ne & Lyranus, qui floruerunt ante omnem ſubortam litem de præferentia hodierni Hebræi, an vero Recentiores editores operum Hieronymi, qui non dubitarunt eadem maculare Maſoretharum vocibus, uti notavimus num. 440., & Recentiores omnes, qui ita in ſuis operibus deſcripſerunt Hieronymi Textum, ac a primo ſciolo vel impoſtore defloratus fuit? Veneror doctos editores Marium Victorium, & Joannem Martianæum, qui præfato loco excuſerunt *ipſe*, ſed longe majori auctoritati mihi, & unicuique recte ſentienti eſſe debent Venerabilis Beda, & Clariſſimus Lyranus: & maxime quod ſicut viciniores fuerunt Hieronymo, ita veriſimillimum eſt, ut omnes norunt, exactiora Hieronymi exemplaria ad manus habuerint.

502. Præterea, utraque Chriſti Eccleſia Græca nimirum & Latina, tam ante Hieronymum quam Hieronymiano tempore legit *ipſa*; ergo longe inveriſimile eſt, Hieronymum apud Hebræum Textum legiſſe *ipſe*. Si enim Hebræus Textus revera *ipſe* habuiſſet, certe Septuaginta ſeniores græco ſermone *ipſe* tranſtuliſſent; pari ratione *ipſe* fuiſſet transfuſum in Latinam verſionem ex Græca expreſſam: vel dicendum tam Seniores, quam primum Latinum Interpretem hallucinatos fuiſſe, immo & ipſammet Chriſti Eccleſiam ab ortu ſuo accepiſſe Scripturam depravatam quoad hunc locum, quæ quidem abſurda quantum injurioſa

(a) *In hunc locum Geneſ. tom. I. pag.* 43. *a tergo*.

ſa ſint divinæ Providentiæ, quantum detrahant Eccleſiæ Chriſti, quantumve ſint a veritate aliena, neminem adeo cæcutientem, qui id non videat, reperiri arbitror: & maxime quod tam Septuaginta, quam primus Latinus Interpres peculiari Spiritus Sancti lumine præfatas verſiones concinnarunt, & cuſtos Iſrael nuſpiam indormivit ad hoc, ut ipſius Eccleſia eſſet columna & firmamentum veritatis. Probatur itaque antecedens. Eam ſane Scripturæ vocem dicendum eſt conſecratam fuiſſe apud primitivam Eccleſiam Græcam & Latinam, quam unice in ſuis Commentariis uſurparunt veteres Patres; hæc enim eſt unica via qua nemine reluctante tutius ducimur ad eruenda Scripturæ oracula, quæ fuerunt apud primitivam Eccleſiam conſecrata; ſed utriuſque Eccleſiæ Patres uſurparunt vocem *ipſa*, non autem *ipſe:* quocirca licet poſſem hic ſubjicere teſtimonia Irenæi, Cypriani, & Petri Chryſologi nuper ab adverſariis prolata, in eadem reſtituendo vocem *ipſa*, quam recentiores editores abſtulerunt, ſubſtituentes & cudentes *ipſe;* ſed brevitati ſtudens opportunius, quum paulo infra hujuſmodi nodum diſſolvemus. Interim obſerves velim diſerta trium præcipuorum Eccleſiæ luminum Joannis Chryſoſtomi, Ambroſii, & Auguſtini monumenta; quæ quidem ex integro exſcribam, quia plurimum ad rem faciunt, ſunt lectu digna, neque omnibus faciliter obvia, quum ipſe primo ex fontibus expiſcatus fuerim, atque collegerim. Chryſoſtomus expendens maledictionem, quam Deus fulminavit ſerpenti. *Nam*, ita Deum alloquentem introducit (*a*), *& inimicitias ponam inter te & inter mulierem, inter ſemen tuum & ſemen ejus. Neque hoc contentus ero quod ſuper terram reptes, ſed & inimicam fœderis neſciam faciam tibi mulierem: neque eam ſolam, ſed & ſemen ejus ſemini tuo hoſtem perpetuum faciam. IPSA tuum ſervabit caput &* tu

(a) *Hom. XVII. in cap. III. Geneſ. Tom. I. col.* 103. *B.*

tu ejus ſervabis calcaneum. Tantum enim illi robur concedam, ut continuo immineat capiti tuo, te autem faciam ſub pedibus ejus jacere. Vide hic dilecte, quomodo per pœnam huic beſtiæ deputatam, quanta humani generis cura Deo ſit, demonſtretur. Et hoc quidem de viſibili ſerpente. Licet autem volenti poſt hoc conſiderare SCRIPTORUM tenorem (vide quomodo Chryſoſtomus locum hunc habentem *ipſa* refert ad anteriores Scriptores Eccleſiæ) *& cognoſcere, quod ſi de ſenſibili ſerpente hæc dicta ſunt, multo magis accipienda ſunt hæc de ſpirituali ſerpente. Etenim & illum pedibus noſtris ſubjecit humiliatum, & nos incumbere illius capiti fecit. Annon hoc ſignificat dicens, calcabitis ſuper ſerpentes & ſcorpiones? Deinde vero ne putemus de ſenſibilibus ſerpentibus eſſe dictum, ſubdit* (Lucæ X.): *Et ſuper omnem virtutem inimici*. Item ſermone ſuper illud Geneſ. *Inimicitiam ponam &c.* (*a*) ita pergit: *Poſtquam* (Deus) *dixit ad ſerpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: addidit, dicens: ILLA tuum obſervabit Caput, & tu obſervabis ejus calcaneum. Magnum inter mulierem & ſerpentem certamen attendo, magnum bellum, bellum diſpoſitum eſſe conſidero, magnam ſolicitudinem habendam eſſe cognoſco. Directa eſt inter utrumque acies, paratum bellum, certamen compoſitum.. Stat etiam mulier in procinctu, ſerpentis caput & obſervans, & vitans: obſervans ut calcet, vitans ut ſerpentis morſus declinet. Adeſt paratus & ſerpens callidus & ſubtilis: callidus ne mulieris pede calcetur, ſubtilis ut ejus morſu incauta mulier proſternatur. Hanc pugnam lætus aſpicit Deus, libenter attendit Dominus Chriſtus, ſi tamen illæſa mulier ſerpentem calcando devincat. Sed hoc prælium ad te jam chriſtiane converte, quod mater Eccleſia in filiis quotidie gerit, in confeſſoribus vincit, in Martyribus triumphatrix exiſtit*. Hactenus eloquentiæ flumen S. Chryſoſtom.. S. Ambroſius ſcri-

(a) *Tom. I. col.* 484. *C.*

Digitized by Google

ſcribit (a): *Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & ſemen tuum & ſemen mulieris. IPSA tuum obſervabit caput, & tu illius calcaneum. Ubi inimicitiæ ſunt, ibi diſcordia eſt, nocendique ſtudium: ubi nocendi ſtudium, ibi malitia ponitur. Ergo diſcordiæ inter ſerpentem & mulierem, diſcordiæ malitia ſubeſt. Non eſt ergo ſublata malitia. Denique ſervatum eſt ſerpenti ut calcaneum mulieris & ſeminis ejus obſervet, quo noceat, & venenum ſuum infundat*. S. Auguſtinus (b). *Quum*, inquit, *cautam faceret Dominus Eccleſiam, ait: ILLA tuum, inquit, obſervabit caput, & tu ejus calcaneum. Serpens obſervat quando tibi veniat pes ſuperbiæ, quando labaris ut dejiciat: tu autem caput ejus obſerva*. Et alibi (c): *IPSA tuum obſervabit caput, & tu ejus obſervabis calcaneum. In magno myſterio dictum, in figura dictum Eccleſiæ futuræ factæ de latere viri ſui, & hoc dormientis . . . Quid ergo dictum eſt Eccleſiæ? Jam modo audite, intelligite, cavete: IPSA tuum obſervabit caput, & tu ejus calcaneum. O Eccleſia, caput ſerpentis obſerva. Quod eſt caput ſerpentis? Prima peccati ſuggeſtio . . . Hoc quod venit in mentem caput ſerpentis eſt: caput calca, & evades cæteros motus. Quid eſt caput calca? ipſam ſuggeſtionem contemne*. Quibus eximiis monumentis perſpicue innoteſcit, Eccleſiam Græcam & Latinam tam ante Hieronymum, quam Hieronymo florente vocem *ipſa* conſecraſſe; quoniam hanc vocem PP. illius ævi in ſuis Commentariis uſurparunt; & per conſequens longe inveriſimile eſt, Hebræum Textum ab initio habuiſſe *ipſe*, Hieronymum *ipſe* apud Hebræum inveniſſe, & quod in Libro de Quæſtionibus Hebraicis *ipſe* exaraverit.

503. Nulli dices dubium eſt, Hieronymiano tempore & antea, plurimas Scripturarum voces addititias irrepſiſſe in

(a) *Libro de fuga ſeculi cap. VII. Tom. I. col. 362. M.*
(b) *Sermone I. in Pſal. XXXV. num. 18. Tom. IV. col. 256. E.*
(c) *Serm. IV. in Pſal. CIII. num. 6. Tom. IV. col. 1170.*

Digitized by Google

in verſionem Græcam & Latinam, qua de cauſſa Hieronymus excitatus fuit ad emendandam Italam verſionem : ſicque tranſmiſſo quod eo tempore vox *ipſa* uſurpata fuerit apud Eccleſiam Græcam & Latinam, conſequens tamen non eſt vel quod Hebræus Textus *ipſa* ab initio habuerit, vel quod Septuaginta & Latinus Interpres fuerint hallucinati. Fateor hujuſmodi momentum primo intuitu graviſſimum videri, at vide quomodo planiorem viam nobis ſtruit, ut clarius nudam veritatem aſſequamur. Si vox *ipſa* una eſſet ex illis vocibus addititiis, quæ ante Hieronymum irrepſerant in codices Græcos & Latinos, Hieronymus profecto quemadmodum ab hiſce conſimilibus mendis Italam perpolivit, ita & quoad vocem *ipſa* emendaſſet : at Hieronymus quoad hanc vocem minime Italam caſtigavit, ſed in ejus nova verſione religioſiſſime retinuit, ergo evidentiori argumento conſtat, quod vox *ipſa* fuerit ab eodem Moſe Hebræo ſermone conſcripta, Spiritu Sancto dirigente tam a Septuaginta Græce reddita, quam a primo Latino Interprete formaliter expreſſa, apud Hebræum Textum & codicem Samaritanum aduſque Hieronymianam ætatem perpetuo ſervata, & tandem a Hieronymo in Libro de Hebraicis Quæſtionibus adtento digito exſcripta: hujuſmodi enim conſecutiones, ut bene vides, non ex proprio capite, ſed ex ipſius facti natura enaſcuntur, ex quo nimirum Hieronymus vocem *ipſa* in ejus nova verſione retinuit, quod ita demonſtrandum ſuſcipio.

504. Eam ſane vocem Hieronymus in ejus nova verſione conſignavit, quæ pro data occaſione aſſumpta fuit ab iis Cl. Eccleſiaſticis Scriptoribus Latinis, qui per ſequentia ſecula incipiendo a Hieronymiano tempore, uſum habuerunt verſionis Hieronymi; atqui præfati Scriptores qui meminerunt in ſuis Operibus datum locum Geneſeos, omnes inquam uſurparunt vocem *ipſa*, non autem *ipſe*; ergo Hieronymus vocem *ipſa* in ejus nova verſione conſignavit. Major propoſitio ex modo dictis claret, probatur itaque mi-

minor. S. Eucherius Lirinenſis monachus poſtea Lugdunenſis Epiſcopus, qui obiit an. Chriſti 434. vel ſecundum alios 449., hæc habet (*a*): *Nam quod ſubjunctum eſt*, ***IPSA*** *conteret caput tuum*, *& tu inſidiaberis calcaneo ejus; hoc de fructu ventris Mariæ, qui eſt Chriſtus intelligunt &c.* Gregorius Magnus (*b*). *Unde*, inquit, *& eidem ſerpenti dicitur:* ipſa tuum obſervabit caput, & tu calcaneum ejus. . *Caput quidem ſerpentis obſervare, eſt initia ſuggeſtionis ejus aſpicere, & manu ſolicitæ conſiderationis a cordis aditu funditus extirpare. Si autem ſemel cor in intentione corrumpitur, ſequentis actionis medietas, & terminus ab hoſte callido ſecure poſſidetur.* S. Iſidorus (*c*): ipſa caput illius conteret, *ſi eum mens in ipſo initio malæ ſuggeſtionis excludit . . . . . Quidam autem hoc quod dictum eſt*, Inimicitias ponam inter te & mulierem, *de Virgine, de qua Dominus natus eſt, intellexerunt . . . Nam & illud quod ſubjunctum eſt* : ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus, *hoc de fructu ventris Mariæ, qui eſt Chriſtus intelligunt*. Rupertus (*d*) inducit Deum ita ad Mariam loquentem. *Tu ſerpenti autem non præbuiſti, immo inimicitias inter te & ſerpentem ego poſui, & ecce columba es . . . Veni ergo Maria, veni, nam Eva ad latebras fugit, veni, & crede Angelo evangelizanti, nam Eva credidit ſerpenti ſuſurranti. Veni & contere caput ſerpentis*. Beda (*e*) *: Quidam autem hoc quod dictum:* Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, *de Virgine de qua Dominus natus eſt intellexerunt, eoquod illo tempore ex ea Dominus naſciturus ad inimicum devin-*

(a) *In Geneſim lib. I. pag.21. edition. Romanæ an.1564. Superſedeo ab ea quæſtiuncula, quam Recentiores movent ſuper germanitate hujus Libri, quem nonnulli tribuunt cuidam viro docto Anglicano, utpote qui in eo libro meminit illius S. Auguſtini, quem S. Gregorius Papa Britanniam miſit.*
(b) *Lib. I. Moral. cap. XIX. Tom. II. col. 30. A.*
(c) *Commentar. in Geneſ. cap. V. pag. 419. col. 1. A.*
(d) *Lib. II. Comment. in Cantic. Tom. I. pag. 1080. col. 1.*
(e) *Quæſtion. ſuper Geneſ. tom. VIII. col. 118.*

devincendum, *&* *ad mortem*, *cujus ille auctor erat deſtruendam*, *promittebatur*. *Nam illud*, *quod ſubjunctum eſt*, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus: *hoc de fructu ventris Mariæ qui Chriſtus intelligitur*, *ideſt*, *tu eum ſupplantabis*, *ut moriatur: ille autem victor reſurget*, *&* *caput tuum conteret*, *quod eſt mors*. S. Bernardus (*a*) ſtudio probandi Virginem Mariam ante ſecula electam, ab Altiſſimo præcognitam & ſibi præparatam, ab Angelis ſervatam, a Patribus præfiguratam, a Prophetis promiſſam: *Scrutare*, ſubdit, *Scripturas* & *proba quæ dico*. *Vis ne ut & ego aliqua ex his teſtimonia hic inferam? ut pauca loquar de pluribus: quam tibi aliam prædixiſſe Deus videtur*, *quando ad ſerpentem ait:* Inimicitias ponam inter te & mulierem? *Et ſi adhuc dubitas an de Maria dixerit*, *audi quod ſequitur:* ipſa conteret caput tuum: *cui hæc ſervata victoria eſt niſi Mariæ? ipſa proculdubio caput contrivit venenatum*, *quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem tam de carnis illecebra*, *quam de mentis ſuperbia deduxit ad nibilum*. Et ne longius ſermonem protraham, vocem *ipſa* uſurparunt Strabus Walfridus, Rabanus Maurus, Claudius Marius, Victorius, Alcuinus (*b*), Lyranus (*c*), Alphonſius Toſtatus ſive Abulenſis (*d*), vocem *ipſa* in ſuis Bibliis excuſerunt Matthias Moravus (*e*), Ximenius, uno verbo, omnes penitus codices

(a) *Homil. II. ſuper Miſſus Tom. II. pag.* 11. *col.* 1. G.

(b) *Laudati a Bellarmino lib. II. de verbo Dei cap.* XII. *col.* 98. *D.*

(c) *Ipſa conteret caput tuum*, *in principio tentationis reſiſtendo*. *Alii autem Sancti exponunt de B. Virgine* . . . *quæ eſt infeſta Dæmonibus: unde Cant. dicitur*: Terribilis eſt, ut caſtrorum acies ordinata.

(d) *In Geneſ. tom. I. pag.* 21. *col.* 2. *ipſa conteret caput tuum*, *ideſt franget tentationem tuam in capite ejus* . . . *Iſta maledictio Diaboli ut quidam volunt magis allegorice*, *quam litteraliter exponitur de B. Virgine Maria*, *quæ confregit caput ſerpentis*, *ideſt*, *Diabolum*.

(e) *Vir ingenio & arte cudendi libros ſingulariter præditus*, *ut cuique innoteſcere poteſt ex Bibliis Latinis ab eodem impreſſis in hac Neapolitana Urbe tempore Ferdinandi inviciiſſimi Regis anno* 1476. *Quæ editio licet teſte Le Long Biblioth. Sac. cap. IV. pag.* 252. *ſit rariſſima*, *adhuc ejuſdem exemplari fruitur ditiſſima Bibliotheca Excellentiſſimi Principis Aliani Marci Antonii Columnæ*, *in omni eruditionis genere viri ſubacti*, *qui pro ſua ingenita humanitate præfatum codicem mihi inſpiciendum conceſſit*.

Digitized by Google

tes cum omnibus Bibliis Vaticanis, quibus ſingulæ Eccleſiæ Catholicæ aduſque præſentem diem religioſe utuntur in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, vocem *ipſa* celebrant; ſicque choro pleno tot probatiſſimorum virorum, qui a Hieronymi ætate per ſequentia ſecula in domo Dei floruerunt, & Hieronymiana verſione fuerunt uſi, arbitror quam graviſſime conſtare, vocem *ipſa* fuiſſe a D. Hieronymo conſignatam in ejus nova verſione; & per conſequens ſatis demonſtraſſe confido *primo*, Hebræum Textum ab ipſo Moſe accepiſſe vocem *ipſa*; *ſecundo*, τὸ *ipſa* fuiſſe a Septuaginta ſenioribus ex Hebræo Græce, & a primo Latino interprete ex Græco Latine quam rectiſſime redditam; *tertio*, quod tam Hebræus & Samaritanus, quam verſio Græca & Latina aduſque Hieronymi ætatem amica conſenſione perpetuo legerint *ipſa* (*a*); *quarto*, quod ſi hodierni codices Hebraici cuſi & manuſcripti vere habeant *ipſe*, id nonniſi ſtudio Maſorethærum, vel aliorum Grammaticorum dicendum eſt accidiſſe, ſubſtituendo nimirum Hu *ipſe*, pro Hi *ipſa*. Et tandem evidentiſſimum eſſe vitium a duobus vel tribus retro ſeculis intruſum apud omnia exemplaria Hieronymi exhibentia *ipſe*, quum bis debeant *ipſa* exhibere.

(a) *Si enim Hebræus vel Samaritanus ex tunc deflorati fuiſſent quoad hanc vocem, veriſimiliter Hieronymus id animadvertiſſet, uti ſexcentis, ferme exemplis probari poſſet: & ne ab itinere deflectam, quum ex inſpectione Hebræi Textus detexiſſet apud codices Græcos & Latinos irrepſiſſe* obſervabit, *ſive* ſervabit *loco* conteret, *idcirco, in præfato ipſius teſtimonio prius retulit vocem* ſervabit, *quæ irrepſerat, & poſtea* conteret, *quæ melius habebatur apud Hebræum: porro juxta relationem Bedæ & Lyrani, Hieronymus bis* ipſa *poſuit, ergo ſatis indicavit vocem* ipſa *ſuo tempore æque ſplendeſcere in Hebræo & Samaritano, ac in codicibus Græcis & Latinis. Ubi pariter colliges eum, cui primum ſtudio fuit deflorare locum Hieronymi, habuiſſe tantummodo voluntatem, & non artem fallendi; quoniam ſi bene adtendiſſet ad methodum ſcribendi Hieronymi hoc in rerum themate, ita ſane, ut facilius ſuum crimen velaret, debuiſſet excudere:* ipſa ſervabit caput tuum ... Melius habet in Hebræo, *ipſe conteret caput tuum.*

505. VENIAM modo ad illud, quod non minus eſt apud adverſarios ſolemne, & initio ſuperioris argumenti prolatum: Textus Hebræus præfert genus maſculinum tam in pronomine, quam in verbo: quod utique alicujus ponderis eſſet, ſi Moſes hiſce penitus regulis Grammatices Pentateuchum Hebræo ſermone conſcripſiſſet, quibus Maſorethæ hodiernum Textum exararunt, quibuſque noſtri Hebraiſtæ eundem legunt, intelligunt, & interpretantur: ſed quantum a veritate iſtud abſit abunde demonſtravimus toto ſuperiori paragrapho tertio, quo lectorem mitto. Namque ſi quidquid de exemplaribus Hebraicis, & de Grammatica Hebraica Recentioribus adfulget, totum in eoſdem a Maſorethis aliiſque verporum Grammaticis derivatum eſt; ſi per tria ſaltem ſecula ante Maſoretharum ætatem ſtudium Hebræi Textus & Hebraicæ linguæ apud Judæos oblitum & ſepultum non aliter extumularunt, niſi adminiculo linguæ Arabicæ quam ex nutricibus ſuxerant, & Arabicæ Grammatices cui ſtuduerunt, itaut ab iſta emendicarint quid in Hebræo habere poſſet rationem nominis cujuſque generis numeri vel caſus, rationem pronominis & affixi, rationem verbi cujuſque temporis & conjugationis; ſi rationibus & ſpeciminibus demonſtravimus tam Hebræum, quam Hebraicam Maſorethicam, ſive tam hodierna Hebræa exemplaria, quam hodiernam linguam Hebraicam diſtare ab Hebræo, & ab Hebraica veteri, qua ſacri Libri conſcripti ſunt; ſi tandem facto conſtat Hebraicam veterem, quæ nimirum viguit aduſque Hieronymianam ætatem, ab omnibus Recentioribus abſuiſſe & abeſſe; ſi inquam hæc omnia vera ſunt, uti vera pro noſtra judicii mediocritate credimus, quid quæſo penſi habebit præfatum argumentum, *Textus Hebræus præfert genus maſculinum tam in pronomine, quam in verbo?* Præferat genus maſculinum & in pronomine, & in verbo, & etiam in affixo, quid tum? ergone *ipſe*, & non *ipſa* legebatur in Archetypo, aut legendum erit in Vulgata?

Digitized by Google

ta? Vulgata, ut cuique præjudiciis non abrepto perſpectum eſt, non debet reſpondere hodierno Hebræo Maſorethico, ſed Hebræo illi quem Moſes ſine hiſce Maſorethicis regulis nominis, verbi, & affixi exaravit; debet congruere cum eo Hebræo, qui quoad omnia complectebatur verba Spiritus Sancti, quique ut abunde demonſtraſſe confidimus legebat *ipſa*. Abſit quod Vulgata fideliſſime conveniret cum hodierno Hebræo; quoniam omnibus iis locis, in quibus jure meritoque diſcordat, ſi concordaret, ſpiraret menda: quandoquidem præfatis in locis non reſponderet, uti vere reſpondet Autographo, quem S. Hieronymus veteris Hebraicæ peritus, & divino afflante numine, inſpectione & mutua collatione longe correctiorum codicum hauſit.

506. Exeant modo e ſuis caſtris Lutherani & Calviniſtæ, & ſibi de univerſa Synagoga Rabbinis adjunctis, prætoria auctoritate obſtrepant reclamantes: *Hebræus præfert genus maſculinum in pronomine, in verbo, & in affixo;* eiſdem bene convenit, quod tyrones dialectici cum riſu & cachinno opponunt ſciolo probanti conſequentiam, nihil cogitando de antecedenti ſibi jure denegata, *paſcis eorum; attendis ſomniis, perſequeris ventum, ſeminas in petroſis*. Volunt enim iſti nugatores, ut quodlibet Vulgatæ apiculum Vet. Teſt. redigamus ad hodiernum Hebræum abſque eo quod examinarint prius, utrum exemplaria hodierna, & hodierna Hebraica lingua valeant nobis tuto præſidio eſſe ad diſcernendam germanam lectionem Autographi Hebraici. Hinc haud opus eſt immoremur circa Helvicum hujuſmodi ſolemni craſſiſſimoque præjudicio abreptum: nobis enim potiſſima quæſtio non eſt, utrum comperiatur exemplar aliquod Hebræum, in quo legatur *ipſe*, vel quod per enallegen ponatur maſculinum cum fœminino, & fœmininum conſtruatur cum verbo maſculino; ſed facta hypotheſi quod Hebræus hodiernus habeat *ipſe*, num conveniat cum Autographo? quocirca quum Helvicus Bellarmi-

Digitized by Google

mino maledicit certe imitatur ſcortum, quod honeſtam mulierem de ea turpitudine criminatur, quam in ſeipſo quivis de trivio damnat (*a*). Ita quoque P. Natalis ab Alexandro eodem (licet abſimili conſilio) præjudicio laborans, & in Fraſſenum ſcripturiens, minime viſus eſt veritatem aſſequi (*b*).

507.

(a) *Quum adusque tempora Hieronymi in Hebræo vox* ipſa *legeretur, & conſtanti ſeculorum uſu fuerit in Eccleſia conſecrata, jam* ipſa *eſt vox germana, & a Spiritu Sancto profecta; ſicque ſuſpicio falſitatis potius cadit in ipſum Helvicum, aliosque blaterones, qui fatentur omnia Hebræa habere* ipſe, *quam in Bellarminum, qui teſtatur ſe vidiſſe unum exemplar Hebræum, in quo legebatur* ipſa: *præterea tam confidenter Helvicus affirmat, non reperiri Hebræum, quod habeat* ipſa, *atque ſi omnia exemplaria per univerſum Chriſtianiſmum & Judaiſmum diſperſa, ob oculos ſibi verſata fuiſſent: tandem eo loci non erubeſcit hæc tradere*. In exemplari recentiori, quod juſſu Sixti V. & Clementis VIII. editum eſt, contra Monachos & Jeſuitas reſtitutum eſt ipſe, *quo quid falſius, & portentoſius nemo non agnoſcet*.

(b) *Si cum Alexandro interrogetur*: Unde vero id habes, vir bone, *quod nimirum Hebræus olim habuerit* ipſa? *reſpondebis ex S. Hieronymo in Quæſt. on. Hebraicis, & ex verſionibus antiquis Græca, Itala, & Hieronymiana*. Quandonam depravatus eſt? *poſt S. Hieronymum, quoad hunc locum*. Sed ita S. Hieronymus vertit; *venia Alexander donandus, quum minime deprehenderit crimen falſi apud Hieronymum perpetratum, ſicque in communem deceptionem impegit*. Sed ita LXX. Interpretes tranſtulerunt; *blanditur Waltono aliiſque nugatoribus, ut ex dictis liquet*. Qui fieri potuiſſet, ut error codices omnes tam Hebræos, quam Græcos, imo & Latinos invaderet, quibus Africana Eccleſia tempore S. Cypriani, Romana ætate S. Leonis utebatur? *Hujuſmodi ſtropha penitus Alexandro indigna; equidem aſſumit pro explorato tam S. Cyprianum, quam S. Leonem legiſſe* ipſe, *quum iſtorum PP. teſtimonia ſolida exceptione non careant; inde hiſce nixus non dubitat pro certo venditare, Eccleſiam Romanam & Africanam* ipſe *tunc temporis legiſſe; tandem ſpecioſa confidentia fatur omnes codices Hebræos, Græcos & Latinos olim* ipſe *habuiſse, quæ quidem quam a veritate ſint aliena nemo æquus æſtimator, qui nuper expoſita verſavit, non deprehendet. Et mirum! Alexander magni facit teſtimonia SS. Cypriani & Leonis, luculentiſſima vero loca Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini, Eucherii, Gregorii, Iſidori, Ruperti, Bedæ, Bernardi, aliorumque probatiſſimorum virorum, neque pro tantillo paſsus eſt citare*. O egregium, *ita pergit irridendo Fraſsenum*, Diſquiſitoris Biblici ratiocinium! *at per illud ſane ludibrio Fraſsenum habet, propter quod utpote vir orthodoxus, & quivis alius de Concilio Tridentino recte ſentiens, deberet Fraſſe-*

507. Quod hodierni Contextus Bibliaci confluant ad confirmandum Hebræum habentem *ipſe*, id potiſſimum intruſum eſt ſtudio & curis eorundem Recentiorum, qui in cudendis præfatis Contextibus conati ſunt confirmare lectionem Hebræi (*a*); cæterum ex nuper dictis liquido conſtat, tam Hebræum, quam Samaritanum, & utramque verſionem Græcam & Latinam *ipſa* conſtanter legiſſe. Quod verò

ſenum laudibus & commendationibus proſequi. Do *hic utique ſcripſerat* Vulgatum Interpretem ſententiæ meæ fundum; *aſt quid quæſo inſcitiæ, aut impietatis, aut in Alexandrum contumeliæ id complectitur, vel ſpirat? Numquid Doctores Catholici non tenentur Vulgatum Interpretem ſumma fide & veneratione proſequi? Numquid Concilium Trident. vulgatum Interpretem non conſecravit? numquid Tridentini Patres graviſſimo decreto, Vulgatam antiqui Interpretis non declararunt authenticam? in quo ergo Fraſſenus peccavit? quænam eſt hujuſmodi petitio principii, cujus Alexander ludicre criminatur Fraſſenum?* Quæritur, *replicat Alexander*, an Vulgati Interpretis verſio cum Hebræo Textu conveniat Geneſ. 3. v. 15. Affirmat Fraſſenus; doctiores negant. *Sed religioſum eſt Alexandri miſereamur: nuſpiam enim Fraſſenus affirmavit Geneſ. 3. v. 15. verſionem Vulgati Interpretis convenire cum Hebræo hodierno habente* ipſe; *ſed affirmavit eandem convenire cum Hebræo antiquo & incorrupto*: Fateor, *ſunt ejuſdem Fraſſeni verba Diſquiſit. Biblic. lib. II. cap. VI. p.* 341. Hebræum Textum, quem jam habemus, maſculinum genus præferre, tum in pronomine, tum in verbo, ut appareat referri ad ſemen *Zera* quod Hebræis eſt maſculini. Sed quis ſponſor fiet pro hujus Textus ſinceritate? Vadem certe me pro eo non dabo, quum in ea ſim opinione, Textum hunc fuiſſe depravatum, nec olim habuiſſe ut nunc. Sententiæ meæ fundum do Vulgatum ipſum Interpretem, quem quum nemo dicere audeat Hebraicæ linguæ rudem adeo fuiſſe, ut genus maſculinum a fœminino ſecernere non potuerit; dubitari nequit quin præfatum Textum in fœminino genere legerit. *Quæ quidem Fraſſenus jure meritoque ſcripſit propter eas rationes, quas deprompſimus num.* 481. *quæque excitarunt Tridentinos Patres ad probandam ſuo calculo Vulgatam veteris Interpretis; & per conſequens quum P. Natalis ſubdit, Doctiores negant, vel enim iſti negant, verſionem vulgati Interpretis convenire cum Hebræo Textu hodierno, & tunc minime a Fraſſeno diſcordant; ſi vero negaverint eandem convenire cum Hebræo antiquo & incorrupto, plane falluntur, ſicque non modo non ſunt doctiores Fraſſeno, ſed graviter imperitiores. Ex his tandem quæ obiter obſervavimus quiſque pro ſuo modulo colligere valebit, quanti facienda ſit Diſſertatio XL. ſeculi quarti, quam adverſus Fraſſenum Alexander proſtitit.*

(a) *Id non ſemel oſtendimus potiſſimum num.* 349. 574. *& alibi.*

Digitized by Google

vero ſpectat verſiones Syriacam, Chaldaicam, Arabicam; Æthiopicam, Perſicam, Copticam, Armenicam &c. etiam ſi iſtæ omnes ab ortu ſuo legerint *ipſe* vel *ipſum*, nihil penitus ſunt penſi, & earundem harmonia nihil obſtat; quandoquidem uti in propriis ſedibus expoſuimus, erutæ ſunt ex fonte turbato, & ab Auctoribus adeo obſcuris, ut neque ætas, neque locus, neque nomen, neque Religio, aut doctrina nobis certo innoteſcat, ideoque quoad effectum convincendi Vulgatam veterem de aliquo vitio, parvi faciendæ (*a*).

508. AD ILLUD gemina habent Patres. Si ſpectemus iſtorum codices hodiernos editos a Recentioribus, utique apud Hieronymum, Irenæum, Cyprianum, & Petrum Chryſologum vocem *ipſe* inveniemus: ſi autem ſedulo ſcrutemur, eam vocem, quam reipſa præfati Patres in ſuos Autographos conſignarint, confidenter aſſero, eoſdem unice *ipſa* ſcripſiſſe, & opera tantum Recentiorum editorum fuiſſe ſubſtitutum *ipſe*: quod ita ſuſcipio ſuadendum. *Primo*, vox *ipſa* aduſque Hieronymianam ætatem concorditer ſonabat apud Hebræum, Samaritanum, & utramque verſionem, ergo nulla fuit ratio ut Hieronymus, Irenæus, Cyprianus, & Chryſologus uſurpantes præfatum Scripturæ locum adhibuerint vocem diverſam ab ea, quæ in omnibus codicibus Bibliorum tunc legebatur. *Secundo*, licet Irenæus, & Cyprianus laudatum locum expenderint de Chriſto dulciſſimo fructu ventris Mariæ, & qui propria virtute calcavit caput ſpiritualis ſerpentis, conſequens tamen non eſt, eoſdem legiſſe aut in ſuis Autographis ſcripſiſſe *ipſe*; etenim ut omnibus perſpectum eſt, unitas litteræ plures complectitur Scripturæ ſenſus, quod opportunius expendemus num. 510. *Tertio*, S. Iſidorus, & Ven. Beda ſuper laudati conceptis verbis tradunt, eos anteriores Eccle-
ſiaſti-

(a) *Legeſis dicta num* 470. & 471.

Digitized by Google

ſiaſticos Scriptores, qui datum locum Geneſeos retulerunt ad Chriſtum, legiſſe *ipſa*; ergo Irenæus & Cyprianus vocem *ipſa* ſuis Autographis inſeruerunt. *Quarto*, ex ſuperius enucleatis vehementer conſtare reor, Recentiores pro *ipſa* excuſiſſe *ipſe* apud Contextus Bibliacos, & D. Hieronymum; haud itaque mirum videri debeat ſi idipſum patrarint in excudendis operibus Irænei, Cypriani, & Chryſologi. Et ſane, ſi de cauſſa inquireretur unde ſuborta ſit tanta codicum hodiernorum depravatio, quoad præfatum locum, dicere auſim, ex malitia Eraſmi, Lutheri, aliorumque primorum Novatorum, qua ingeſſerunt mundo ea principia quæ alias (*a*) retulimus, & ex credulitate quorundam Catholicorum, qui neglecto exacto ſcrutinio ſuper firmitate eorundem principiorum, non ſine inconſtantia deſponſarunt.

509. Minime ſilentio præteribo, quod generoſe hic objectari poſſet: Non eſt potior ratio, ut dicatur codices Hieronymi, Irenæi, Cypriani, & Chryſologi depravatos fuiſſe, & non etiam codices Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini, Eucherii, Gregorii, Iſidori, Bedæ, Ruperti, Bernardi, & Lyrani: vel ſi recentioribus editoribus conſilio fuit falſare illos, eccur non etiam iſtos? Verum hoc potiſſimum ſcopo operæ pretium duxi, ex integro exſcribere textus Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini &c., ut lector ex ſe ſe probare valeat diſparem rationem quam ſubjicio. Idcirco editoribus Irenæi, Cypriani, & Hieronymi (quia de Chryſologo infra) facile fuit ſubſtituere *ipſe*, quia tam *ipſa*, quam *ipſe* cum antecedentibus & conſequentibus verbis ejuſdem Textus congruunt; in hypotheſi autem quod ſubſtituiſſent *ipſe* apud Chryſoſtomum, Auguſtinum &c., ipſis editoribus indiſpenſabiliter opus fuiſſet, aut apertiſſimo cri-

mi-

(a) *In Præfatione operis num.* 111. *in Reſponſ. Apolog. n. VI. & XII. & nuper num.* 429.

Digitized by Google

mine integrum locum abripere e medio, aut præfatum locum apertiſſima ineptia ſcatentem mandare typis; quoniam antecedentia vel ſubſequentia verba peculiari ratione referuntur ad *ipſa*. Dicam plus, non obſtante quod ex integro textu Chryſoſtomi clare eruatur, eum legiſſe *ipſa*, adhuc Pater Natalis pro voce *ipſe* Chryſoſtomum ſuffragatorem adpellat, non alio forte momento excitatus, niſi quia editor notat in margine vocem *ipſe*. Item, editores SS. Irenæi & Cypriani (quorum editiones ad manus habeo) ſuper citatam vocem *ipſe*, ſubjiciunt notam qua præſentem indicant controverſiam, & pro ſua ſententia, qua dicitur legendum fore *ipſe*, cauſſam inaudita parte reſecuerunt, *ipſe* ſubſtituentes in textu: & ſane, ſi apud veteres codices manuſcriptos vel cuſos horum Patrum revera *ipſe* repererunt, dicas amabo, quorſum præfata nota tendit? ut quid præſens diſſidium ibi tangitur? dicere malim id eos feciſſe, ut ſi hujuſmodi mutationis accuſarentur, ſibi velamento defenſionis appoſita nota inſerviret: hinc non intelligo quomodo annotator S. Cypriani licet fateatur ſe vidiſſe duo manuſcripta vetuſta quæ legebant *ipſa*, adhuc in Textu aſſuit *ipſe*. Sanctus Leo eo teſtimonio nullimode indicat *ipſe* legiſſe, ſed dumtaxat expendit ſemen mulieris, puta Chriſtum, ſua virtute divina contriviſſe caput infernalis ſerpentis; quemadmodum hac pari lege præfatum Geneſeos locum intellexere Eucherius, Iſidorus, & Beda, non obſtante quod indubitanter *ipſa* legerint. Ut tandem videas quam oſcitanter & inepte, apud laudatum locum Chryſologi editor ſubſtituerit *ipſe* pro *ipſa*, nota quod ubi in textu Chryſologi ſupponatur vox *ipſa*, acutiſſima profecto & pulchra redditur ejuſdem S. Doctoris obſervatio, nimirum: filia Herodiadis petens ab Herode caput Joannis Baptiſtæ facta eſt germen ſerpentis, cui muliebri ſexui ſerpens ſuum caput ſententia principali ſciebat eſſe addictum, dicente Deo, *ipſa ſervabit caput tuum*; contra per vocem *ipſe* quam editor ſubſtituit, hic locus Chryſologi obſcurum,

im-

Digitized by Google

immo nullum reddit ſenſum: atque ita dicendum videtur, omnes penitus veteres Eccleſiæ Patres nullo excepto *ipſa* Geneſeos III. *v.* 15. legiſſe; quibus nonnulli, faxit Deus, & non eo conſilio abuſi ſint, quo ſuam moroſitatem pallio veterum procerum contegerent, atque ita facilius imperitos ad ſuas partes abducerent.

510.QUANTUM ſpectat poſtremam argumenti partem, non eſt ut magni faciamus auctoritatem Rabbinorum, Hæreticorum omnium, & etiam nonnullorum virorum Catholicorum opinantium, Geneſis III. *v.*15. legendum *ipſe*, ob tot præconcepta principia a novatoribus diſſeminata, nec ſatis ab eiſdem viris doctis de Romana Eccleſia penſitata, diſcuſſa, & rejecta. Verum enim vero ſi Pagninus, Canus, Ribera, Pintus, Eugubinus, Emanuel Sa, Malvenda, Mariana, Brugenſis &c. bene noviſſent, quod Hebræus & Samaritanus cum duabus venerabilibus verſionibus aduſque Hieronymi ætatem *ipſa* conſtanter legerint, quod hodiernus Hebræus & hodierna lingua Hebraica ſint infirmiſſima præſidia ad intelligendum quid reapſe Moſes eo loci ſcripſerit, quod Eccleſiæ proceres vocem *ipſa* in ſuis Commentariis uſurparint & fuerint interpretati, quod inter omnes Bibliacos Textus & Contextus quos hodie habemus, pro cuſtodia integritatis Textus Latini divina Providentia & Apoſtolica S. Sedes peculiari diligentia invigilarint, quod hic Textus inter omnes felicius ad nos pervenit, ſi inquam hæc & multo plura quæ hactenus & in futurum enucleabimus præfati viri docti ſedulo animadvertiſſent, dubio procul aliter ſenſiſſent: & eo vel maxime quod ſententiæ noſtræ ſuffragatur eadem Apoſtolica Sedes, cui nec pro tantillo refragari valent Theologi quantumvis numero plures doctrinaque clari, quæque in omnibus ſuis vaticanis editionibus correcti Textus Latini, *ipſa* ſemper eo loci excudere fecit.

Ad ridendum certe nos excitant Helvicus, Calvinus, Furslerus, & Amama, qui ſcrupulo habent adaptare B. Vir-

gini laudatum oraculum Geneſeos, perinde quaſi blaſphemiam ſaperet. Aliud enim eſt loqui de littera Scripturæ, aliud de ſenſu ejuſdem litteræ; littera una eſt, ſenſus ſunt multiplices; hinc bene ſtare poteſt firmitas litteræ abſque eoquod habeatur convenientia Interpretum circa expoſitionem ſenſus. Ipſimet Hæretici tametſi contendant, verba, quæ Chriſtus in cœna protulit haud intelligenda de tranſubſtantiatione panis, & vini in corpus & ſanguinem Domini, non ideo inficiantur veritatem litteræ. Pariter hunc Locum Matthæi XVI. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quantumvis miris modis depravent, minime aſſentientes, Petrum per petram intelligi, & claves fuiſſe Petro promiſſas; eiſdem tamen id cauſſæ non eſt, ut dicant præfata Vulgatæ verba adſcititia eſſe, vel ſapere mendum Interpretis, itane? eccur modo vocem *ipſa* tot dicteriis traducunt, & Deiparæ minime adſcribi poſſe contendunt? Uſquedum reponant, *ipſa* eliminandam fore, utpote Hebræo Textui & contextibus non reſpondentem, quamquam mentiantur, non autem videntur a ratiocinii legibus exorbitare; at quum idcirco reſpuunt & odio habent præfatam vocem, quia ſtatuunt nullimode Deiparæ fore adaptandam, oſtendunt, de ſenſibus Scripturarum nihil intellexiſſe. Annon Deo, & Angelis qui ſunt ſpiritus in Scripturis interdum adjudicantur ſenſus corporei? annon de Chriſto interdum dicitur, quod ſit leo, lapis, agnus, vitis &c.? tranſmiſſo itaque quod *ipſa* Geneſ. III. per proprietatem Mariæ non conveniat, minime id argumento foret, ut pro voce divina authentica, & canonica non habeatur.

511. Aſt quid dicemus quum conſtabit, hanc vocem jure meritoque SS. Deiparæ fuiſſe tributam? Hæretici equidem hac in parte aut non intelligunt, vel ut imperitos terreant argumento extraneo, non intelligere fingunt. Nemo certe eorum omnium, qui Deiparam intellexere ſub verbo *ipſa*, ſomniavit aſſerere eandem ex ſeſe, virtute pro-

pria

pria & ſine ullo reſpectu ad Deum, contriviſſe & conterere caput Draconis infernalis: antequam Novatorum lolia exurgerent, hujuſmodi prima rudimenta doctrinæ Chriſtianæ, *divinæ potentiæ eſt deſtruere opera diaboli*, *liberare homines a peccato*, *conterere caput infernalis ſerpentis* Parochi, & Pædagogi tyrones edocebant. Quod vero Deus bene poſſit creaturæ alicui communicare virtutem talem, ut eandem aſſumat ad deſtruenda opera diaboli, ad liberandum homines a peccato, ad conterendum caput ſpiritualis draconis, tam Scripturæ, quam Patrum traditio, & Theologica ratio vehementer commonſtrant. *Notandum eſt*, apprime noſter Fraſſenus (*a*), *quod quemadmodum unigenitus Dei Filius humanitatem noſtram induit, ut nos divinitatis ſuæ tribueret eſſe participes*: Ipſe enim, *ait S. Petrus Epiſt.* 2. *cap.* 1. *v.* 3. vocavit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ. *Sic & voluit hominibus, præſertim ſibi Fidelibus, & Religione mancipatis omnes pene ſuos gloriæ titulos eſſe communes. Eſt ipſe quidem* (*b*) Lux vera quæ illuminat omnem hominem: *aitque ipſemet* (*c*): Ego ſum lux mundi . . . *nihilominus adorandus ille Salvator ſuis Apoſtolis ait* (*d*): vos eſtis lux mundi. *Nemo ambigere poteſt, Chriſtum eſſe firmiſſimum Eccleſiæ fundamentum, dicente S. Paulo* (*e*): Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus; *verumtamen S. Joannes* (*f*) *diſerte pronunciat*: Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni . . . . *Norunt omnes Chriſtum eſſe mediatorem & pacificatorem*

Vv 2 *Deum*

(a) *Diſquiſit. Biblic. lib. II. cap. VI. p.* 340.
(b) *Joan.* 1. *v.* 9.
(c) *Joan.* 8. *v.* 12.
(d) *Matth.* 5. *v.* 14.
(e) 1. *Corinth.* 3. *v.* 11.
(f) *In Apocalypſi cap.* 21. *v.* 14.

Digitized by Google

Deum inter & homines, *id enim ſæpiſſime Scriptura teſtatur* (*a*), *nihilominus eundem titulum idemque officium Eccleſiaſticus aſſignat Patriarchæ Noe*, *eum non ſolum* reconciliatorem *hominum cum Deo*, *ſed etiam* reconciliationem *pronuntians*: Noe, *inquit*, inventus eſt perfectus, juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. *Hinc SS. PP. Deiparam Virginem*, *Mediatricem noſtram proferre non dubitarunt*: *ſic S. Epiphanius in Homil. laud. Virg.* Ipſa eſt cæli & terræ MEDIATRIX quæ unionem naturaliter peregit. *Adiiciunt alii*: *Ipſa eſt quidem* Mundi ſalvatio. *German. Conſtan. Orat. de Nativ.* Gratia inventrix. *S. Bern. Epiſt.* 174., quæ elevatis in cruce manibus celebravit cum filio ſacrificium veſpertinum; & cum Domino Jeſu corporali morte redemptionis noſtræ myſterium conſummavit. *Arnold. Carnot. in illa verba*, *mulier ecce filius tuus*; Etenim, *ſubdit tract. de Laud. Virg.*, omnino tunc erat una Chriſti voluntas, unumque holocauſtum, ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis; unde communem in mundi ſalute cum illo effectum obtinuit. *Accedit etiam S. Auguſtinus ſerm.* 18. *de Sanctis Virginem ſic interpellans*: Admitte meas preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta mihi antidotum reconciliationis, ſit per te excuſabile, quod per te ingero: fiat impetrabile quod fida mente depoſco &c. Hactenus eximius Fraſſenus. Huic itaque rato firmoque principio, quod bene poſſit Deus creaturis communicare ea chariſmatum dona quæ ipſis propria ſunt, nixi plerique veteres & recentiores doctrina pietateque clari, oraculum iſtud *Ipſa conteret caput tuum* ſpeciali ratione adaptarunt Deiparæ, in quantum ſcilicet Deus, per præviſa merita Servatoris noſtris Jeſu, tanta gratia & ſanctitate eam replevit, ut reapſe valeret conterere caput ſpiritualis ſerpentis, tum pro ſemetipſa, tum pro nobis; pro ſemetipſa, quum maxime a pri-

(a) *Ad Rom.* 5. & 11. *Ad Corinth.* 5. & *ad Coloſsenſ.* 1.

a primo ſuæ conceptionis inſtanti de Dracone, ejuſque venenoſis afflatibus triumphavit, nec non per acceptam ex tunc ſuper Dæmones plenariam poteſtatem; reſpectu noſtri, quoniam *Non ſic*, inquit Seraphicus D. S. Bonaventura (*a*), *timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum: fluunt & pereunt ſicut cera a facie ignis, ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, ſolicitam imitationem.*

512. In hoc, dicas quæſo, quid contumelioſi, quid blaſphemi ipſi Deo aut gloriæ Chriſti vertitur, quum totum nonniſi ab eodem Deo, & per merita Filii ejus in B. Virginem comperiatur derivatum? Nonne inclyta Judith quæ præſcidit caput Holofernis, ex veteris Eccleſiæ ſententia, fuit apertus perſpicuuſque typus Virginis conterentis caput veternoſi Holofernis? at vide quomodo in eadem figura illuceſcit, SS. Virginem virtute divinitus accepta id præſtitiſſe. Ad ſuos namque lætabunda & triumphatrix Judith reverſa: *In me*, inquit (*b*), *ancilla ſua adimplevit* (Deus) *miſericordiam ſuam quam promiſit domui Iſrael: & interfecit in manu mea hoſtem populi ſui . . . revocavit me vobis gaudentem in victoria SUA, in evaſione mea, & in liberatione veſtra*: ſic itaque Maria ea eſt ſingulariſſima ancilla Domini, in qua non figurate ſed vere Deus adimplevit miſericordiam ſuam, quum in VICTORIA DIVINI SEMINIS quod nobis attulit, contrivit caput ſpiritualis ſerpentis, in evaſione ſua, nimirum e nihilo ad vitam reſurgens tota pulchra, tota immaculata, tota gratiæ fluminibus & ſanctitatis referta; in liberatione noſtra, propter ea quæ nuper ſeraphicus Doctor teſtatus eſt. Dicam plus, annon Apoſtolus Paulus conceptis verbis hunc locum Geneſeos aptat omnibus Chriſti fidelibus, ſive hominibus, ſive mu-

(a) *In ſpeculo B. Virg. lect. III. longe a principio.*
(b) *Cap. XIII. v. 18.*

Digitized by Google

mulieribus? *Deus*, inquit (*a*), *autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter*, cui utroque pollice adſtipulantur Irenæus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Gregorius, Iſidorus laudatis in locis? Blaſphemavit forte Auguſtinus quum de S. Martyre Perpetua ſcripſit (*b*). *Calcatus eſt ergo Draco, pede caſto, & victore veſtigio: quum erectæ demonſtrarentur ſcalæ, per quas B. Perpetua iret ad Deum. Ita caput ſerpentis antiqui, quod fuit præcipitium fœminæ cadenti, gradus factus eſt aſcendenti*. Vide ergo quam imperite, & impudenter delirent, & blaſphement Hæretici, quum denegant Deiparæ, quod teſtimonio Apoſtoli & veterum Eccleſiæ Patrum Deus cuique fidelium ſancte viventium largitur.

513. Quibus præfatis, brevi oratione ad Helvicum, ſi vox *ipſa* ab initio conſecrata fuit apud Textum Hebræum & utramque Eccleſiam nimirum Græcam & Latinam, jam non Catholici, ſed ipſi Hæretici enormi pravitate palliant impiam ſinceritatem hodierni Hæbrei habentis *ipſe*; quandoquidem ſua hypotheſi Dei Omnipotentiam limitant, nec non detrahunt gloriæ meritorum Chriſti ejuſque ſelectiſſimæ Matris. Utique Maria omnia, de quibus Helvicus cauſſatur, præſtitit, eo tamen pacto quo nuper declaravimus. Quamquam ſit Deo proprium conterere regnum Diaboli, impium tamen eſt aſſerere, eundem non potuiſſe hujuſmodi facultatem communicare Mariæ Virgini, quam in veram Matrem ſibi elegit: quæ pariter divina maternitas inenarrabilibus cumulata privilegiis cauſſa fuit, ut quæ agnita ſunt in Maria, minime fuerint accommodata Evæ, Saræ, cæteriſque aviis Chriſti. *Sumunt*, addit, *ergo hinc argumentum adorationis Mariæ*, ſi Helvicus rem penſiculate diſpexiſſet, utique didiciſſet cultum B. V. Mariæ adeo in Eccleſia antiquum, *ut*, ita Octavius Valerius (*c*), *eidem coæ-*

(a) *Ad Rom. XVI. v.* 20.
(b) *Sermon. CIII. de diverſis*.
(c) *De ſuperſtitioſa timiditate vitanda cap. II. p.* 11.

Digitized by Google

coævus prope cenſeri, nec injuria, poſſit; quod quidem probat ex ſalutatione Gabrielis Archangeli, & ex ſtupore, ex verbis, & geſtibus religioſi cultus quæ præſeferunt hæc verba Eliſabethæ: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me*. Ad P. Natalem iterum carpentem Fraſſenum repono: ſcopus enim Fraſſeni non eſt aſſerere, quod Maria ſola & virtute naturali caput ſerpentis contriverit, ut cuique datum eſt eruere ex ejuſdem Fraſſeniano teſtimonio quod nuper protulimus; ſed ſolummodo quod ipſemet Scripturæ Textus ſuadeat, non poſſe melius ſerpentem puniri quam ſi a fœmina calcaretur, quod olim Chryſoſtomus laudatus n.503. quoque innuit: *Inimicam fœderis neſciam faciam tibi mulierem... tantum enim ibi robur concedam, ut continuo immineat capiti tuo, te autem faciam ſub pedibus ejus jacere*. Pari lege ſcripſit Fraſſenus (*a*): *Sententia fertur in ſerpentem & in mulierem; in illum ut deceptorem, in iſtam ut deceptam, ſummaque judicii cauſſaque tota in his duabus perſonis conſiſtit. Suadet ratio ipſeque Textus indicat puniri ſerpentem melius non poſſe, quam ſi a fœmina, quæ fuerat ab ipſo ſeducta, vinceretur; atque hoc eſt quod vulgatus Interpres expreſſit quum dixit*: Ipſa conteret caput tuum. Hæc Fraſſenus. Putidiſſima tandem dicteria Calvini, Fursleri, & Sixtini occupata jam tenes. Equidem opponitur, obreptum fuiſſe fœmininum genus loco maſculini vel neutrius, quum omnino contrarium accidiſſe oſtenderimus in Textu Hebræo, & in aliquibus codicibus verſionis viralis, quæ olim ſimul cum Latinis codicibus legebant *ipſa*: dicitur, occaſione hujus immutationis, locum Geneſeos aptatum fuiſſe Virgini, quum ſaltem a temporibus Ruperti, & Bernardi hujuſmodi interpretatio invaluerit: additur, vocem *ipſa* fomentum dediſſe invocationi & laudibus B. Virginis, & tamen ſola recordatio VV. Romanarum Baſilicarum S. Mariæ Tranſtinberinæ, & S.

(a) *Diſquiſit. Bibl. cit. p.* 342.

Digitized by Google

& S. Mariæ Majoris in honorem ejuſdem cælorum Reginæ a primis Eccleſiæ ſeculis erectarum, & vetuſtiſſimæ Epheſinæ Synodi, in qua Patres ſummis laudibus & encomiis SS.Virginem celebrarunt, declarantes eandem rite agnoſcendam, & invocandam veram Dei Matrem, pudore & ignominia hoſce blaterones abunde replet.

514. Oportebat tandem, ut in hunc locum Geneſ. III. v. 15. peculiariter ſpectantem ad SS. Deiparam, & maxime ad primam ejuſdem ſingulariſſimam gloriam Immaculati Conceptus, recentiores Hæretici ſtudio demonſtrandi ad oculum ſacroſanctam Latinam Vulgatam veterem ab ipſa D. Petri Cathedra emendatiſſime reſtitutam ingentibus ſcatere vitiis, operoſius & infernali impetu irruerent; ad hoc ut eodem oraculo, ipſa Virgine opitulante, perſpecta fierent mendacia, commenta, cavilli, ſtratagemata, vaferrimæquæ decipulæ, quæ ab eiſdem aliiſque Recentioribus adhibita ſunt; atque ita magis illuceſceret tum ejusdem Vulgatæ omnimoda authentia, tum vanitas regularum critices, quas portæ inferi adinvenerunt. *Ipſa* dixi *Virgine opitulante*, quandoquidem ſicut S. Dei Genitrix ea eſt, quæ ſola interimit hæreſes in univerſo Mundo, ita eandem, religioſum eſt credere, taliter proſpexiſſe divinæ voci *ipſa*, ut amantiſſimis filiis S. R. Eccleſiæ haud monumenta deficerent ad obſtruenda obloquentium ora. Ea de re ad peculiarem Virginis tutelam ducenda optarim, quod Venerab.Beda, Lyranus, & alii forte quos neſcio, genuinum teſtimonium Hieronymi in Hebraicis Quæſt. quam fideliſſime ſuis inſeruerint operibus; quod plerique Majores noſtri eandem vocem uſurparint, taliterque in ſuis Commentariis illuſtrant, & cuſtodiunt, ut minime valeat falſationem ſubire; quod S. Tridentina Synodus haud hodiernis fontibus Vulgatam veterem ſubjecerit, ſed independenter ab eiſdem quoad omnia authenticam declararit; quod tandem S. Sedes in correctionis negotio, tametſi tota ferme Criticorum turba murmurante, & recla-

clamante pro verbo *ipſe*, ea tamen utpote columna immobilis & veritatis firmamentum, ſuperna conſtantia vocem *ipſa* in ſuis Vaticanis editionibus correcti Textus retinuerit. Quorſum iſta? Si hujuſmodi Vulgatæ locus, quem contra Critici omnem penitus lapidem moverunt, & etiam divinus eſt, canonicus, & authenticus; quiſque pro ſua ratiocinandi facultate & ab omni Recentiorum præjudicio liber conjiciat, quid dicendum ſit de aliis Vulgatæ locis ferme innumerabilibus ab eiſdem Criticis taxatis, quæque nec pro decima parte ſimilem veritatis ſpeciem habeant, neque eſt inter eoſdem Criticos par convenientia, ſtudium, & patrocinium. Gentilitio tandem mihi ſint ſuffragio pleniſſimæque coronidi tres gratiæ Heroes, quos Seraphicus Patriarcha S. P. Franciſcus ex ſacro ſui lateris vulnere Eccleſiæ militanti, & triumphanti peperit, quibuſque, licet intempeſtive ſcrutatis, lubet nodum exſolvere. *Primus* Arca teſtamenti & divinarum Scripturarum armarium S. Antonius Paduanus, ſcribens (*a*): *Animalia ſunt carnalia deſideria, quæ tanquam bruta polluunt terram mentis noſtræ. . . caput animalium eſt principium carnalium deſideriorum, de quo Geneſis* 3., ipſa *conteret caput tuum*. *Quod tunc fit, quando firmamentum* (ſive mens noſtra) *imminet ſuper caput animalium*. *Secundus* Seraphicus Eccleſiæ D. S. Bonaventura (*b*): *Congruum erat, ut B. V. Maria, per quam aufert nobis opprobrium vinceret diabolum, ut nec ei ſuccumberet ad modicum. Unde de ipſa exponunt tam Bernardus, quam Auguſtinus illud Geneſ.* 3., ipſa *conteret caput tuum*. *Tertius* illuſtriſſimus præco evangelicæ veritatis S. Bernardinus Senenſis (*c*): *Quod*

(a) *Sermone in Dominicam XXI. poſt Trinit. p.* 303. *col.* 1., *edit. Pedepontenſis prope Ratisbonam an.* 1739.

(b) *Lib. III. Sentent. diſtinct. III. p. I. art.* 2. *quæſt. I. Tom. V. p.* 34. *col.* 2. *Edit. Moguntinæ* 1609.

(c) *Ser. IV. de Conceptione B. V. Mariæ art. II. cap. II. Tom. IV. q.* 109. *col.* 2. *B. edit. Pariſ.* 1635.

autem ſic eſſet immaculata, *propter tria*, *ſecundum Bonaventuram in diſt.*3., *congruum erat*. *Primo*, *propter diaboli confuſionem*, *ſecundo*, *propter noſtram interceſſionem*, *tertio*, *propter divinam diſpenſationem*. *Primo inquam*, *propter Diaboli confuſionem congruum quidem erat*, *ut Virgo B. Maria poſtquam auferebat nobis opprobrium*, *ſuperaret & vinceret etiam Diabolum : itaquod nec ei ſuccumberet etiam ad momentum ; proinde exponunt tam Auguſtinus*, *quam Bernardus illud Geneſis* 3., ipſa *conteret caput tuum*.

EXPLICIT TOMUS SECUNDUS.

AD MAJOREM S. R. ECCLESIÆ GLORIAM.

Digitized by Google

I N D E X

VERBORUM RERUMQUE PRÆCIPUARUM AD NORMAM PAGINARUM.

A

ABraham Levita fert Hebraicam linguam oblivioni quandoque relictam. *pag.* 239.
Abuſus edendi libros Maſorethicis vocibus refertos, 234.
Ægyptiaca verſio tempore S. Antonii Abbatis nulla, 147.
Æthiopes ab initio Eccleſiæ Chriſti baptiſmo abluti, 136.
Æthiopia ubi, quidve Reginæ Candacis nomine, 135.
Æthiopica verſio haud ab Apoſtolorum ætate arceſſenda, 137. Erroribus ſcatet, 138.
s. Ambroſius legit *ipſa*, 325.
Andreas Mullerus dubitat de vetuſtate hodiernæ verſionis Syriacæ, 110.
Angli varias ſibi conſarcinarunt verſiones, 163. Jactant veterum manuſcriptorum Theſaurum habere, 198. Etiam vetuſtatem manuſcripti Alexandrini, 201. *& ſeqq.* Adblandiuntur Cyrillo Lucari, *ibid.* Teſtantur gravem corruptionem hodierni Hebræi Textus, 273.
Antiquitas ſolitarie inſpecta non conciliat auctoritatem manuſcripto, 201. Antiquitas manuſcriptorum ſuſpecta, *Vide* manuſcripta. Antiquitas fidei non ſemper ducit antiquitatem verſionis, 139.
s. Antonius Abbas ex ſolo Dei dono Scripturas intellexit, 148.
Apoſtoli citarunt prophetica ſecundum verſionem Viralem, 234.
Aquila nihil Chaldaice tranſtulit, 53.
Arabes Muſulmani a quo & quando ſuborti, 123. Quando cœperunt ſcribere, 125. Quando appoſuerunt puncta loco vocalium, 249.
Arabia ubi & quotuplex, 123.
Arabica verſio minime referenda ad tempora Hieronymi vel ante, 125. Tempus editionis ejuſdem definitu difficile, 126. *& ſeqq.* Saadiana præfertur aliis, vitiiſque ſcatet, 128. *& ſeqq.* Elaborata ad normam fontium ſupprimitur, 133. Confluxit in Textum Maſorethicum, 248. *& ſeqq.*
Arias Montanus notatus a Simonio, 79. Promotor Polyglottarum Antuerpienſium, 174. Perorat coram Gregorio XIII. 184.
Armillus Judæorum Antichriſtus, 51.
s. Athanaſius meminit canones Apoſtolorum, 5.
Aſſiſtentia Spiritus S. neceſſaria ſacris Interpretibus, 288.
Auctores Paraphraſium inimici Crucis Chriſti, 67.
s. Auguſtinus cur & quando Hieronymum inſectatus & poſtea ſecutus, 18. Se coaptavit D. Baſilio quoad *fovebat*, 105. Minime tradidit ætate S. Antonii extitiſſe Ægyptiacam verſionem, 147. Fert magnum tumultum ſubortum ex mutatione *Cucurbitæ*, 207. Cur & quomodo commendavit uſumChriſtianæ critices, 313. Legit *ipſa*, 325.

B

S. BAſilius laudat S. Ephremum, 105. 121.
V. Beda legit *ipſa*, 321. 327.

Digitized by Google

s. Bernardus refert *ipſa* ad Deiparam, 328.
Bernardus de Montefaucon ſuper Hebraico Manuſcripto Bononienſi, 199.
V. Bellarminus. Unde lingua Syriaca ſic dicta, quæque Chriſto vernacula, 85. Vindicatur ab occentibus Waltoni, 100. 102. Verſio Syriaca minime comparanda cum Græca & Latina, 111. Ab Helvico taxatus, 315. 317. Defenditur, 332. 342.
Brugenſis Lucas refert Jonathanem & Onkeloſum ad Chriſti tempora, *66*. Partium ſtudio abreptus Paraphraſes commendavit, 78. *& ſeqq.* Abſuit a ſententia Waltoni, 82. Quid ſenſerit de Syriaco N. Teſtamento, 118. Magnam habet rationem Vulgatæ veteris, 119. Regulas quas ſervandas ſtatuit in emendatione Vulgatæ, 220.

C

CAlipha Albugiafar litteras litteratoſque coluit, 125.
Calvinus in Catholicos, 318.
Canones Apoſtolorum haud eiſdem ſuppoſiti, 5.
Catholici in legendis Hæreticis imitari debent PP. VI. Synodi, 104. *& ſeqq.* Nequeunt hodie dubitare de genuitate Textus correcti, 383.
Chriſtiani fruſtra evolvunt Rabbinorum libros, 65. Orientales juſto Dei judicio a Mahumetanis devicti, 124.
Chriſtus: minime Thargum nobilitavit, 70. Loquebatur Syriace, 85. Et ut opus erat, 89. Uſurpavit in Synagoga verſionem Viralem. 93. 242.
s. Chryſologus circa vocem *ipſa* depravatus, 334.
s. Chryſoſtomus. Syri, Ægyptii, Perſæ &c. non Scripturam ſed dogmata Chriſtiana in ſuam linguam tranſtulerunt, 147. Minime fuit Auctor verſionis Armeniacæ, 151. Inepti Scriprurarum Interpretes qui vivunt ſecundum carnem, 285. Legit *ipſa*, 323.
Codices Hodierni Latinæ Italæ vitiis obnoxii, 23. Etiam Textus Samaritani, 31. *& ſeqq.* Eorum vitia non omnia tribuenda deſcriptoribus, 33. Codices Orientales inepti ad ſtabiliendam certam lectionem, 116. In correctionis Vulgatæ negotio poſtremo adhibiti, 122. Codicum multitudo improbatur, 153. *& ſeqq.* Inſpectio ſingulorum Codicum, ſingulorum Textuum Contextuumque perdifficilis, 265. Eorum numerus, 169. Quo antiquiores eo melioris notæ, 271. Difficile invenitur hodie codex vere antiquus & ſincerus, 272. Quemque Critici pro tali habeant, 273. Hebraici hodierni ſunt Maſorethici, 275.
Concilium Tridentinum per Vulgatam veterem intellexit Hieronymianam verſionem, 13. Ejuſdem decretum contorte a Sarpio aliiſque interpretatum, 304. Adprobavit Vulgatam in ſeipſa, 305.
Conditiones ad hoc ut antiquum aliquod manuſcriptum ſit nobis auctoritati, 201. 205. Quæ requiruntur ad Scripturas interpretandas, 280. *& ſeqq.*
Conſtantinopolis ante Thargum Jonathanis conſtructa, 50.
Contextus adverſus Vulgatam concordantes nihil certi concludunt. *v.* Harmonia.
Cornelius a Lapide in corruptelas hodiernæ Syriacæ, 111.
Critici pleraque falſarunt, *6*. *36*. 112. 129. 144. 184. 203. 277. 322. 333. *& ſeqq.* Eorundem vanitas in evolvendis Judæorum libris, *64*. *74*. 75. Aber-

Digitized by Google

Aberrant a religioſa veterum obſervantia, 37. & ſeqq. 121. 242. Vires augent Judæis, 67. 76. Ex defectu exacti ſcrutinii, 83. Tribuunt eaſdem voces linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ, & Syriacæ, 71. 85. Falluntur in definiendis ſingulis dialectis veterum Orientalium, 87. Studuerunt reddere Textus & Contextus ad invicem concordantes, 112. Omnia pro arbitrio definiunt, 114. Vires addunt Deiſtis, 115. Inepte ex Patribus eruunt antiquitatem & uſum vernacularum verſionum, 140. Multitudinem Biblicorum Codicum obtruſerunt, 152. 196. Criticis inhærentibus teſtimoniis manuſcriptorum quid probare incumbat, 205. Optant inſpectionem ſingulorum Codicum ex ſingulis Contextibus, 263. 268. Fidem non habent ſuperioribus Criticis, 266. Quod ſtatuunt cuſtodiendum ipſi primo non ſervant, 269. Nullo uno Codice communiter contenti, 273. Plus æquo confidunt hodiernis Textibus contextibuſque, 274. & ſeqq. Credunt quæ ſunt minoris fidei, 278. Committunt circulum vitioſum, 279. Fructus bonos maloſque parturiunt, 307. Falſo laborant ſuppoſito, 319.

Cyrillus Lucaris homo peſſimæ fidei, 202.

s. Cyprianus quoad vocem *ipſa* defloratus, 334.

D

DEcretum Tridentinum Spiritus Sancti aſſiſtentia editum, 294. Contorte a Criticis intellectum, 304.

Deipara hæreſes ſola interimit, 320. Contrivit caput ſpiritualis ſerpentis, 327. 328. 333. 341. 343. Protexit vocem *ipſa*, 344.

Deiſtæ Scripturam nullam agnoſcunt, 115.

Denarius quid præſeferat, 195.

Diſcrimen inter Targumim & fontes cum verſionibus Græca & Latina, 71. Inter quoſdam doctos Catholicos convincentes Judæos, & noſtros Criticos, 77. Inter Syrum hodiernum, & antiquum, 109. Inter ſcopum Ximenii & hypotheſim Criticorum, 173. Inter Polyglotta Londinenſia, & Polyglotta Catholicorum, 190. Inter manuſcriptum Alexandrinum, & editionem Vaticanam ſeptuaginta, 203. Inter eum qui utitur regulis critices quoad effectum intelligendi, & quoad effectum caſtigandi Vulgatam, 212. Inter tot regulas Novatorum, & Catholicorum, 220. Inter efficaciora præſidia ad aſſequendam linguam Latinam, & Hebraicam, 231. Inter linguam Hebraicam Maſorethicam, & veterem, 251. & ſeqq. Inter Catholicos qui floruerunt ante, & poſt editionem Vulgatæ correctæ, 282. Inter Vatem, & Interpretem, 289. Inter opera Hæreticorum, & Catholicorum hoc in rerum themate, 300. Inter Origenem Hieronymum Correctores Romanos, & Criticos, 309. Inter tempora Auguſtini, & hodierna quoad præſens, 312.

Diſſenſiones Hebraiſtarum referentium ad varias linguas eaſdem voces, 71. 85. Circa eundem Scripturæ locum, 259. Circa Grammaticam Hebraicam, 260. Deſuper aliorum laboribus, 266. Et Codicibus, 272.

Doctor Pariſienſis ſugillans Polyglotta Regia, 86.

Doctores Hiſpani primo improbarunt Thargum, 81.

Doctrina de auctoritate Vulgatæ in rebus fidei & morum, 302. De

Vul-

Digitized by Google

Vulgata in ſe, & referta vitiis, 305.
Dominicus Gravina. Verſionem Syriacam per Vulgatam corrigendam, 118.
Dominicus Sotus merito exprobrat quoſdam librorum Auctores, 83.
Druſius hodiernam Hebraicam linguam habet pro barbara, 228.

E

Eccleſia Occidentalis Latino dictata Textu, 2. *& ſeqq.* Eccleſia Syriaca quam Scripturam hodie habeat, 118.
Eli Eli Lammaſabacthani non magis redolet Chaldaicum, quam Syriacum, vel Hebraicum, 71.
Elias Levita primo de Maſorethis egit, 238.
s. Ephrem minime Syriacæ verſionis Auctor, 112.
s. Epiphanius Hebraicæ peritus, 57. Percenſet primas Judæorum Hæreſes, 58.
Epiſtolæ primorum Romanorum Pontificum Latino ſermone editæ, 9.
Eraſmus varia dicteria evulgavit, 214. Ejuſdem ſyſtema eſt populare, 216. Stravit viam ad commaculanda Maſorethicis vocibus opera Hieronymi, 233. Vix unquam vidit duos in re Hebraica conſentientes, 261.
Erneſtus Jablonshi deſuper vetuſtate Hebraicorum manuſcriptorum, 200.
Errores apertiſſimi Maſoretharum circa affixionem punctorum vocalium, 254.
Eſdra legit Hebræum Levitis poſtea Chaldaice interpretantibus, 41.
s. Eucherius legit *ipſa*, 327.
Euſebius Renaudot Syriacam verſionem neque Thomæ Heracleenſi tribuit, neque Theodoro Mopſueſteno, 103. De diſcrepantia verſionum Arabicarum, 132. Multa de Coptis Kircherus confinxit, 146.
Exemplaria recondita in Bibliothecis facilius conſtuprari poſſunt, quam publica, 206. Ab Anglis hodierna Hebraica cuſa habentur pro corruptis, 273. Omnia ſunt Maſorethica, 275. Ea etiam quæ punctis carent, *ibid.* A recentioribus accommodata, 277.
Exemplum quo intelligitur inſulſum Maſoretharum ſtudium ſuper reſtitutione Hebræi Textus, & Hebraicæ linguæ, 251.

F

Fabellæ Judæorum, 43. 46. 51.
Facultas Pariſienſis adprobavit Polyglotta Regia ſilens de Paraphraſibus, 80.
Fides falſa haud nititur veris Scripturis, 31.
Flavigninus Profeſſor Regius Pariſienſis enunciat editores Polyglottarum Pariſienſium, 178. Criminatur Le Jay propter amiſſionem Latini Textus correcti, 185.
Fontes Bibliorum in linguas quinquaginta ſex hactenus expreſſi, 160.
Fortunatus Fanenſis minime obtinuit deſcribere Paraphraſes, 81.
Favebat, *vivificabat* æque referuntur ad Syrum & Hebræum, 106.
Franciſcus Petrus Courajer Sarpianis cavillis inebriatus, 302
Franciſcus Ximenius, *v.* Ximenius.
Fraſſenus agit de interpretationibus oralis, ſcriptæ, de Miſchna & Talmude, 52. Deſcribit regiones Syriæ, 84. Explicat *Keri & Ketib*, 190. A P. Natale Alexandro calumniis conſpurcatus, 315. 318. Abſtergitur, 332. 343.
Fructus boni malique quos Neoterici parturierunt, 307.

Ga-

G

GAbriel Sionita gratis refert ad tempora Salomonis editionem Syriacam, 90.
Gallicanus Clerus concinne indicat utilitates Jayani Heptaglotton, 185.
Gelaſii decretum, 5.
Genebrardus in Tremellium, 190. Ludibrio habet Maſoretharum labores, 255.
Gheones apud Judæos præceſſerunt Rabbinis, 245. Traditionibus Talmudicis explicandis unice occupati, 246. Imperiti linguæ Hebraicæ, 247.
Golgotha & Gabbatha ſapiunt linguam Hebraicam, Syriacam, & Chaldaicam, 85.
Goiti de Auctore Syriacæ diligentius agit, 104. Sciri non poteſt quo tempore Syriaca edita fuerit, 111. Ex hodierna Syriaca infertur error Pelagii, 117. Per Vulgatam eadem corrigenda, *ibid.* Quid de verſione Arabica, 130.
Grammatices Hebraicæ Auctores, quinam, quandoque floruerunt, 236. *& ſeqq.*
Græca verſio olim in toto Oriente erat in uſu, 93. *& ſeqq.*
Græcorum mos in falſandis libris, 69.
Græcus ſermo tempore Apoſtolorum in Oriente vernaculus, 92.
s. Gregorius legit *ipſa*, 327.
Guido Michael le Jay. Eccleſia hodie utitur Hieronymiana verſione, 13. Promotor fuit Polyglottarum Pariſienſium, 177. Perperam a Simonio taxatus, 182. Fortunas ſuas evertit, 194.

H

HArmonia Targumim cum Hebræo probat malitiam Judæorum, 69. Syriacæ cum Hebræo profecta ab eiſdem Criticis, 112. Textuum Contextuumque nihil concludit contra Vulgatam, 275. *& ſeqq.*
Hebraica lingua vetus Origeni perſpecta, Epiphanio, & Hieronymo, 57. Mutationem ſubiit, 225. Evanuit, 238. *& ſeqq.* Hodie a nemine ſatis intelligitur, 227. Hodierna eſt Hebraico-Barbara, 228. Gracilibus conjecturis digeſta a Maſorethis veterem ignorantibus, 248. Hæc ſola Maſorethica noſtris Recentioribus adſulget, 256. Ejuſdem diſcrepantia a vetere, 258. Ejus regulæ ſpirant incertitudinem, 259. *& ſeqq.*
Hebraicæ ſtudium tanquam hamus ad capiendos piſces, 56. Ad protegendos errores ab Hæreticis detortum, 115. Confluit ad Eraſmicam popularitatem, 216.
Hebraiſtarum diſſenſiones. v. Diſſenſiones.
Hebræi perraro utebantur vocalibus intermediis, 249. v. Judæi.
Helvicus in Bellarminum, 315. 317. Sed indigne, 332. 342.
Hæretici neque Scripturas intelligunt, neque fructum ex eiſdem percipiunt, 56. Perperam tradunt Chriſtum nobilitaſſe Thargum, 70. Nulla ſua Bibliorum verſione contenti, 163. Pro more habent falſare Codices, 204. Odio habent Decretum Tridentinum, 223. 292. 296. 302. Unicuique ſpiritui accommodant facultatem Scripturarum interpretandarum, 181. 290. Ad nudam litteram attendunt, 286. Præpoſtere ſuadent neceſſitatem ſuarum regularum critices, 292. Tuentur oppoſitum ſyſtema, ut ſuis erroribus quærant patrocinium, 247. Inſectantur vocem *ipſa*, 315. 318.
s. Hieronymus quare irreverentiæ erga

ga

ga Septuaginta inſimulatus, 14. Quare novam verſionem concinnavit, 15. & ſeqq. Magnos pro eadem adornanda ſumptus fudit & labores, 17. Cur ab Auguſtino interdum minus digne habitus, 18. Minime recordatur Paraphraſium, 54. 59. Judaicos libros verſavit, 58. Fert verſionem Viralem apud Syros conſecratam, 95. Cur Italam emendavit ad normam Hebræi, 97. Vitandæ multitudinis variantium Codicum impenſe laboravit, 154. Magni facit ſingula Scripturarum verba, 209. Multa paſſus pro aſſequutione Hebraicæ linguæ, 230. Efficaciora præſidia quam Recentiores ad eandem addiſcendam habuit, *ibid.* Extant latos labores inſumpſit, ut non indigeremus Hebraicis rebus, 233. Carpit quorundam Interpretum audaciam, 284. Nemo idoneus Interpres ſine Spiritu Sancto, 288. Minime obtruſit novas Scripturas, 309. Legit *ipſa* 320. & ſeqq. A ſciolo vel impoſtore quoad hanc vocem falſatus, 322. 334. *Ipſa* in ejus verſione conſignavit, 326.

Hieronymiana verſio interdum nova, interdum vetus appellatur, 12. In Concilio Tridentino agnita pro authentica, 13.

Hiſpanica verſio ab invictiſſimis illis Regibus interdicta, 162.

Hottingerus refert initia Arabicæ verſionis ad duodecimum ſeculum, 126. Fert vitia Interpretis Arabici, 129. Criminatur Auctorem verſionis Perſicæ, 144.

Huetius quid fuerit opinatus de Itala Nobiliana, 23. Maledicit Saadiæ, 129. Judæorum ſcholæ interdictæ a Mahumetanis, 240.

R. Kimhì tradit ſuos gentiles linguæ ſanctæ oblitos, 239.

I

JAcobus Uſſerius perperam tradit Samaritanum hodiernum eſſe Doſitheanum, 26. & ſeqq. Inepte citat Origenem & Eulogium, 28. Primus in Occidentem Samaritanum intulit, *ibid.* & 35. Agnoſcit diſcrimen inter Vaticanam verſionem Sept., & manuſcriptum Alexandrinum, 203.

R. Jebuda edidit Miſchna, 52. Excogitavit hodiernam Hebraicam, 239.

Intemperantia Criticorum in conſarcinandis Bibliorum Codicibus, 152. In deſcribendis Maſorethicis vocibus, 234.

Joannes De la Haje. Eccleſia hodie utitur Hieronymiana verſione, 13.

Interpretatio oralis & ſcripta, 52.

Interpretes Latini ex Bibliis Græcis innumerabiles, 12. Divinis rebus non addicti temere ſe ſe immiſcent, 284. Vel ſi vivant ſecundum ſenſus carnales, 285.

Joannes Millius perperam inficiatur exiſtentiam Latini Textus ab initio Eccleſiæ Romanæ, 4. Cui occurrit Petrus Sabatier, *ibid.* Male citat conſtitutionem Canonis, 5. Perperam tribuit primis fidelibus Romanis Græcum ſermonem, 6. Oſcitanter citat Juvenalem, 7. Percenſet vitia N.Teſtam.Syriaci, 120.

Joannes Morinus fert Judæorum fabellas, 43. 46. 51. Probat nihil ſincerum decerpi poſſe ex Judaicis libris, 61. 64. De progreſſu Mahumetanorum, 124. Quoad uſum ſcribendi & ſtudia apud eoſdem, 125. Jucunde ediſſerit de manuſcripto Bononienſi, 200. Oſtendit linguam Latinam aliter hodie ac olim pronuntiari, 226. De libris & rebus Judaicis plene inſtructus, 237. Ante ſeculum undecimum nulla apud Judæos veſtigia Grammatices, *ibid.*

Eoſdem longe antea rejeciſſe ſtudium Hebraices, 238. Poſt Talmud abſolutum in Hiſtoriis Hebræorum tenebras, 145. Specimina errorum quibus Maſorethæ offenderunt, 254. Hebraica exemplaria a Recentioribus accommodata, 277. Dari poſſunt duæ lectiones Catholicæ diſcrepantes, 138.
Jobus Ludolfus nec antiquitatem nec integritatem verſionis Æthiopicæ agnoſcit, 138.
R. Jonas queritur de imperitia Hebraicæ, qua ipſius gentiles laborarunt, 138.
Jonathan filius Uzielis a Judæis impenſe commendatus, 43. 46. De ejuſdem ætate non conſtat, 60.
Joſeph Hebræus fert ſuos progenitores conſcripſiſſe libros, 64.
Ipſa conteret caput tuum. Vox *ipſa* ab Hæreticis aliiſque habetur pro Vulgatæ vitio, 314. *& ſeqq.* Apud Textum Hebræum corrupta, 320. *& ſeqq.* Etiam apud exemplaria hodierna Hieronymi, *ibid.* Etiam Bibliorum Contextuum, 333. Etiam Irenæi, Cypriani, & Chryſologi, 334. *& ſeqq.* Conſecrata ab Eccleſiæ proceribus, 321. *& ſeqq.* Aduſque Hieronymi ætatem lecta apud Hebræum, Samaritanum, Græcam verſionem & Latinam, 326. Propagata apud Biblia impreſſa, 328. Quam rectiſſime a Bellarmino & Fraſſeno agnita, 332. Jure B. Virgini adaptata, 337. *& ſeqq.* Protegit Vulgatæ genuitatem, 344.
s. Irenæus teſtatur Apoſtolos horumque ſectatores conſecraſſe verſionem Septuag. 234. Corruptus quoad vocem *ipſa*, 334.
s. Iſidorus legit *ipſa*, 327.
Itala verſio corruptelis ſcatebat, 14. *& ſeqq.* Quæ hodie circumfertur non placet, 22. Cur a primo ejus Auctore ex Græca verſione expreſſa, 96.

Judæi inſultabant Chriſtianis de falſitate Scripturarum, 16. Varias confinxerunt fabellas, 43. 46. 51. 244. Efferunt Targumim Jonathanis & Onkeloſi, 46. Duos Meſſias ſibi ſtatuunt, 51. Non conveniunt circa originem & ætatem Onkeloſi, 53. Rerum ſuarum ignari, 64. 74. Multa moliti ſunt in odium Chriſti, 67. Nugantur ſuper perpetuitate ſuorum Doctorum, 243. *& ſeqq.*
Juvenalis inepte a Millio citatus, 7.

L

Lamy minus recte commendat opera Judæorum & Hæreticorum, 74.
Latina editio a primordiis Romanæ Eccleſiæ uſurpata, 2. Ex verſione Græca primum expreſſa, 11. Itala cæteris Latinis perfectior, 12. Vitiis obnoxia, 14. Poſtponenda Textui correcto, 21.
Latina lingua tempore Apoſtolorum Romæ vernacula, 6. Eſt labium electum, 11. Aliter hodie ac olim pronuntiatur. 226.
Latinæ Epiſtolæ a primis Roman. Pontificibus editæ, 9.
Lectio librorum Hæreticorum damnoſa, 195.
Le Long denegat vernaculas verſiones ab ætate PP. accepiſſe initia, 140. In percenſendis Bibliacis Codicibus cæteris antecellit, 159. Deſcribit linguas in quas Scriptura verſa eſt, 160. Etiam indicem Biblicorum Codicum manuſcriptorum & excuſorum, 164.
Lex Clementis VIII. circa cuſtodiam correcti Textus Latini conſtanter viget, 193.
Libri Catholicorum præ aliis legendi, 84.
Libri & monumenta ab Hæreticis pro-

Digitized by Google

prolata pro ſuſpectis habenda, 204.
Libri Judaici commentis referti, 61. Vitandi, 76. 78. 83.
Lingua Coptica quid ſibi vindicet, 146.
Lingua Hebraica cur apud veteres Judæos obſoleta, 240. 245. 247. Vetus diverſa ab hodierna, 258. & ſeqq.
Lingua Hebraica & Arabica eaſdem habent proprietates grammaticales, 249.
Linguæ fluxu temporis mutationes patiuntur, 224. 262.
Lutherus credidit præſidio linguæ Hebraicæ Catholicos eludere, 215.
Lyranus ſub *ipſa* intelligit Deiparam, 328.

M

MAbumetanorum origo & progreſſus, 123. Mahumetani interdixerunt Hebræis ſcholas, 240. 245.
Manuſcripta Bibliorum multo plura a Recentioribus venditantur ac antea fuerunt, 196. & ſeqq. Sola antiquitas non conciliat eiſdem auctoritatem, 201.
Manuſcripta V. Bibliothecæ Vaticanæ aliis præferenda, 108.
Manuſcriptum Bononienſe minime longam ſapit ætatem, 199. Multo minus manuſcriptum Alexandrinum Anglorum, 201. & ſeqq.
Maſorethæ lingua Arabes, & ab Arabibus mutuati Grammaticam Hebraicam, 235. Maſoretharum hiſtoria eſt ſuſpecta, 237. Maſorethærum non recordantur antiquiores Judæi, 245. Ex gracilibus conjecturis reſtaurarunt Hebræum Textum & Grammaticam, 248. & ſeqq. Specimina hallucinationum eorundem, 254. Ex Maſorethis hodierna Hebraica exemplaria, & lingua, 275.
Maſorethicæ voces apud recentiores libros intruſæ, 233.
Menda facilius irrepunt in exemplaria recondita quam in publica, 206.
Miſchna poſt Hieronymi ætatem vidit lucem, 52.
Modus ſcribendi ſine vocalibus intermediis, 249.
Moſes Ægyptius fert jacturam ſcholarum & ſtudii legis apud Judæos, 245. Gheones occupatos ad Ghemaram intelligendam, 246.
Multitudo variantium Biblicorum Codicum detrahit Eccleſiæ, 152. & ſeqq. Obtruſa ex lenocinio antiquiſſimorum manuſcriptorum, 196.

N

NAtalis ab Alexandro habet pro ſuppoſititiis Epiſtolas primorum Romanorum Pontificum, 10. Male confugit ad patrocinium Brugenſis, 220. Impetit Fraſſenum, 315. 318. Sed irrito conatu, 332. 343.
Nicolaus Gurtlerus tribuit Deo quod a Satan ſuggeſtum eſt, 242.
Numerus Codicum Biblicorum deſcribitur, 169. & ſeqq.
Numerus linguarum in quas Scriptura verſa eſt, 160.

O

ODium inter Judæos & Samaritanos, 30.
Onkeloſi ſtemma & ætas, 53. 60.
Origenes inepte ab Uſſerio citatur, 28. Non deſcripſit Samaritanum quia nimis corruptum, 36. Neque ſubodoratus eſt Paraphraſes, 54. Hebraicæ peritus, 57. Judaicos libros verſavit, 58. Ejuſdem Exapla perierunt, 232. Religio ejuſ-
dem

dem in edendis Exaplis, 309.
Origo fontium & verſionum Græcæ & Latinæ, divina, 71. Secus aliorum Contextuum, 275.
Oxonienſe folium quod hodie ubique circumfertur jactat multitudinem manuſcriptorum, 198. Indicat hodiernos Anglos haud contentos laboribus anteriorum Criticorum, 266. Ad ſtabiliendam lectionem requiri inſpectionem omnium Codicum, 268. Teſtatur exemplaria Hebraica vitiis ſcatere, 273.

P

PAraphraſes inductæ ut Scriptura intelligeretur a Vulgo, 40. Earum conſcriptio minime arceſſenda ab ætate Moſis vel Eſdræ, 43. Sed poſt Hieronymum, 49. *& ſeqq.* Patribus ignotæ, 54. Ex earundem impreſſione lites ſubortæ, 65. Confarcinatæ ab infenſiſſimis Chriſtiani nominis, 69. Nullius utilitatis, 72. *& ſeqq.* Sunt potius detrimento, 76. *& ſeqq.* Non potuerunt deſcribi a Fanenſe, 81.
Parochi tenentur lingua vernacula exponere Scripturam populo, 42.
Patres qui verſioni Italæ prætulerunt Hieronymianam, 19. Conſulebant Textus & Contextus, ut protegerent verſionem Eccleſiæ, 37. *& ſeqq.* 122. 309. Plenum fructum ex Scripturis perceperunt, 56. Refragantur Recentioribus addictis Masorethicis nugis, 234. Prætulerunt verſionem Græcam Hebræo fonti, 243.
Paulus Sarpius omni dolo plenus, 298. *& ſeqq.*
Petrus Sabatier in Milliana momenta, 4.
Perſica verſio eſt recentiſſima, 141. Abundat vitiis, 144.
Polyglotta quid ſibi vindicent, quæque celebriora, 170.
Polyglotta Complutenſia quando, & a quo edita, 170. Quos Textus Contextuſque ſuppeditent, & a quibus concinnata, 171. De impenſis a Ximenio profuſis, *ibid.*
Polyglotta Regia propter Paraphraſes taxata, 66. Conſilium Romanorum Patrum de eiſdem Polyglottis ſuſpendendis, 81. De Textibus Contextibuſque quas eadem complectuntur, 173. Adprobata a Facultate Pariſienſi, 174. Viri qui eiſdem parandis elaborarunt, 175. Utilitates quas afferunt, *ibid.* Exhibent Textum Latinum nondum caſtigatum, 176.
Polyglotta Pariſienſia nonnullis exceptis continent Biblia Regia, 177. Quorum curis edita, 178. Commendant auctoritatem Latini Textus, 179. *& ſeqq.* A Clero Gallicano adprobata, 184. Cur non exhibent Græcam & Latinam Vaticanam, 185. Quo tempore edi cœpta & abſoluta, 187.
Polyglotta Londinenſia inſignibus ſcatent erroribus, 144. 194. Ubi? quam ob cauſſam? quorunque curis edita, 188. Qua lege Scripturam novem linguis repræſentant, 189. Diſcrepant a Polyglottis Catholicorum, 190. Tendunt ad imminuendam auctoritatem Vulgatæ, 192. Præcipitanter edita, 194.
Principia quæ Eraſmus mundo ingeſſit, 214. Quibus Patres Tridentini conſecrarunt Vulgatam, 294. Quæ Patribus Tridentinis præfigunt ur a Sarpio, 301. 303.
Proteſtantes novas ſemper Scripturas ſibi fabricant, 163.

R

Rabbini deplorantes jacturam Hebraicæ, 238. 245.
Recentiores adblandiuntur Judæis, 64. 67. 74. & ſeqq. Ex defectu exacti criterii efferunt Paraphraſes, 83. Imperiti pronunciationis veteris Hebraicæ, 227. Habent præſidia infirmiora iis quæ adfuerunt Hieronymo, 230. Sciunt Hebraicam Maſorethicam, 231. & ſeqq. Minus recte uſurpant voces Maſorethicas, 233. Fatentur incertitudinem hodiernæ Hebraicæ, 261. Contorte exponunt decretum Concilii, 303. & ſeqq.
Reges Hiſpani interdixerunt vernaculam verſionem, 162.
Regis Luſitani diſpoſitio circa ſtudium Hebraicæ, 256.
Regulæ critices conferunt ad dilucidandam, non autem ad corrigendam Vulgatam, 210 A quibuſdam merito adhibitæ quoad primum, & non quoad ſecundum effectum, 211. Percenſentur præcipuæ a Novatoribus excogitatæ, 215. Aliæ a Catholicis 219. Quænam a Romanis correctoribus adhibitæ, 222.
Riccardus Simonius meminit litis ſubortæ occaſione Paraphraſium, 65. Occupat argumentum Waltoni probantis utilitatem Targumim, 73. Taxat audaciam Ariæ Montani, 79. Fert Hiſpanos primum Thargum improbaſſe, 81. Tempore Apoſtolorum Antiochiæ Græce loquebatur, 92. Apud Syros nulli fuerunt Maſorethæ, 99. Syrus hodiernus diverſus ab antiquo, 109. In Syris Codicibus eſt confuſio, 120. Notat Waltonum præter modum laudantem verſiones Orientales, 145. Adfingit Ximenio contradictionis vitium, 172. Criminatur Le Jay præferentem fontibus Textum Latinum, 182. Fatur incertitudinem Grammatices Hebraicæ, 261.
Romani Apoſtolorum temporibus Latine loquebantur, 6.
Rupertus refert *ipſa* ad Deiparam, 327.

S

Sacra Congregatio ſupprimit Arabicam elaboratam ad normam fontium, 133.
Salmeron teſtatur Hieronymi verſionem fuiſſe in Tridentino probatam, 13.
Samaritanus Textus ſolum Pentateuchum complectitur, 25. Non eſt ille quem Doſitheus conſarcinavit, 27. & ſeqq. Pleriſque corruptelis obnoxius, 31. & ſeqq.
Scholæ apud Judæos interdictæ a Mahumethanis, 240. Poſt Talmud derelictæ, 245.
Scriptura nec intelligitur ab Hæreticis, nec eiſdem prodeſt, 56. Continet plures ſenſus, 209. 338. Non patitur plures lectiones divinas diſcrepantes, 281.
Sixtinus Amama pro cauſſa Proteſtantium commendat ſtudium linguarum, 215. Imperite detrahit Concilio Tridentino, 297.
Sixtus V. exprobat Criticorum ſyſtema, 154. & ſeqq. Exponit methodum qua Vulgatam a mendis caſtigavit, 222.
Spiritus Sancti aſſiſtentia neceſſaria Interpretibus Scripturarum, 288. & ſeqq.
Studium Hebraicæ. v. Hebraicæ.
Syriaca verſio minime arceſſenda ab ætate Salomonis, 90. Neque a temporibus Apoſtolorum, 91. Neque ante Hieronymum uſurpata, 94. Minime adornata a Thoma Heracleenſe, 103. Neque a Jacobo Edeſſe-

deſſeno, 104. Neque a S. Ephremo, 105. Ab initio vitiis obnoxia, 106. & ſeqq. Hodierna magis corrupta, 110. 117. In Polyglottis Anglicanis incoſtantiſſima, 111. Non valet confirmare Hebræum, 115. Neque utilis ad probandos Eccleſiæ ritus, 122.
Syriaca lingua Chriſto vernacula, 85.
Syſtema Criticorum exponitur, 173. 214. & ſeqq. 274. 279.
Syſtema linguarum in quas Scriptura verſa eſt, 160.

T

Talmud poſt Hieronymum vidit lucem, 52.
Targumim concordantes cum Hebræo probant malitiam Judæorum, 69. Ab initio ſpirarunt impietatem, 72. *vid.* Paraphraſes.
Tertullianus hortatur lectionem librorum Catholicorum, 84.
Textus Contextuſque hodierni ſunt lacunoſi, 276. Haud fide religioſa excuſi, 277.
Textus Hebræus a Maſorethis confarcinatus, 248. & ſeqq. 275.
Textus Latinus. *v.* Latina editio.
Textus Samaritanus. *v.* Samaritanus.
Thargum & Targumim quid ſibi vindicent & quot ſint, 45.
Thargum Jonathanis quando editum, 50. Nuſpiam a Chriſto nobilitatum, 70.
Theodoretus. Univerſa terra doctrina Chriſti repleta, 149.
Theologi Tridentini per attificium a Sarpio laudati, 298. & ſeqq.
Thomas Milante. Armenica verſio haud a Chryſoſtomo elaborata, 151.
Tremellii facinora, 190.

V

Vanitas Criticorum in evolvendis Rabbinorum libris, 57. 65. 74.
Verſio Ægyptiaca, Arabica, Armenica, Græca, Itala, Syriaca, *vid.* earumdem litteras initiales.
Verſio nulla Hæreticis ſatis arridet, 163.
Verſio Chaldaica, *v.* Paraphraſes & Targumim.
Verſio Latina. *v.* Editio Latina, & Vulgata.
Verſiones vernaculæ a quibus legi poſſunt, 158. 162. Minime ab ætate Patrum arceſſendæ, 140.
Volphius tradit vitioſitatem verſionis Æthiopicæ, 138.
Voſſius oſtendit Rabbinorum ignorantiam, 74. Agnoſcit diſcrepantiam inter Syriacam hodiernam & veterem, 111.
Urbes ubi Bibliaci Codices primo excuſi, 164. & ſeqq.
Uſus regularum critices quoad ſtabiliendam lectionem vanus ex defectu linguæ Hebraicæ, 224. & ſeqq. Ex defectu Codicum, 263. & ſeqq. Ex defectu Criticorum, 279. & ſeqq. Cur vero utilis quoad Vulgatam illuſtrandam, 311.
Utilitates quas Polyglotta viris doctis afferunt, 176. 184.
Waltonus ſibi non conſtans, 32. 34. Impenſe effert Samaritanum, 40. Etiam Paraphraſes, 47. Detrahit veteribus, 55. Sine fundamento Onkelum & Jonathanum facit antiquiores Hieronymo, 60. Suiſque principiis convincitur, 61. 70. 107. & ſeqq. Ejuſdem inepta de Targumim injuria temporum defloratis, 72. De earundem utilitate, 73. Eliminat a Judæis intelligentiam Scripturarum, 75. Ejuſdem audacia in definiendis dialectis veterum Orientalium, 88. Inconſtantiæ

Digitized by Google

tiæ prodigium, 93. Conatur oſtendere antiquitatem Syriacæ verſionis, 97. Aliis contradictionis ſpeciminibus convincitur, 102. Extollit Syriacæ integritatem, 106. Studuit concordare Syriacam cum Hebræo, 112. Omnia pro arbitrio definit, 114. Perfunctorie citat Deiſtas, 115. Nugatur ſuper utilitate Syriacæ, 120. Varie deſcribit ætatem verſionis Arabicæ, 126. Petulanter inſectatur Tirinum, 131. Fallitur circa antiquitatem & integritatem verſionis Æthiopicæ, 137. Ex antiquitate fidei perperam argumentatur antiquitatem Perſicæ verſionis, 139. Inconſulto commendat inſpectionem verſionis Perſicæ, 141. Patenter ineptit, 142. Gratis defert verſionem Copticam ad tempora Concilii Nicæni, 146. Pro antiquitate verſionis Armenicæ contorte citat veteres, 149. Profert frigidum emblaſtrum ſuper differentia Codicum in minutis, 203. Percenſet regulas critices, 217. Fruſtra ad Brugenſem provocat, 210. Agnoſcit hodiernam linguam Hebraicam eſſe mutilam & exiguam, 261. Fatur dari non poſſe duas lectiones divinas diſcrepantes, 281.

Vulgata non tantum authentica in rebus fidei & morum, 302. In ſe ſpectata, & referta mendis, 305. v. Latina editio.

X

Ximenii laus, 170. Vindicatur a cavillis Simonii, 172. Quo fine edidit exemplaria fontium, 173. Quam longe abfuerit ab hypotheſi Criticorum, *ibid.* Vetuſtiſſima manuſcripta Bibliorum ſibi comparavit, 197.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE

Pag. 22	lin. 23	ſodali	ſodale
45	8	intereſt	ſupereſt
54	17	Fraſſenus	Natalis
	18	Paraphraſes	Paraphraſes
61	11	Meghillath	Meghilloth
62	24	:	?
103	6	voces, Syriacas	voces Syriacas
114	4	differentim	differentia
118	10	concinnit	concinit
161	2	Gallica	Italica
163	12	Wirtemburgentium	Wrtemburgentium
183	4	Simoneus	Simonius
298	penult.	quod elapſo &c.	*quod elapſo &c.*
202	15	*quum*	quum
231	32	corruptelis	præjudiciis
235	11	extitiſſet	extitiſſent
261	12	in conſtantia	inconſtantia
333	ult.	574	374

Si quæ alia natura parum caverit, aut incuria fuderit, doctiſſimo Lectori caſtiganda ſubiiciuntur.

ANT 1318345

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google